Digitized by Google

8
4-E
40

6
6 I
39

8-4.E.40

ORIGINVM FRANCICARVM LIBRI VI.

in quibus

PRAETER GERMANIAE AC RHENI CHO-
rographiam, FRANCORVM Origines ac primæ ſedes,
aliaque ad gentis in Gallias tranſitum variaſque victorias,
inſtituta ac mores pertinentia, ordine deducuntur,

Authore

IOHANNE ISACIO PONTANO.



HARDERVICI, *Ex Officinâ Thomæ Henrici,*

Impenſis HENRICI LAVRENCII, Amſtelodamenſis Librarij. An. CIↃ IↃCXVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Illuſtriſſimis atque Ampliſſimis

DVCATVS GELRIÆ
ET
COMITATꝰ ZVTPHANIÆ
ORDINIBVS,

IOH. ISACIVS PONTANVS
dicat conſecratque.

Earum nationum omnium, quæ è Boreâ Rhenum Danubiumque tranſgreſſæ ad devaſtandum quaſi Romanum imperium certatim concurrêre, nullius res opeſque validiores, imperium illuſtrius, laus belli maior fuit, quam Francorum. Alani, Gothi, Longobardi, Vandali, Hunni, Burgundiones cæterique illi populi feliciter quidem uſquequaque exercitus ſuos atque arma circuntulêre, ſed defluxêre tandem & evanuêre ſinguli. Nam licet Gothi, antequam Rhenum Franci tranſiſſent, ultra Ligerim totam Aquitaniam, Rhodanum Bur-

OTECA NAZ. ROMA RIO EMANUELE

gundiones, citeriorem Hiſpaniam partim Gothi, partim Romani, ulteriorem fere omnem Vandali cum ſociis poſſiderent, Franci nihilominus in Germania tum adhuc & ſuis ſedibus conſiſtentes, præſidijs haud multo poſt Romanorum, qui Rhenum etiamnum & Moſam circiter agebant, animoſè profligatis, ſe tandem etiã hiſce novis hoſtibus objicere haud veriti, èque Galliâ ejectis Gothis, Burgundiones ſibi dicto audientes reddidêre. Et mox Lõgobardi, qui in Italia jam regnum occuparant, impetiti ab ijſdẽ, ſubdere ſimiliter colla coacti ſunt: Vt ita non Gallias modo, ſed Italiam Germaniamque bellis victorijſque peragrantes, conſtituto occidentis Imperio, ipſos Orientis imperatores ad foedus ſecum iciendum commoverint: Quarum Gallia tot antea Romanos duces atque Imperatores exercitos habuit, priuſquam in formam provinciæ redigi potuit; &, ut una domaretur Italia annis circiter quingentis opus fuit: Germaniam autem non dico domare, ſed nec vincere Romanus valuit, etiamſi præcipuum adverſus eam robur, quatuordecim legiones, Rhenum juxta Danubiumque attineret. At Francus diſcerpta hac paſſim à gentibus Imperij membra eripuit injuſtis poſſeſſoribus & in unum ac novum tum corpus celerrimè redegit, adjectâ & ipſâ Germaniâ; quam eo uſque ut invictam non niſi à ſe & ſua gente potuiſſe domari demonſtravit. Scilicet hoc erat quod quarto hiſtoriarum Tacitus, quamvis vanâ ſuperſtitione, præcinuiſſe, temporibus Veſpaſiani, Druidas memorat, imperium nimirum Romanum, ſeu, ut ipſe loquitur, poſſeſſionem rerum humanarum Tranſalpinis gentibus fatali Capitolij incendio portenſam. *Id enim hiſce demum felicibus Francorum ſeculis completum eveniſſe Hiſtoriæ & rerum memoriæ teſtes ſint. Nam cum Romæ ſeditiones eſſent, & Græci Imperatores, poſt Juſtinianum, nec Italiam nec Romam ſatis defenderent; Longobardorum etiam, quos modò nominavi, Rex Deſiderius bellum*

laceſ-

laceſſeret, urbeſque Italiæ, quarum aliæ ad Imperium, aliæ ad Eccleſiam Romanam pertinerent, occuparet, interfecto inſuper in ea Italiæ parte, quæ ad reges Francorum ſpectabat, provinciæ præſide, movit arma Carolus & regi in captivitatem ducto regnum abſtulit. Quod & belli iure retinuit. Cumque jam idem non Galliarum tantum & Germaniæ, ſed Italiæ hoc pacto eſſet dominus, totum id quod imperium Occidentis dicebatur, ei delatum eſt: Adiecit & Imperatoriam dignitatem & titulum Italiæ. Quo tamen uti haud voluit, niſi facta cum imperatoribus Orientis tranſactione. Quæ omnia cum illuſtria eſſe nemo negaverit, origo tamen & progreſſus gentis tantique imperij primordia in obſcuro latent. Sudatum à multis ut certum aliquid erueretur, ſed incaſſo, ut plurimum, conamine, dum aut fabulis occupati, aut ſtudio ſuæ gentis ducti aut denique vitio humani ingenij ad verum pervenire nequierunt. Nos figmenta & fabulas cane peius & angue peroſi ceteraſque cauſas omnes procul, ut nobis videmur, habentes, hoc præcipuè operam dedimus ut certis authoribus ac documentis rem in apertum produceremus. Cui fini Capitolinum, Vopiſcum, Ammianum Marcellinum, qui ijs temporibus, poſt nimirum Taciti & Ptolomæi tempora, cum jam innoteſcere primum orbi Francorum nomen coeperat, res Romanorum ad poſterorum memoriam literis mandarunt, inſpexiſſe ſedulò curæ fuit; Et præſertim ipſum Ammianum, qui αὐτόπτης & miles ſub Iuliano & Valente adverſus Francos & illas Germaniæ gentes ſtipendia meruit. Quibus acceſſêre magnumque ad rem momentum attulêre, qui hodieque adhuc paucorum in manibus ſunt, Panegyrici, & illa præſertim Itineraria Charta, ſub Conſtantino aut eo circiter, quod res oſtendit, ſeculo delineata. Vbi ſupra Rhenum fluvium à parte Germaniæ magnæ verſus Rheni boreale oſtium, hi populi leguntur; Chauci, Amſivarij, Chamavi, qui & Franci: *Quibus*

con-

continuò in eâdem Tranſrhenanâ ripâ, ſtatim è regione, quâ Rheni divergium incipit, totius illius tractus quaſi commune vocabulum, majore charactere, hunc in modum adjicitur,

FRANCIA.

Poſt quod deinde Bructeri *nominantur. ut facile inde colligere ſit, unde & quibus ex partibus Germaniæ Francorum hæc miranda gens, quæ ad tantam & tam inclytam nominis claritudinem eſcenderit, educenda veniat. Sed hæc & eiuſmodi in ipſo Opere proprie preſſeque pertractamus. In quo (poſt explicatam pene totius veteris Germaniæ chorographiam gentiſque erutam originem & res primis illis ſeculis, dum adhuc in Rheno tranſcendendo cum Romanis colluctatur, præclare geſtas) enarrare & illuſtrare etiam illud Libro ultimo, qui ſextus & veluti ſingularis eſt, ſtudio habuimus, quod toties & tantopere celebrat Agathias; Francos nimirum excelluiſſe optimis inſtitutis & moribus, æquitate, legum reverentiâ, religione ſacro-ſanctâ & Chriſtianâ; habuiſſe de Deo ſanam opinionem nihilque à Romanis diſcrepaſſe, præterquam veſtitus proprietate & linguæ nativæ ſono. Quâ & nos occaſione de ſingulis accuratiori operâ diatribas per capita diſpoſitas inſtituimus, allatis ex prima & ultima antiquitate, quæ rem cum re componere, obſcuris lucem, dubijs fidem addere omni ex parte poſſent valerentque.*

Quarum rerum præclariſſimarum cognitionem retextumque vobis, illuſtriſſimi proceres, haud quaquam iniucundum nec ingratum futurum dictat animus, idque non uno nomine. Nam ſive primas gentis ſedes videamus, apud vos & in veſtris territorijs tam inclyti ac præpotentis populi fontes ac natales reperimus;

rimus: E veſtris finibus, quà in foſſilem Rhenum Iſala vetus dilabitur, Francos Salios, Rheno ſuperato, ad proximã & ſibi quaſi ſociam ex adverſo gentem Batavos, qui & veſtri pro parte juris ſunt, urgente maiore vi Saxonum, veluti in tutum conceſſiſſe, memorante Zoſimo, credimus. Et poſt Dyſpurgenſe palatium, quod primi reges, cum adhuc ultra Rhenum in ipſâ Germaniâ ripæ Romanæ obiecti agerent, ſupra Vezaliam in Rheni crepidine tenebant, mox, Rheno tranſmiſſo obtentiſque Galliis, inter præcipua celebratur veſtrum quoque Neomagum. quo & pedem & ſedem Imperij Magnum Carolum fixiſſe Annalium fide & Inſcriptionum, quæ eodem in oppido veſtro hodieque ſpectantur, monumentis conſtat. Quin & huic exinde genti maximoque Carolo Gelriæ præfecturas, unde poſtmodum Comitatus Ducatuſque exorti ſunt, ſua initia & originem debere nemo facile inficias iverit: Cum certum ſit ipſos aliquandiu Franciæ reges Imperatoremque Carolum eiuſque nepotes has ditiones, ut & Hollandiam, per præſides & comites, utpote Auſtraſiæ partem, adminiſtraſſe. Quæ exinde in jus hæreditarium, aut donatione aut longi uſus capione, conceſſerint, ut eſt humanarum rerum mutabilis nec ſibi perpetuo conſtans aut ſimilis per omnia ſtatus. Vt ità ab hiſce Originibus ad prima Gelriæ tempora, id eſt, ad gentis veſtræ primordia, progreſſus, & poſterorum exinde ac principum illuſtria ac glorioſa domi bellique facinora enarranda proximus deflexus ſit. Quibus rebus ac temporibus pro merito dicendis non deerunt decôra ingenia. Nos, quantum mediocritas noſtra feret, omnem operam ac ſtudiũ pollicemur: Et, qui ſponte noſtra ſoliuſque curâ veri ad hæc fugitiva retrahenda acceſſimus, veſtris etiam auſpiciis, ad reliqua, & quæ aut ſeculi hactenus vitio, aut temporum malignitate, aut ſcribentium oſcitantiâ neglecta jacuerunt, perſequenda atque eruenda horas ſubciſivas & illud, quod in illuſtri

hoc

hoc veſtro Gymnaſio honeſtum nobis obtigit, otium lubenter impertiemur. Interea lucubrationem hanc noſtram tot nominibus VV. AA. veſtraque reipublicæ debitam animis lætis & benevolis accipite; feliciterque & ſalubriter diu rem gerite ac valete patriæ communia columina.

Quod faxit ille ſummus ac ſapientiſſimus Deus, qui Regum regentumque conſilia, cogitata, facta dictaque rite ſecundare & cæleſti ſuo favore ad optatos proſperoſque eventus exituſque dirigere ac provehere ſolus novit poteſtque.

Datum Hardervici Gelrorum ipſis Calendis Auguſti an. M.DC.XVI.

ELEN-

In Originum Francicarum libros
V. CL. IOANNIS ISACII PONTANI,
Popularis ſui & amici ſingularis.

Galle, quid Hectoreæ te ſtirpis imagine paſcis?
Troiugenæ toties cur repetantur avi?
Sacra, lareſq́; Phrygum violentus Mulciber hauſit:
Ceſſêre & flammis Laömedontis opes.
Ilion in cineres, cunctiq́; abiëre penates.
Albanos credis nunc ſupereſſe patres?
Quid! Priamum credis Mæotidas iſſe paludes,
Et ſe Pannonicis impoſuiſſe iugis?
Scilicet urbs iſtic populoſa Sicambria crevit,
Vt locus appulſis ex Oriente foret.
Eiectúſne igitur, ſpoliiſq́; exutus avitis
Dictarit leges aſper Alane tibi?
Quinetiam Auſonios auſit ridere tribunos,
Spreverit & leges maxima Roma tuas?
Ergo adeóne ferox, ut dixerit Attica Francum
Lingua virum. credam? ne, Faramunde, tibi.
Marcomyrus Priamo, natúſque Antenore Sunno
Sit licet, & forſan non aliena fides:
Ad nos extremis veniſſe è finibus orbis,
Non credam; aut proavos eſſe, Sicambre, tuos.
Non etiam Phryſios (maiorum ſomnia) credam
Delatos Aſio tam procul axe Phrygas.
Hæc alios commenta iuvent: noménque Batavis
A necdum-nato rege Batone petant.

Civilem

Civilem tamen & reges agnoſco Batavos,
Agnoſco fratres ſancte Quirine tuos.
Crinigeros agnoſco lubens, mea patria, reges.
Chlodio ſeu primus, ſeu Faramundus erat:
Sive alij atque alij, quos nox obſcura recondit;
Et quorum hiſtoricâ nomina luce patent.
Hos verò Iliacis procul exiliÿſſe ruinis,
Externóſque pati Belgica regna duces;
C.Cornelius Tacitus. *Galle, nego. indigenas dicet Cornelius auctor*
Germanos. quidni tu quoque, Belga, tuus?
Non aliunde venis. ne ſit tibi Francio tanti,
Belgica. ſit victam te fateare. tua es.
Gloriaque hæc maior, quàm ſi tibi ſtemmatis auctor
Gens victrix. alios (hoc age) linquè duces.
France invicte armis, & fortibus orte Caycis,
(Ni tamen hos Chaucos dicere Fama volet)
Liber & immunis, nullis pendere tributum
Principibus belli lege coactus eras!
Semper, France, tuus; quem quæreret omnis amicum,
Vicinum fugeret; progeniture deos,
Græcus Iüleas in quos tranſſerret habenas.
Hinc tibi natalis, Galle, petatur humus.
Sed quia cenſeri Troianus origine mavis,
Germanóſque atavos dememiniſſe potes:
Non tu Galle tuus, ſed IſacI fama fereris.
Inſtaurat priſcum gnaviter ille decus.
Non qui Francorum falſa incunabula regum
Vltrà Mæotim vel Simoenta petit.
Ille ſuis gentem reddit genitalibus. ille
Heroas veteres, non minor ipſe, colit.

Ite pu-

Ite paludicolæ, flavis (licet) ite capillis;
Sed rutilet tortas ſpuma Batava comas.
Ite bonis avibus, ſed ſtrictis veſtibus ite.
Aurea formoſos cingat aluta pedes,
Cruráque faſciolæ. nitidi armis ite Sicambri;
Ite, decet grandi ſpicula ferre manu.
Ite bipennigeri, gaudentes cædibus ite.
Túque caput ſylvis erige, France, tuis:
Albim amnem Rhenúmque inter, metuendáque ponti
Murmura, bis naſci contigit une tibi.
Iandudum tacito ridet Sallandia naſo.
Agnoſcit cives Drenta terra ſuos.

PETRVS SCRIUERIVS.

ELENCHVS
Librorum totiusque Operis conſpectus & Ordo.

LIBRO PRIMO.

PRiuſquam ipſæ Francorum Origines primæque gentis ſedes, & unde, traiecto Rheno ſuperatiſque Romanorum præſidÿs, in Gallias moverit, commonſtretur, ante omnia Romani Imperij *verſus Boream & Germanos* limes Rhenus, *& quæ alia eodem ſpectant, indicatur; additâ ac deſcriptâ ex oppoſito univerſâ propemodum Germaniâ. Quod veluti fundamentum ſubſternitur reliquo Operi, hac præſertim Capitum ſerie:*

Limes imperij Romani verſus Septentrionem definitur *Rhenus* & *Danubius*. Germania Romanis *nova terra, novus* Orbis. Taciti ſeculo minus quam anteriori nota Germania. CAP. I

Cæſarum etiam poſteriorum ætate Danubium Rhenumque adverſus Germanos terminum manſiſſe Romanæ potentiæ. Deque prędidijs utrique fluvio & Rheno præſertim olim impoſitis. II

Romanorum ſi quando Rhenus Danubiuſq; congelarentur, aut alias tenui alveo fluerent, metus & ſupplicationes. III

Rheni limitem dupliciter diſtinctum intellexiſſe Romanos in *ſuperiorem* & *inferiorem*; Idque reſpectu *primæ* & *ſecundæ*, id eſt, *ſuperioris* & *inferioris Germaniæ*. ubi & Batavia ſecundę Germaniæ, Belgicæ nimirum aſſeritur. IV

Gallię Belgicę iuxta Melam terminus Flevus: ubi & alia eodem pertinentia occaſione Plinianę Bataviæ à Iunio relatæ accuratius pleniuſque diſcutiuntur, cum Plinij, Taciti, Dionis aliorumque illuſtratione. Batavię & Friſiabonum etymon verum. V

De Taciti Mattiacis; qui ultra Rhenum Romanis paruerunt. Zelandos non Mattiacos ſed Mattiacorum verius gentem eſſe, Imperij non limitem ſed reverentiam ultra Rhenum prola- VI

prola-

prolatum ex Taciti Mattiacis tantum oſtendi.

VII In ripam ſeu limitem Romanorum neminem ex adverſa Germanorum ripa niſi inermem & ſub cuſtode admiſſum.

VIII Ripa Romano limiti oppoſita, id eſt, Germaniæ tranſrhenana: et quatinus ea Iulio Cæſari cognita fuerit: deque *Svevis*, *Vbijs* ac *Sicambris* itemque ſilvis et fluminibus Germaniæ, eidem Cæſari nominatis.

IX De *Svevis*, *Vbijs* ac *Sicambris* eorumque ſedibus accuratius, et quatenus cogniti Romanis poſt Iulium, ætate Auguſti. ubi et aliarum inter Albim Rhenumque gentium locorumq; , nec non fluminum interlabentium, Strabone præeunte, chorographica inſtituitur enodatio.

X Ex Tacito additum de *Friſijs*, *Anſuarijs* alijſq; Straboni non nominatis. *Sicambros* fuiſſe qui Tacito exinde *Germani*. eoſdēque poſtea *Francos* & *Franciam* appellatam. *Germania* quæ propriè itemque *magna Germania*. Stephani ethnographi de *Rhenis* ſeu Rhenenſibus locus cum Perſio collatus.

LIBER SECVNDVS

Ad rem propius venit: Germaniam magnam *partitur & ſedes Francorum primigenias indicat, aliorumque opiniones refutat. Seriem Capitum hanc habet:*

CAP. I *Germaniæ* magnæ notatio: itemque diviſio qua uſi veteres & præſertim Plinius in *Ingevones*, *Iſtevones* & *Herminones*.

II Eiuſdem Germaniæ in *Saxones*, *Alemanos* & *Francos* ſcriptorum ævi ſequentis diviſio. deque *Saxonibus* primum atque *Alemanis* nonnihil præmiſſum.

III *Francorum* veterum primæ ſedes ac ſitus. & quando innotuerint.

IV Recitatæ aliorum de primis Francorum ſedibus ſententiæ: eæque ad tria præſertim reductæ Capita. & primum quidem primo poſitum ac confutatum.

V Alterum ſuper gentis origine opinionum caput ſive ſeries: adiecta ſingularum refutatione.

Tertia

Tertia ſeu ultima opinantium claſsis, cum examine & confutatione ſingulorum. pag.134. VI
Francorum in *Anſuarios* & *Salios* facta diſtributio, deque ſingulis ordine dictum, additumque nonnihil de *Ripuarijs* item *Francis*. Vbi & obiter de *urbium Hanſaticarum* origine aliquid. pag.157. VII

LIBER TERTIVS

Ad chronologiam & res Francorum domi foriſque praclarè geſtas viam ſternit. Capitum hanc ſeriem habet:

Ad ulteriora dicenda tranſitum; præmiſſo breviter Francorum etymo. I
Originum ac regum Francicorum Hunibaldica ſeries ordine recitata, atque ob oculos poſita. II
Superioris ex Hunibaldo recitatæ genealogiæ vanitas oſtenſa. & primo ipſi Hunibaldo antiquitatis latibulum detractum. III
De veris Sicambrorum Francorumque veterum ante ætatem Pharamundi regibus, ex probatis relatum authoribus: & quis olim creandorum Regum apud Germanos Francoſq; mos fuerit, & quale quoque eorundem imperium, breviter præmiſſum. IV
Sicambrorum Regum catalogus & ſtemma, eſſeque eos Germanicę originis commonſtratur. V
Francici reges, quorum plerique vulgatis Francorum annalibus hactenus incogniti, nominatim ex veterum memorijs eruti indicantur. VI
Superius poſiti Reges regumque vocabula ex nomenclaturæ notationibus oſtenduntur eſſe Theutonicæ ſeu Germanicæ proſapię. VII

LIBER QVARTVS

Francorum adverſus Romanos res & ad ſuperandum Rhenum expeditiones complectitur, certâ Francicorum regum & ex oppo-

ſito Imperatorum Romanorum, ſecundum annos Chriſti per capita deductâ chronologicâ ſerie. Capita hæc habet:

CAP. I Quandiu cum Romanis eorumque in ripa Rheni præſidijs luctati Franci, deque ſucceſsibus eorundem. Et obiter ſimul reſponſum nonnihil hodiernis et noſtri ſeculi, qui res Francorum tradiderunt, hiſtoricis.

II Primæ Francorum res et mentio in Romana hiſtoria, Valeriano, Gallieno et Aureliano Imperatoribus Auggg.

III *Genebaudus* et *Eſatech* Francorum Reges, Imperantibus Probo, Diocletiano et Maximiano Auggg.

IV Franciæ Reges *Aſcaricus* et *Radagiſus* eorumq. res, Conſtantio et Conſtantino Magno Augg.

V Rex Francorum *Malarichus* Conſtantino, Conſtante & Conſtãtio Conſtantini Magni filijs Auggg.

VI Res Francorum Imperante Iuliano Cæſare Aug.

VII Rex Francorum *Mellobaudus* Valentiniano, Valente et Gratiano Auggg.

VIII Rex Francorum *Theodomerus* Gratiano, Valentiniano minore et Theodoſio Auggg.

IX *Genebaldus*, *Marcomirus* et *Suno* Reges Francorum: partim Theodoſio adhuc, partim Valentiniano iuniore Augg.

X *Marcomirus* et *Suno* Francorum Reges Honorio et Arcadio Imperatoribus Augg.

XI Francorum Rex *Faramundus.*

XII Francorum Rex *Chlodius* dictus Proſpero, Valentiniano Placidiæ filio Aug.

XIII *Merovem* Francorum Rex eodem Valentiniano Cæſare Aug.

LIBER QVINTVS

Francorum in limine Galliarum jam conſiſtentium res & augmenta variaſque expeditiones ac ſucceſſus occupataſq; in totum Gallias recenſet, hoc Capitum ordine:

CAP. I Procemium et Sylloge dicendorum.

II *Childericus* Francornm Rex Avito et Maioriano Occidentis Impp. Augg.

Rex

Rex Francorum *Chlodoveus* eiuſque res adverſus Syagrium Romanorum in Galliis præſidem, Zenone Orientis, Auguſtulo occidentis imperatoribus Augg. III
1 Bellum Thuringicum et nuptiæ Chlodovei cum Clothilde.
2 Bellum Alemanicum ; & à paganiſmo ad Chriſtum Chlodovei converſio.
3 Bellum Chlodovei Burgundicum.
4 Bellum eiuſdem cum Alarico Gothorum Rege.
5 Chlodovei adverſus populares ſeu minores aliquot Francorum reges expeditiones.
Arborichi Francis iuncti. Deque Arborichis et quænam ea gens fuerit quæſitum pag. 372. IV
Temporum ac rerum Chlodovei ſuperius enarratarum accuratior chronologia ex libris Ioſephi Scaligeri de Temporum Emendatione ob oculos poſita. pag 375. V
Imperij Francici incrementa et magnitudo. Occidua et Orientalis Francia : Veſtralia item et Auſtraſia, earumque limites ac diſtrictus indicati. pag. 381, VI
Francici Imperij decrementa et ad Saxones tranſlatio, eiuſq. cauſæ et occaſiones. pag. 390. VII

LIBER SEXTVS

Eccleſiæ ac politiæ inſtituta, gentis mores, conſuetudines, leges, habitus, armaturam, militiam, linguam ceteraque huc pertinentia complectitur totique Operi colophonem imponit. ſeriem Capitum hanc habet: CAP.
Veterum Francorum paganiſmus. eorundem ad Chriſtum ac verum Deum converſio. Deque Deo ac divinis ſenſus ac Synodi. I
Agathiæ de Francorum in genere inſtitutis ac moribus, cum circa ſacra tum prophana, teſtimonium ac verba poſita; et dicendorum ex ijs ordo collectus. II
De monaſterijs ac locis ſacris : Francorumque circa eadem ſtudium ac cultus : Quid etiam ſimile aut diſsimile noſtris moribus habuerint. III
Eccleſiaſticarum perſonarum vocabula et officia. Monachi IV
in

in clero non cenſi. Abbates. Virgines ante annum xxv non velabant Franci. eius inſtituti origo & error.
V Epiſcoporum & presbyterorum indiſtincta munera. ipſi eruditi clerum & populum erudiebant. ab eccleſia electi. Synodos particulares convocabant. uxorati.
VI De ceremonijs & præſertim Cœna & Baptiſmo. Vbi & de Miſſa & quatenus intellecta ea & uſurpata Francorum veterum ævo.
VII De Imaginibus earumque apud Francos, primis præſertim ſeculis, uſu ac cultu.
VIII De martyrum Sanctorumque feſtis & natalibus. Memoriæ eorundem ſeu cenotaphia, aliaque obſervata.
IX De idiomate, quo ſacra celebrata; deque interpretatione Sacrorum & Scripturarum SS. apud Francos uſitata.
X Tranſitio ad politiæ inſtituta. Reges electione creati. Filijs ſucceſsionis prærogativa conceſſa. Reges Regumque liberi criniti. inaugurandorum regum ritus.
XI De Comitijs & publicis Francorum Concilijs ac conventibus: deque ratione eorundem & vocabulis.
XII De Maioribus Domus.
XIII De Ducibus eorumque dignitate ac munere.
XIV De Comitum aliorumque ſecundum eos dignitate atque officijs.
XV De Nobilibus, Ingenuis & Servis: qui vernacula gentis lingua Edelingi, Frilingi & Laſsi.
XVI Principes ſeu Reges Francorum præſentes ac ore proprio ius dixiſſe.
XVII De legibus. eas non multas, & cuiuſmodi Franci habuere, probari. deque ſingulis nonnihil additum.
1 Coronis superiorum. Cudendę monetæ jus & prærogativa Francorum. Deque lite Theodiberti Regis cum Imp. Iuſtiniano ob titulos in præiudicium Francorum uſurpatos.
XVIII Priſcorum Francorum habitus, ſpecies & veſtitus.
1 De ſtatura Caroli Magni Philoponema Marquardi Freheri.

2 Veſtitus & habitus Caroli Magni ex Eginhardo.
De Militia & armis Francorum. XIX
De Machinis atque operibus bellicis, deque oppugnandi urbes atque obſidionis ratione. XX
De Repugnatione. XXI
De Acie & ſtratagematibus. XXII
De Gymnaſijs & publicis literarum ſtudijs, Francorum primis ſeculis. XXIII
De lingua Francorum veterum. XXIV

LECTORI.

MOnendus es, Lector, quod ad Elenchum ſuperiorem attinet. paginarum in eo numeros addidiſſe nos ideo ad Caput ſextum & ſeptimum libri 2; necnon ad quartum & ſequentia tria libri 5. quia quærenti ſimpliciter ea Capita error aliàs oboriretur ex numerorum, quæ ibi forte fortuito commiſſa eſt, tranſpoſitione. Eſt deinde & illud, quod ſilentio tranſmitti haud debet: Fauchetum nimirum ſerius in manus noſtras veniſſe, ex quo didicimus, quod & per nos quodammodo ſuſpicabamur, aliquot verborum hiatum ſeu defectum eſſe in Theudiſco Caroli Iuramento, nec ſatis id in editionibus, quas habemus, Nithardi, unde & noſtrum, poſitum pag. 605, deſumſimus, plene exſtare. Nam Fauchetus manu deſcriptum indubie Nithardum ſecutus poſt illa verba, ſo hald ihtis an minam bruher, *continuo hæc adijcit:* ſoſo * man mit retha ſina bruher ſcal, &c. *Quæ & reſpondeant haud inconvenienter verbis quæ exſtant in eo, quod linguâ Romanâ præcedit, Lodovici ſacramento, uti patebit ex paginâ 605, iam indicatâ. Vbi ſcilicet utrumque hoc ſacramentum, inter cetera, collocatum invenietur; & illud, quod dicimus ex ipſa collatione, quicumque hanc ſumere operam non gravabitur, cognoſcet. Poſtremò delineatio*

* Fauchetus ipſe minus recte edidit, manmit, retha eſt rechte.

Bneatio Arietis, mirandi & Romani plane operis machinamenti, cujus & mentio & promiſſio facta eſt libro VI cap. XX pag. 557, ubi de bellicis inſtrumentis agitur, ambigo an à chalcographo expediri, ac tempori obtineri, ſuoque, ut diximus loco inſeri atque oculis omnium exponi poſſit. Quod ideo pramoneo, ne, ſi ſpe fortaſſis excidam, plus pollicitus, quam præſtitiſſe arguar. Curabitur nihilominus, quantum in nobis ſit, promiſſum ut compareat. Quod eſt reliquum, hæc etiamnum paucula occurrêre, quæ velim,

ADDENDA ERRATIS AD calcem poſitis.

Pag. 125. verſ. 9 lege *Nænia*, pro *natia*. pag. 153. verſ. 29 leg. *certâ*. pag. 214 verſ. 14 pro *Franciſ* leg. *Francis*. pag. 580 dele quæ habentur verſ. 11 poſt hæc verba : *ſeu poculum dicimus*. pag. 606 verſ. 17 pro, *juramenti* lege vel adde, *juramenti primi*. Cetera, et ſi quæ ſimilia alia leviora ſe offerent, lector benevolus emendabit aut feret.

IOHAN-

IOHANNIS ISACII
PONTANI

ORIGINVM FRANCICARVM

Liber I.

CAP. I.

LIMES IMPERII ROMANI, *VERSVS SEPtentrionē, definitus* Rhenus & Danubius. *Germania Romanis* novæ terræ, novus orbis. *Taciti ſeculo minus quam anteriori nota Germania.*

POſtquam Romana felicitas univerſam primò Italiā; deinde proxima quæq; Italiæ; poſtremò Europam, Aſiam, Africam virtute atq; armis ſibi parere coegerit; illud tamen, quicquid eſt ultra Danubium Rhenumque, Boream verſus, obtinere nequiit. Hic terminus & veluti limes hæſit tanti imperii. Vnde de Danubio, quem Iſtrum nominat, loquens Ovidius, marginem imperii appellat:

A · *Hactenus*

Lib. 2. Triſt. ad Auguſt.

Hactenus Euxini pars eſt Romana ſiniſtri,
Proxima Baſternæ Sauromatæque tenent.
Hæc eſt AVSONIO *ſub* IVRE *noviſſima, vixque*
Hæſit in IMPERII MARGINE *terra* TVI.

Plinius Ovidium ſecutus Rhenum etiam incluſit, & *extremam Romani imperij marginem alluere* dixit Danubium Rhenumque. Quod & Claudianus, ut ſolet, elegantiſſimè in hunc modum extulerat:

Sublimis in arcton
Prominet Hercinia confinis Rhetia ſilvæ,
Quæ ſe Danubij iactat Rheniq́; parentem:
Vtraq́; ROMVLEO prætendens flumina REGNO.

Quicquid ergo ultra utrumque fluvium fuit Germanicis armis ac ditione tenebatur. Druſus tamen ab Auguſto miſſus eò, quod in Romanas provincias crebro Germani excurrerent, dum ultra Rhenum cum iiſdem belligerat, equo ſuper crus eius collāpſo, tricesimo quā id acciderat, die oppetiit, ut falſo refert, authore non addito, Aventinus, itemque Notis ad Tacitum Muretus. Nam morbo ibi obiiſſe, confecto adverſus Cattos Cheruſcoſque bello, prodidit cum Dione Svetonius in CASTRIS, quæ inde dicta SCELERATA. Dionis verba notabilia ſunt: *Continuo retro ire* (à Cheruſcis nimirum & Albi Rhenum verſus) *Druſus cœpit, & in itinere, priuſquam Rhenum attingeret, morbo deceſſit*. Quæ poſtrema Græce ſic habent: Καὶ ἐν τῇ ὁδῷ νόσῳ τινὶ, πρὶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἐλθεῖν, τελευτήσατο.

Lib. 55.

Hinc in eius obitum Albinouanus ad Liviam matrem:

Occidit exemplum juvenis venerabile morum
Maximus ille armis maximus ille toga.
Ille genus Svevos acre indomitoſq́; Sicambros

Contudit

Contudit inq; fugam barbara terga dedit.
Ignotum q; tibi meruit Romane triumphum,
Protulit in terras imperiumque novas.

Quibus ex verbis vel illud etiam diſcere erit, totum illud Germanorum territorium Romanis tum habitū pro *novis Terris*: Nam & NOVUM ORBEM, item IGNOTUM ORBEM appellat idem ibidem:

Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
Enſibus & Svevos terga dediſſe ſuis.
Fluminaque & montes & nomina magna locorum
Et ſi quid miri vidit in ORBE NOVO.

Itemq; ſub finem, *Conſul &* IGNOTI *victor Germanicus* ORBIS. Et tamen eâdem elegiâ, quod nonnullos turbet, dixit modò cognitam Germaniam Romanis: *Et modò Germani Romanis cognitus orbis.* Quod de Druſo hactenus capiendum, quatenus in ipſam Germaniam ultra Rhenum ad Albim uſque arma tranſtulerat; ſicuti & ante eum, ſed obiter & in primo limite Iulius, itemque avus Neronis principis L. Domitius, quem non Rhenum tantum, ſed Albim etiam exercitu tranſgreſſum notat libro quarto Annalium his verbis Tacitus; *Poſt exercitu flumen Albim tranſcendit, longius penetrata Germania quam quiſquam priorum, eaſque ob res inſignia triumphi adeptus eſt.* Poſt omnes denique Germanicus Druſi, de quo dixi, filius, triumphavit de iiſdem ad Albim etiam uſque, ſed verbis eiuſdem Taciti: *Vecta ſpolia, captivi, ſimulacra montium, fluminum, præliorum; bellumque quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur.* Quibus addenda, quæ ſunt in libello de moribus Germanorum: *Sexcenteſimum & trigeſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum* Lib. 12. Annal.

 audita

audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone conſulibus. Ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani conſulatum computemus ducenti ferme & decem anni colliguntur. tandiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi ſpatio multa invicem damna. Non Samnis non Pœni non Hiſpani Galliave, ne Parthi quidem ſæpius admonuere. quippe regno Arſacis acrior Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Craſſi, amiſſo & ipſe Pacoro infra Ventidium dejectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone & Caſſio & Scauro Aurelio & Servilio Cæpione, M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul conſulares exercitus populo Romano, Varum treſq; cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, Divus Iulius in Gallia, Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Quin & idem Tacitus non obſcure videtur innuere, ſuo minus quam anteriori ævo cognitam Germaniã; Quid enim aliud illa ibidem volunt? *in Hermunduris Albis oritur, flumen inclytum & notum olim; nunc tantum auditur.* Niſi illam fortaſſe reſpicere dicimus tranſalbianam victoriam, quam ex Tacito eodem tetigi jam modò, L. Domitij. licet & Vellæus quoque Tiberij claſſem circum navigaſſe Oceani ſinus & Albi ſubvectum, poſt illam Domitij expeditionem, referre videatur, Dione ad Viſurgim primò atque inde ad Albim uſque progreſſum
Lib. 55. ſimpliciter memorante.

CAP. II.

CAESARUM ETIAM POSTERIORUM AETATE Danubium Rhenumq́ adverſus Germanos terminum manſiſſe Romanæ potentiæ, deque præſidiis utrique fluvio, & Rheno præſertim, olim impoſitis.

Hic

HIc ergo Imperii potentia perpetuo ſtetit; idq; non modò ut innui, priorum, ſed etiam conſequentium Cæſarum tempeſtate. Nam & author panegyrici Maximiano Auguſto dicti ſuo ſeculo eãdẽ haud ultra ripã, quam Rhenus radebat, prorogatam his verbis indicavit: *Rhenum videtur ipſa ſic natura duxiſſe, ut eo limite Romanæ provinciæ ab immanitate Barbariæ vindicarentur.* Nec idem monere fugit Ambroſium, qui Theodoſio imperante, Rhenum eſſe dixit *memorandum Romani imperij murum adverſus feras gentes.* Quibus accedit præcipuam fuiſſe Romanorum in hoc defendendo limite ſolicitudinẽ ac curam; utpote qui Germaniæ ulteriora potiundi ſpe iam excluſi parta tuendi fruerentur ſolatio. Quod ut illuſtrius reddatur, & quantũ ſimul negotij iiſdem Romanis ſemper faceſſerit Germania, de Romanorũ præſidiis, quib. hic terminus adverſus trãſrhenanos, veluti obvallaretur, neceſſario nõnihil præmonẽdum video.

Et primo quidem univerſa illa Rheni Danubiique præſidia ad quatuor præſertim capita referam, *Magiſtratuum, Militum, Caſtellorum* & *Navium. Magiſtratus* plerumque *præfecti* appellabantur. Vt Iulium Tutorem Trevirum ripæ Rheni præfectum ſub Veſpaſiano apud Tacitum legimus. Et ævo principum poſteriori in Gallica Rheni ripa *Dux* Maguntiaci reſidẽs latiſſimam iuriſdictionem habuit (ut ex Notitia imperii apparet) nõ in ipſa tantum Moguntiaco, ſed univerſo illo Rheni tractu, quo & hæc loca erant: *Saletio, Taberna, Vicus Iulius, Nemetes, Alta ripa, Vangiones, Bingium, Bodobrica, Confluentes, Antonacum.* Conſtitutio Valentiniani ad Iovinum magiſtrum equitum non ducum modo ſed & Comitũ

Rheno præfecti.

Duces.

Lib. 9. Cod. Theod. de re militari.

ſito Imperatorum Romanorum, ſecundum annos Christi per capita deductâ chronologicâ ſerie. Capita hæc habet:

CAP. I Quandiu cum Romanis eorumque in ripa Rheni præſidijs luctati Franci, deque ſucceſsibus eorundem. Et obiter ſimul reſponſum nonnihil hodiernis et noſtri ſeculi, qui res Francorum tradiderunt, hiſtoricis.

II Primæ Francorum res et mentio in Romana hiſtoria, Valeriano, Gallieno et Aureliano Imperatoribus Auggg.

III *Genebaudus* et *Eſatech* Francorum Reges, Imperantibus Probo, Diocletiano et Maximiano Auggg.

IV Franciæ Reges *Aſcaricus* et *Radagiſus* eorumq. res, Conſtantio et Conſtantino Magno Augg.

V Rex Francorum *Malarichus* Conſtantino, Conſtante & Conſtātio Conſtantini Magni filijs Auggg.

VI Res Francorum Imperante Iuliano Cæſare Aug.

VII Rex Francorum *Mellobaudus* Valentiniano, Valente et Gratiano Auggg.

VIII Rex Francorum *Theodomerus* Gratiano, Valentiniano minore et Theodoſio Auggg.

IX *Genebaldus*, *Marcomirus* et *Suno* Reges Francorum: partim Theodoſio adhuc, partim Valentiniano iuniore Augg.

X *Marcomirus* et *Suno* Francorum Reges Honorio et Arcadio Imperatoribus Augg.

XI Francorum Rex *Faramundus*.

XII Francorum Rex *Chlodius* dictus Proſpero, Valentiniano Placidiæ filio Aug.

XIII *Merovens* Francorum Rex eodem Valentiniano Cæſare Aug.

LIBER QVINTVS

Francorum in limine Galliarum jam conſiſtentium res & augmenta variaſque expeditiones ac ſucceſſus occupataſq; in totum Gallias recenſet, hoc Capitum ordine:

CAP. I Procemium et Sylloge dicendorum.

II *Childericus* Francornm Rex Avito et Maioriano Occidentis Impp, Augg.

Rex

Rex Francorum *Chlodoveus* eiuſque res adverſus Syagrium Romanorum in Galliis præſidem, Zenone Orientis, Auguſtulo occidentis imperatoribus Augg. III
1 Bellum Thuringicum et nuptię Chlodovei cum Clothilde.
2 Bellum Alemanicum ; & à paganiſmo ad Chriſtum Chlodovei converſio.
3 Bellum Chlodovei Burgundicum.
4 Bellum eiuſdem cum Alarico Gothorum Rege.
5 Chlodovei adverſus populares ſeu minores aliquot Francorum reges expeditiones.
Arborichi Francis juncti. Deque Arborichis et quænam ea gens fuerit quæſitum pag. 372. IV
Temporum ac rerum Chlodovei ſuperius enarratarum accuratior chronologia ex libris Ioſephi Scaligeri de Temporum Emendatione ob oculos poſita. pag 375. V
Imperij Francici incrementa et magnitudo. Occidua et Orientalis Francia : Veſtraſia item et Auſtraſia, earumque limites ac diſtrictus indicati. pag. 381, VI
Francici Imperij decrementa et ad Saxones tranſlatio. eiuſq. cauſæ et occaſiones. pag. 390. VII

LIBER SEXTVS

Eccleſiæ ac politiæ inſtituta, gentis mores, conſvetudines, leges, habitus, armaturam, militiam, linguam ceteraque huc pertinentia complectitur totique Operi colophonem imponit. ſeriem Capitum hanc habet:

CAP.
Veterum Francorum paganiſmus. eorundem ad Chriſtum ac verum Deum converſio. Deque Deo ac divinis ſenſus ac Synodi. I
Agathiæ de Francorum in genere inſtitutis ac moribus, cum circa ſacra tum prophana, teſtimonium ac verba poſita; et dicendorum ex ijs ordo collectus. II
De monaſterijs ac locis ſacris : Francorumque circa eadem ſtudium ac cultus : Quid etiam ſimile aut diſsimile noſtris moribus habuerint. III
Eccleſiaſticarum perſonarum vocabula et officia. Monachi in IV

in clero non cenſi, Abbates. Virgines ante annum xxv non velabant Franci. eius inſtituti origo & error.

V Epiſcoporum & presbyterorum indiſtincta munera, ipſi eruditi clerum & populum erudiebant, ab eccleſia electi. Synodos particulares convocabant. uxorati.

VI De ceremonijs & præſertim Cœna & Baptiſmo. Vbi & de Miſſa & quatenus intellecta ea & uſurpata Francorum veterum ævo.

VII De Imaginibus earumque apud Francos, primis præſertim ſeculis, uſu ac cultu.

VIII De martyrum Sanctorumque feſtis & natalibus. Memoriæ eorundem ſeu cenotaphia, aliaque obſervata.

IX De idiomate, quo ſacra celebrata; deque interpretatione Sacrorum & Scripturarum SS. apud Francos uſitatâ.

X Tranſitio ad politiæ inſtituta. Reges electione creati. Filijs ſucceſsionis prærogativa conceſſa. Reges Regumque liberi criniti. inaugurandorum regum ritus.

XI De Comitijs & publicis Francorum Concilijs ac conventibus: deque ratione eorundem & vocabulis.

XII De Maioribus Domus.

XIII De Ducibus eorumque dignitate ac munere.

XIV De Comitum aliorumque ſecundum eos dignitate atque officijs.

XV De Nobilibus, Ingenuis & Servis: qui vernacula gentis lingua Edelingi, Frilingi & Laſsi.

XVI Principes ſeu Reges Francorum præſentes ac ore proprio ius dixiſſe.

XVII De legibus. eas non multas, & cuiuſmodi Franci habuere, probari. deque ſingulis nonnihil additum.

I Coronis superiorum. Cudendę monetæ jus & prærogativa Francorum. Deque lite Theodiberti Regis cum Imp. Iuſtiniano ob titulos in præiudicium Francorum uſurpatos.

XVIII Priſcorum Francorum habitus, ſpecies & veſtitus.

I De ſtatura Caroli Magni Philoponema Marquardi Freheri.

2 Veſtitus & habitus Caroli Magni ex Eginhardo.
De Militia & armis Francorum. XIX
De Machinis atque operibus bellicis, deque oppugnandi urbes atque obſidionis ratione. XX
De Repugnatione. XXI
De Acie & ſtratagematibus. XXII
De Gymnaſijs & publicis literarum ſtudijs, Francorum primis ſeculis. XXIII
De lingua Francorum veterum. XXIV

LECTORI.

Monendus es, Lector, quod ad Elenchum ſuperiorem attinet, paginarum in eo numeros addidiſſe nos ideo ad Caput ſextum & ſeptimum libri 2; necnon ad quar-tum & ſequentia tria libri 5. quia quærenti ſimpliciter ea Capi-ta error aliàs oborir etur ex numerorum, quæ ibi forte fortuito commiſſa eſt, tranſpoſitione. Eſt deinde & illud, quod ſilen-tio tranſmitti haud debet: Fauchetum nimirum ſerius in manus noſtras veniſſe, ex quo didicimus, quod & per nos quodammodo ſuſpicabamur, aliquot verborum hiatum ſeu defectum eſſe in Theudiſco Caroli Iuramento, nec ſatis id in editionibus, quas ha-bemus, Nithardi, unde & noſtrum, poſitum pag. 605, deſum-ſimus, plene exſtare. Nam Fauchetus manu deſcriptum indu-bie Nithardum ſecutus poſt illa verba, ſo hald ihtisan mi-nam bruher, *continuo hæc adijcit:* ſoſo * man mit retha na bruher ſcal, &c. *Quæ & reſpondeant haud inconveni-enter verbis quæ exſtant in eo, quod linguâ Romanâ præcedit, Lodovici ſacramento, uti patebit ex paginâ 605, iam indicatâ. Ubi ſcilicet utrumque hoc ſacramentum, inter cetera, collocatum invenietur; & illud, quod dicimus ex ipſa collatione, quicumque hunc ſumere operam non gravabitur, cognoſcet. Poſtremò de-lineatio*

* Fauchetus ipſe minus recte edidit, mannit, vel ha eſt rechte.

Ilneatio Arietis, mirandi & Romani plane operis machinamenti, cujus & mentio & promiſſio facta eſt libro VI cap. XX pag. 557, ubi de bellicis inſtrumentis agitur, ambigo an à chalcographo expediri, ac tempori obtineri, ſuoque, ut diximus loco inſeri atque oculis omnium exponi poſſit. Quod ideo præmoneo, ne, ſi ſpe fortaſſis excidam, plus pollicitus, quam præſtitiſſe arguar. Curabitur nihilominus, quantum in nobis ſit, promiſſum ut compareat. Quod eſt reliquum, hæc etiamnum paucula occurrere, quæ velim,

ADDENDA ERRATIS AD calcem poſitis.

Pag. 125. verſ. 9 lege *Nænia*, pro *natia*. pag. 153. verſ. 29 leg. *certâ*. pag. 214 verſ. 14 pro *Francijs* leg. *Francis*. pag. 580 dele quæ habentur verſ. 11 poſt hæc verba : *ſeu poculum dicimus*. pag. 606 verſ. 17 pro, *juramenti* lege vel adde, *juramenti primi*. Cetera, et ſi quæ ſimilia alia leviora ſe offerent, lector benevolus emendabit aut feret.

IOHAN-

IOHANNIS ISACII
PONTANI

ORIGINVM FRANCICARVM

Liber I.

CAP. I.

LIMES IMPERII ROMANI, *VERSVS SEPtentrionẽ, definitus* Rhenus & Danubius. *Germania Romanis* novæ terræ, novus orbis. *Taciti ſeculo minus quam anteriori nota Germania.*

POſtquam Romana felicitas univerſam primò Italiã; deinde proxima quæq; Italiæ; poſtremò Europam, Aſiam, Africam virtute atq; armis ſibi parere coegerit; illud tamén, quicqnid eſt ultra Danubium Rhenumque, Boream verſus, obtinere nequiit. Hic terminus & velutilimes hæſit tanti imperii. Vnde de Danubio, quem Iſtrum nominat, loquens Ovidius, marginem imperii appellat:

A · Hactenus

Lib. 2. Triſt. ad Auguſt.

Hactenus Euxini pars eſt Romana ſiniſtri,
Proxima Baſternæ Sauromatæque tenent.
Hæc eſt AVSONIO *ſub* IVRE *noviſſima, vixque*
Hæſit in IMPERII MARGINE *terra* TVI.

Plinius Ovidium ſecutus Rhenum etiam incluſit, & *extremam Romani imperij marginem alluere* dixit Danubium Rhenumque. Quod & Claudianus, ut ſolet, elegantiſſimè in hunc modum extulerat:

Sublimis in arcton
Prominet Hercinia confinis Rhetia ſilva,
Quæ ſe Danubij iactat Rheniq́ parentem:
Vtraq́ ROMVLEO *prætendens flumina* REGNO.

Quicquid ergo ultra utrumque fluvium fuit Germanicis armis ac ditione tenebatur. Druſus tamen ab Auguſto miſſus eò, quod in Romanas provincias crebro Germani excurrerent, dum ultra Rhenum cum iiſdem belligerat, equo ſuper crus eius collâpſo, triceſimo quā id acciderat, die oppetiit, ut falſo refert, authore non addito, Aventinus, itemque Notis ad Tâcitum Muretus. Nam morbo ibi obiiſſe, confecto adverſus Cattos Cheruſcoſque bello, prodidit cum Dione Svetonius in CASTRIS, quæ inde dicta SCELERATA. Dionis verba notabilia ſunt: *Continuo retro ire* (à Cheruſcis nimirum & Albi Rhenum verſus) *Druſus cæpit, & in itinere, priuſquam Rhenum attingeret, morbo deceſſit.* Quæ poſtrema Græce ſic habent: Καὶ ἐν τῇ ὁδῷ νόσῳ τινὶ, πρὶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἐλθεῖν, τελευτήσαντα. Hinc in eius obitum Albinouanus ad Liviam matrem:

Lib. 55.

Occidit exemplum juvenis venerabile morum
Maximus ille armis maximus ille toga.
Ille genus Svevos acre indomitoſq́ Sicambros

Contudit inq́; fugam barbara terga dedit.
Ignotumq́; tibi meruit Romane triumphum,
Protulit in terras imperiumque novas.

Quibus ex verbis vel illud etiam diſcere erit, totum illud Germanorum territorium Romanis tum habitũ pro *novis Terris*: Nam & NOVUM ORBEM, item IGNOTVM ORBEM appellat idem ibidem:

Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
Enſibus & Svevos terga dediſſe ſuis.
Fluminaque & montes & nomina magna locorum
Et ſi quid miri vidit in ORBE NOVO.

Itemq; ſub finem, *Conſul &* IGNOTI *victor Germanicus* ORBIS. Et tamen eâdem elegiâ, quod nonnullos turbet, dixit modò cognitam Germaniam Romanis: *Et modò Germani Romanus cognitus orbis.* Quod de Druſo hactenus capiendum, quatenus in ipſam Germaniam ultra Rhenum ad Albim uſque arma tranſtulerat; ſicuti & ante eum, ſed obiter & in primo limite Iulius, itemque avus Neronis principis L. Domitius, quem non Rhenum tantùm, ſed Albim etiam exercitu tranſgreſſum notat libro quarto Annalium his verbis Tacitus; *Poſt exercitu flumen Albim tranſcendit, longius penetrata Germania quam quiſquam priorum, eaſque ob res inſignia triumphi adeptus eſt.* Poſt omnes denique Germanicus Druſi, de quo dixi, filius, triumphavit de iiſdem ad Albim etiam uſque, ſed verbis eiuſdem Taciti: *Vecta ſpolia, captivi, ſimulacra montium, fluminum, præliorum; bellumque quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur.* Quibus addenda, quæ ſunt in libello de moribus Germanorum: *Sexcenteſimum & trigeſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum* Lib. 12. Annal.

Hic ergo Imperii potentia perpetuo ſtetit; idq; non modò ut innui, priorum, ſed etiam conſequentium Cæſarum tempeſtate. Nam & author panegyrici Maximiano Auguſto dicti ſuo ſeculo eãdẽ haud ultra ripã, quam Rhenus radebat, prorogatam his verbis indicavit: *Rhenum videtur ipſa ſic natura duxiſſe, ut eo limite Romanæ provinciæ ab immanitate Barbariæ vindicarentur.* Nec idem monere fugit Ambroſium, qui Theodoſio imperante, Rhenum eſſe dixit *memorandum Romani imperij murum adverſus feras gentes.* Quibus accedit præcipuam fuiſſe Romanorum in hoc defendendo limite ſolicitudinẽ ac curam; utpote qui Germaniæ ulteriora potiundi ſpe iam excluſi parta tuendi fruerentur ſolatio. Quod ut illuſtrius reddatur, & quantũ ſimul negotij iiſdem Romanis ſemper faceſſerit Germania, de Romanorũ præſidiis, quib. hic terminus adverſus trãſrhenanos, veluti obvallaretur, neceſſario nõnihil præmonẽdum video.

Et primo quidem univerſa illa Rheni Danubiique præſidia ad quatuor præſertim capita referam, *Magiſtratuum, Militum, Caſtellorum* & *Navium.* *Magiſtratus* plerumque *præfecti* appellabantur. Vt Iulium Tutorem Trevirum ripæ Rheni præfectum ſub Veſpaſiano apud Tacitum legimus. Et ævo principum poſteriori in Gallica Rheni ripa *Dux* Magunciaci reſidẽs latiſſimam iuriſdictionem habuit (ut ex Notitia imperii apparet) nõ in ipſa tantum Moguntiaco, ſed univerſo illo Rheni tractu, quo & hæc loca erant: *Saletio, Taberna, Vicus Iulius, Nemetes, Alta ripa, Vangiones, Bingium, Bodobrica, Confluentes, Antonacum.* Conſtitutio Valentiniani ad Iovinum magiſtrum equitum non ducum modo ſed & Comitũ

Rheno præfecti.

Duces.

Lib. 9. Cod. Theod. de re militari.

Rheni meminiſſe videtur, cum inquit; *Tam duces quam*
Comites. *etiam Comites, & quibus Rheni mandata eſt cuſtodia, ſinceritas tua protinus admonebit, ut neque regalibus neque Legatis ſua milites jumenta ſuppeditent.* Quod ad militem; ait Cor. Tacitus Annalium quarto, *præcipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Galloſq; ſubſidium, octo legiones fuiſſe.* Et
Miles & numerus legionum. ſtatim de Danubii ripa, ibidem loquens adjicit. *Ripamq; Danubij legionum duæ in Pannonia, duæ in Mæſia attinebant, totidem apud Dalmatiam locatis, quæ poſitu regionis, à tergo illis, ac ſi repentinum auxilium Italia poſceret, haud procul accirentur: quamquam inſideret urbem proprius miles, tres urbanæ, novem prætoriæ cohortes.* Vbi notandum *ſex* tantum *legiones* univerſum Danubium; at Rhenum *octo*, & ut Taciti verba ſunt, *præcipuum robur* habuiſſe. Pertinēt huc quoque Lucani hi verſus:

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos,
Lib. 1. *Oppoſiti, petitis Romam, Rheniqueferoces*
Deſeritis ripas, & apertum gentibus orbem.

Caſtella circa Rheni ripam. Hæ legiones per varia caſtra caſtellaque, de quibus iā addam, plurifariam diſpoſitæ. Florus de Druſo: *Per Rheni quidem ripam amplius quinquaginta caſtella direxit.* Itemq; de Valentiniano Ammianus; *Rhenum amnem à Rhetiarum exordio aduſq; fretalem Oceanum magnis molibus communiebat, caſtra extollens & caſtella turreſq; aſſiduas per habiles locos & oportunos, qua Galliarum extenditur longitudo.* Et Dio non in Gallica tantum Rheni margine, ſed in ora quoque eiuſdem Rheni oppoſita, Germanica puta ſeu dextra, ſtetiſ-
Lib. 55. ſe duo inſuper dicit cum ait: *Ex eo Barbari propius adire veriti, eminus hoſtem infeſtavere: ita ut Druſus viciſſim ijs contētus caſtellum contra eos ad Lupiæ & Aliſſonis fluminis confluentes*

tes, aliudque in Cattis ad ipſum Rhenum extruxerit. Quorum prioris etiam Tacitus meminit, ubi obſeſſum à Germanis, ſed a Germanico liberatum id commemorat: *Ipſe,* ſcilicet Germanicus, *audito caſtellum flumini adpoſitum obſideri ſex legiones eo ducit.* Hæc caſtella haud dubiam pluribus in eo tractu opidis originem poſtmodum præbuiſſe veriſimile habeam. Nominat enim nonnulla, & inter alia iſta Ammianus, *Quadriburgum, Triceſimas, Niveſium, Bingium, Bonnam, Agrippinam* & *Antenacum.* quorum *Antenacum* an idem cum *Antonjaco,* cujus in imperij Notitia fit mentio, alij deſpiciant. *Confluentias,* quas hodie dicimus, *Rigodulum* nuncupaſſe, quem dixi, Ammianum & oppidum intelligere nonnulli putant. Sed *Rigomagum* non *Rigodunum* apud Ammianum eo loci legendum, ſuadente editione Accurſiana & manu exaratis codicibus, Abrah. Ortelio & Marq. Frehero clariſſimis viris libẽter aſſentior. Imperii Notitia *Præfectum* ibidem conſtituit *Militum defenſorum confluentibus.* *Niveſium* nuncupat vetus charta provincialis Peutingeriana; hodieq. **Nuys** appellamus. Et iterum Ammianus in parte Rheni ſuperiore agnoſcit *Argentoratum, Britomagum, Tabernas, Saliſonem, Nemetes, Vangionas* itemque *Maguntiacum:* Et ſupra hæc omnia prope *Baſiliam, Robur;* de quo eſt operæ pretium ipſum audire Ammianum: *Valentiniano,* inquit, *poſt vaſtatos aliquot Allemanniæ pagos munimentum ædificanti prope Baſiliam, quod appellant accolæ Robur, offertur Præfecti relatio,* &c. Iis enim ex verbis, quod ab accolis id caſtelli *Robur* ait appellari, colligere fit deliteſcere in eo Germanici idiomatis veſtigiũ, **Roomburg** nimirũ, quod eſſet Romanorum munimentum ſeu caſtrum: Quod ut fieri fere ſolet in peregrinis voculis, cõtraxerit in *Robur* Ammianus.

Annal. 2.

In Theſau ro Geogra ph. Parte 2. Orig. Pal.

anus. Sic & iidem olim Romani infra Lugdunum Batavorum prope Rheni in Oceanum exitum munimentum ſimiliter habuere, cuius hodieque reſtātia rudera appellant Hollandi, **Rodenburg**, cum **Romerburg** ſit verior notatio. Baſileæ vero, ut eo redeam, hodieque eſt juxta Cathedralem Eccleſiam in Rheni crepidine areâ, quam idiomate ſuo **Burg** adhuc nuncupant incolæ, ut addita tantum prior ſyllaba **Ro** integrum Ammiani vocabulū **Roburg** ſufficiat. Meminit inſuper ejus, ſed Latina flexione, ſolus, quod ſciā, cod. Theodoſ. L. 33. de curſ. publ. Quo loci cōſtitutionē eā imppp. Valenti. Valentis & Gratiani AAA. datam commemorat idib. Iul. *Robore*, Gratiano III. & Equitio V.C CONSS. Qui ille ipſe annus eſt, quo caſtellū hoc à Valentiniano Imp. extruebatur, uti notavit ad hūc etiā locū Lĩdeburgius obſervationib. ad Ammianū: Vltimum denique Borealis hujuſce termini Caſtellorum Rhenenſium *Flevum* fuiſſe ævo Taciti, ipſo memorante Tacito, liquet, cum Olennium hîc præſediſſe regendis Friſijs dicat verbis ut ſequitur:

Tacitus Annal. lib. 4. *Rapti* (à Friſijs) *qui tributo aderant milites, & patibulo affixi. Olennius infenſos fuga prævenit, receptus caſtello, cui nomen* FLEVUM: *& haud ſpernenda illic civium ſociorumque manus littora Oceani præſidebat.* De Danubij autem ripa videndus ſimiliter Ammianus, Imperij Notitia, alij. Atque hæc de Caſtellis.

Naves ſive Claſſes in Rheno. *Naves* porro ſive claſſes dupliciter accipiendæ, *Luſoriæ* & *armatæ*. *Luſoriæ* erant prohibendis vicinorum hoſtium excurſibus incurſibuſque viciſſim faciendis ſpeculādiſque. Harum in Codice Theodoſiano ſub titulo *de Luſoriis* Danubij fit mentio. Nominavit etiam Vegetius itemque Ammianus, & ante omnes Seneca lib. 7. de Beneficijs cap. 20: *Cui triremes non mitterem,*

luſorias

luſorias & alia ludibria regum in mari laſcivientium mittam. Vopiſcus an eas intellexerit in Bonoſo, ubi refert, *certo quodam tempore cum in Rheno Romanas luxurias Germani incendiſſent, Bonoſum, timore ne Pœnas daret, ſumſiſſe imperium*, an, inquam, eaſdem intellexerit ambigere facit conſtantia librorum ſervantium, ut poſui, *luxurias* nō *luſorias*. Nam & docti jmmutandum putaverunt in *Cluſorias*. Mihi fere magis arrideat accipiendum de navibus, quas dixi, *luſoriis* legendumque atq; intelligendum *Romanas*, in Rheno *luſorias* à Germanis incenſas. Et juvat quod *Cluſæ* & cluſoriæ de propugnaculis, quæ exſtruebantur adverſus eos, qui non fluminibus, ſed ligno & aggere contextis limitibus, à Romanis ſeparabantur, capiendæ potius; modò recte intelligo Ammianum, qui *Cluſæ Narbonenſis* meminit; & Spartianum, qui verbis iſtis videtur circumſcribere: *Per ea tempora & alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, ſed limitibus, dividuntur, ſtipitibus magnis in modum muralis ſæpis funditus jactis atque contextis barbaros ſeparavit.* At ita ut innui, in Vopiſco reſcribi placeat *luſorias*; itemque in Novella quadam, ubi legitur, *caſtrorum quinetiam ipſis luxuriarumque curam mandamus*, placeat inquam & ibi, *luſoriarumque* in ſuam ſedem reponere, quomodo & ante etiam nos annotaſſe virum doctum reperio. *Armatæ* deinde *naves* in eodem Rheno paſſim diſpoſitas indicat author panegyrici Conſtātino dicti, qui habet: *Inſuper Agrippinenſi ponte faciendo reliquijs afflictæ gentis inſultas, ne unquam metus ponat, ſemper horreat, ſemper ſupplices manus tendat; cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperij tui & ornatum limitis facias, quam ad facilitatem quoties velis in hoſtem tranſeundi, quippe cum totus armatis navibus Rhenus inſtructus ſit, & ripis omnibus uſque ad Oceanum*

Cujac. lib. 3. obſ. 24.

num diſpoſitus miles immineat. Quo loci etiam animadvertendum, aduſque Oceanum territorij jus Romanis patuiſſe, id eſt, ad utraque Rheni extima oſtia: quorum Helius circa occaſum, ad Boream Flevus fuit.

CAP. III.

ROMANORVM, SI QVANDO RHENVS DANVbiuſque congelarentur aut alias tenui alveo fluerent, metus & ſupplicationes.

ATque hæc de præſidijs utriuſque fluminis vel innuiſſe ſufficiat, ſi adjecero (quo exactius conſtet, quantum terroris Romanis addiderint Theutones) Dijs honorem habitum gratiaſque actas ab omnibus, qui oram Galliæ, Rhetiæ, Pannoniæ Mæſiæque incolebant, ſi quando hi amnes, Rhenus puta & Danubius, præter ſolitum inundarent: At è contrario, ſi defeciſſent aut ſiccitate decreviſſent aut denique glacies ripas coniunxiſſet, omnem tum ætatem atque ſexum, viros, fæminas; juvenes, ſenes; pueros puellaſque publicè & privatim coluiſſe juſtitium: ab auguribus ac pontificibus ferias conceptas; Iovi denique Elicio operatos majores minoreſque flamines, ut impetraretur cum pluvia tũ amnis utriuſque innudatio, ne fortè Germanis pateret tranſitus. Tetigit magnifice atque eleganter Claudianus de bello Getico: ubi opera ac merito Stiliconis eiuſcemodi metum ſublatum tunc Romanis entheo quodam æſtro hunc in modum cecinit:

Iam

Iam non in pecorum morem formidine clauſi,
Proſpicimus ſævos campis ardentibus ignes:
Alta nec incertis metimur flumina votis
Excidio latura moram, non poſcimus amnes
Vndoſam ſervare fidem nubeſque fugaces,
At conjuratum querimur ſplendere ſerenum.

Et ante Claudianum Mamertinus Panegyrico primo ad Maximianum Aug. *Quis unquam ante vos, principes, non gratulatus eſt Gallias Rheno amne muniri? Quando non cum ſummo metu noſtro Rheni alveum imminuit diu ſerena tempeſtas? Quando non cum ſecuritate noſtra illius diluvia creverunt?* Et ſtatim, *licet Rhenus areſcat tenuique lapſu vix leves calculos perſpicuo vado pellat, nullus inde metus eſt.* Hanc tamen metus ſuſpicionem amoliri apud Tacitum Cerealis ſategit, aliamque prætexere, ubi Treviros & Lingonas, ad concionem vocatos talibus inter alia, verbis affatur: *Nec ideo Rhenum inſedimus ut Italiam tueremur: ſed ne quis alius Arioviſtus regno Galliarum potiretur.* At verior ipſius Taciti, libro quarto hiſtoriarum, confeſſio; ubi hos amnes *vetera imperij munimenta* appellat, cum ait: *Apud imperitos prodigij loco accipiebatur ipſi aquarum penuria, tanquam nos amnes quoque, & VETERA IMPERII MVNIMENTA deſerent.* In univerſum autem ſumma hæc apud Romanos votorum erat, ſi inter ſe certaret ac diſſideret Germania, *ſ1vorem* id inter pretantes erga ſe *Deorum*, & quo nihil Romano imperio præſtare majus fortuna poſſit. Hoc enim illud eſt, quod idem Tacitus libro de Germania his verbis profitetur cum inquit: *Maneat quæſo duretque gentibus* (de ipſis Germanis loquitur) *ſi non amor noſtri at certe odium ſui: quando urgentibus imperij fatis nihil jā præſtare*

Hiſtor. lib. 4.

fortuna maius poteſt quam hoſtium diſcordiam. Hodie quoque hanc eſſe Turcis ſolemnem in publicis liturgiis precationē,& votū,ut nimirū perdurent Chriſtianorū inter ſe principum diſcordiæ ac odia, præter cæteros, oculatus atque auritus mihi teſtis indexque fuit vir polytropus nobiſque virtutis & doctrinæ merito jure chariſſimus Erneſtus Brinckius,quem Europæ ac patriæ ſuæ omnibuſque amicis ut deſideratiſſimum, ita incolumem jam nuper ac reducem reſtituit Byzantium vicinaque Aſia.

CAP. IV.

RHENI LIMITEM *DVPLICITER DISTINctum intellexiſſe Romanos,in* ſuperiorem,& inferiorem; *idque reſpectu* primæ *ac* ſecundæ,*id eſt*,ſuperioris *atque* inferioris Germaniæ.*ubi & Batavia ſecundæ Germaniæ,Belgicæ nimirum adſcritur.*

BOrealem Imperij Rom. limitē Rhenum vidimus,vidimus etiā præſidia ac propugnacula, quibus idem adverſus hoſtium inſultus præmuniretur. Nunc & illud ad ſequentium non minus lucem neceſſarium, ut etiam nomenclaturam inſpiciamus, qua præſertim cum idem ille limes, tum univerſa illa Rheni jnterior ora ſenatui populoque Romano ſigillatim diſtinctèq; fuerit nuncupata. Verum quidem eſt fuiſſe eam, ut modo oſtendimus, in univerſum jmperio Romanorū ſubditam; nec illud diffitendum,ſeparaſſe etiam à tranſrhenana

ſrhenana magnaque, de qua mox dicemus, Germania Gallias, vel, ut dicebat Auſonius, *fuiſſe Gallis limitis loco*; atque idcirco Romanis, &, inter ceteros, Catullo *Gallicum* hinc *Rhenum* dictum: Proprie tamen quicquid à capite ad exitum uſque in Oceanum eſt Rheni, dupliciter diſtinctum intellexiſſe Romanos; *in Superiorem* ſcilicet atque *inferiorem limitem* verbis authorum manifeſtum fiet. *Inferioris* meminit incertus ad Conſtantinum Auguſtum panegyricus, verbis ejuſmodi: *Eodem impetu quo redieras ad Gallias tuas perrexiſti ad* INFERIOREM *Germaniæ* LIMITEM. Superioris ibidem ſtatim: IN SVPERIORE LIMITE *tumultus occaſionem ſtolidis ac ferinis mentibus obtuliſti in noſtra veniendi*. Diſtinctus autem eum in modum hic limes quia citeriorem hanc omnem Rheni ripam bifariam etiam, ut liquet ex Tacito, diviſerant, in *ſuperiorem* nimirum & *inferiorem Germaniam* Ammianus *Primam* & *Secundam* maluit dicere. Primæ *Germaniæ* præter alia municipia adſcribit imprimis Moguncìacum, Vangiones, Nemetes & Argentoratum. Quibus addunt alij Borbetomagum & Araris fontes. *Secundæ* tribuebantur Tungri & Agrippinenſis Colonia cũ Nerviorum, Morinorum ac Menapiorum aliiſq; verſus Oceanum, populis, qui nunc Flandri, Brabanti Hollandiq; nominantur: Plinius videtur eandem Scaldi fluvio finiviſſe. Nã ait de littore Oceani Boreali verba faciens: *Toto hoc mari ad Scaldim uſque fluviũ Germanicæ accolunt gentes*. Et hinc eſt quod Tacitus inferioribus Germanis Belgas accenſeat, intelligens ſcilicet per *inferiores Germanos ſecundæ* huius *Germaniæ* populos. Quod ſi attendiſſet elegantiſſimus alias Hadrianus Iunius operæ libens parciſſet ſuæ Batavos à Belgis ſecludendi proprio huic adſertioni di-

 cato

Bataviæ Cap. 4. cato Capite. Nam quod ait à Plinio Batavos cum Vbiis & Rheni inſulis Germaniæ adnumerari, ea ratione fit quod *Secunda*, de qua diximus, *Germania* & Vbios (qui alias Agrippinenſes) itemque Batavos contineat. Nec aliud reſpondendum Plutarchi teſtimonio, qui Batavos inter Germanos equeſtris diſciplinæ gloria excellere tradidit, per Germanos ſcilicet intelligens inferiorem & ſecundam hanc Germaniam. Sic ex adverſo Vibius Sequeſter, ubi inquit, Rhenus Belgas à Germanis ſeperat, Germanos proprie accipit, tranſrhenanos videlicet, omnemque illum tractum, quem *ignotum Orbem* & *novas terras* Romanis habitas ſuperius demonſtravimus; Per Belgas verò etiam Batavos, utpote ciſrhenanos quoque comprehendens. Inter Germanos itaque & Batavi, ſed inferiores; &, ut dixi, ſecundæ Germaniæ, quæ propriè Belgicæ regio. Tacitus, quod jam innui, non ut Ammianus in *primam* & *ſecundam* Germaniam, ſed in *ſuperiorem* & *inferiorem* totam hanc Gallici Rheni marginem dividit. Quod vel ideo admonendum credidi, ne quis Tacitum, ubi ſuperiorem & inferiorem Germaniam nominat, exaudiat fortaſſe quaſi per ſuperiorem eam intelligat, quam Romani tranſrhenanam & propriè Germaniam appellarunt. Nam *Germania ſuperior* eadem illi, quæ Ammiano *prima* initium nimirum ſumens à Magunciaco, ut dictum, protendenſque verſus Argentoratum & Araris fontes. Sed præter iſta ſatis refutaverint Iunium verba apud Tacitũ, Claudij Civilis, viri cũ gente tum natione Batavi. Is enim Alpinum Montanum Trevirum affatus diſertè ſubindicat eſſe Batavos Galliæ Belgicæ populos. Verba ſunt: *En ego præfectus unius cohortis & Canineſates Bataviq́, exigua Galliarum portio, vana*

vana illa Caſtrorum ſpatia excidimus. Nec latuit eò loci Iunium difficultatis ſcrupulus, ſed ille, ut putavit, jnterpretatiuncula rem & nodum expedijt, ut ego, jnvolvit & ſecuit. Nam & Claudius Ptolomæus eandem hanc rationem ſecutus diſertè Batavos Germaniæ jnferioris, id eſt, Belgicæ populos facit. verba ejus ſunt: *illa regio, qua iuxta Rhenum eſt, à mari uſque ad Obrincium, id eſt Moſellam fluvium, vocatur Germania inferior; in qua ſunt urbes ab occaſu Rheni fluvij, Batavorum quidem mediterranea, Batavodurũ; ſuper quam Vetera &c.* Lib. 1. cap. 9. Neque eſt abſimilis ejuſdem Iunij halucinatio, cum accepiſſe non ab inferiori aut ſuperiori, id eſt, ſecunda aut prima Germania auxiliares copias Cæſarem, ſed à Germania contendat, quam appellat, Tertiam, tranſrhenanam, ſcilicet, cuj & Bataviam, ut indicavimus, adſociatam voluit. Cap. 5. Bata. Verum ſimiliter idem refellere haud ſit difficile, præſertim cum ipſemet in ſequentibus contrarium adferat, ſecunda nimirũ Germania à Cæſare debellata, rem demum eidem Cæſari fuiſſe cum tranſrhenanis. Cap. 9. Bata. Quod ſi ſit, uti revera eſt, ipſo teſte Cæſare, quis non veroſimilius dicet equites Germanos, qui Cæſari fuere in omnẽ eventum auxiliares, fuiſſe non ex tertia ſeu tranſrhenana, ſed ex hac ipſa ſuperiori atque jnferiori jam debellata Germania, propriè, ut dixi, Belgica nominata, Batavos ſimul ceteroſq; in Rheno unà includentè? Nam nondum percognito devictoque utriuſque hujus Germaniæ contermino Gallis interioribus populo, quomodo ex ulteriorj longeque Romano nomini obſcuriore, tranſrhenana videlicet natione, copias Cæſar cogere potuerit? At ſuperatis mox hiſce ciſrhenanis, id eſt, prima ſecundaque Germania, ijſdem etiam adverſus tranſrhenanos, ipſoſque

que Gallos interiores,uſum exinde fuiſſe ratio ſuadeat: Sed objicit iterum idem Iunius, Cæſari nedum auxilia veniſſe à Germanijs prima ſecundaq;, verum infeſtiſſimas eaſdem habuiſſe, ex hiſtoriis intelligi. Quod ita eſſe verum eſt,de nondum devictis; at ubi fuere ſuperatæ,& auxilia præbuere, & opera potiſſimum earundem vicit Gallias Cæſar. Quocirca nec ulla auxiliorum Germanicorum in Commentariis Cæſaris mētio, niſi poſt Belgas, id eſt, Germanos inferiores ſuperatos. Et hoc eſt, quod lib. 4. hiſtoriarum apud Tacitum Civilis innuit, *Batavo equite protritos AEduos Arvernoſque: fuiſſe inter Virginij auxilia Belgas; vereque reputantibus Galliam ſuiſmet viribus concidiſſe.* Vbi præſertim *Batavorum Belgarumque* nomine eos intelligi,quos Germanos Cæſar & Oroſius nominarunt,verbis ipſius Oroſij manifeſtum fiet, qui illa Taciti quaſi interpretaturus, diſerte GERMANORVM virtute confectum profligatumq; præcipue Gallicum bellum libro ſexto dicit. Sed & Cæſaris ipſius teſtimonio rē ita habere liquebit, qui Eburones omneſque eas nationes cis Rhenum Moſamque, communi vocabulo GERMANOS nominat primo Commentariorum,ubi ait,*Condruſi, Careſi Pemani,* qui uno nomine *Germani appellantur, arbitrati ad quadraginta millia.* Adeo ut per Germanos auxiliares, Belgas, non interiores Germanos,intellexiſſe Cæſarē ſatis nūc demonſtratum exiſtimem; Niſi ipſum etiam Cæſarem objici nobis animadverterem,qui haud ſimpliciter Germanos auxiliares nominat,ſed eoſdem à tranſrhenanis ad ſe accerſitos diſerte ait libro de Bello Gallico,ubi ità loquitur: *Cæſar quod hoſtes equitatu ſuperiores eſſe intelligebat, & interclu ſis omnibus itineribus, nulla re ex provincia atque Italia ſublevari poterat,*

Lib. 7. de Bell. Gall.

poterat, trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas civitates, quas ſuperioribus annis pacaverat, equiteſq́; ab his accerſit, & levis armatura pedites &c. Sed reſpondemus eo loci intellexiſſe Cæſarem præcipue Batavos &, illis ſi quæ in proximo fuerint; gentes, Vahalis aſpectu, tranſrhenanas. Quod ita eſſe Dio quoque haud obſcure indicet lib. 55. ubi legionum Romanarum numerum & nomina hunc in modum recenſet: *Corporis cuſtodes ſunt decem millia in decē diviſi partes, & urbis præſidium ſex millia. quadrifariam hi diviſi, tum equites alienigenæ extraordinarij, qui Batavorum à Batava, quæ in Rheno eſt inſula (hi autem equitandi arte pollent) nomen habent. Horum ſicuti & evocatorum numerum dicere nequeo. Vti illis capit* (Cæſar Auguſtus) *tum primum, tum veteranos patris* (Iulij) *iterum contra Antonium convocaret.* Quo teſtimonio quid eſſe ad conficiēdum, quod volumus, illuſtrius poteſt? Et tamen idem Lucanus ſimiliter evincat, ubi gentes, quas adverſus Pompeium progreſſus in exercitu ſuo Cæſar habuit, enumerans ita canit: *De hoc loco hunc in modum è Græco à nobis reſtituto vide Diſcept. noſtras Chorograph. Diſcep. 7. & 41.*

Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis,
Vangiones Batavique truces.

Ad prius itaque ut redeam, quod nimirum Germanorū nomine etiam Belgæ antiquitus cēſi fuerint, addi dictis hoc poſſit, Zozimum videlicet Belgarum quoque interiores, qui nimirum intra Scaldim & Sequanam fuerunt, Germanos nominare, adeo ut etiam *Pariſios, Germaniæ oppidulum; & Bononiam, inferioris Germaniæ civitatem* dicat. Lib. 3.

Quibus corollarij vice ſuperaccedit & Iſidorus, qui utramque hanc Galliæ Germaniam, aliter quam modò explicavimus, ſolo nimirum Galliæ Belgicæ vocabulô

intelligit; ita ut ſuperioris atque inferioris nomenclaturam videatur tribuere transrhenanæ potius Germaniæ. Inquit enim: *Duæ ſunt Germaniæ, ſuperior juxta ſeptentrionalem Oceanum; inferior circa Rhenum.* Et paulo poſt ibidem: *Rheticus ager excipit Galliam Belgicam.* Et ſtatim, ubi de Gallia, *Galliæ initium Belgica, finis Aquitania.* Et addas his licet Plinij novam ad aliis Belgicæ diſtinctionē. Vult enim ille non à Rheno, ſed à Schaldi ſolummodo ad Sequanam uſque Belgicam intelligi. Sed de Iſidori aliorumque diſtributione Germaniæ magnæ, mox videbimus. Nunc ob eundem Iunium, tum iſtam Plinij diſtinctionem aliquid etiamnum ſequenti Capite dicēdum de Gallia Belgica.

Lib. 4. cap. 17. Natur. hiſtor.

CAP. V.

GALLIAE BELGICAE, IVXTA MELAM, TERminus Flevus: ubi et alia pluria eodem pertinentia occaſione Plinianæ Bataviæ à Iunio relatæ accuratius pleniusq; diſcutiuntur, cum Plinij, Taciti, Dionis aliorumq; illuſtratione. Bataviæ & Friſiabonum etymon verum.

AD ipſam priuſquam progredior Germaniam, unde eruenda nobis Francorum veterum cunabula, ſiſtit me ſuperior Iunij mentio, & prænſat quodammodo iterum ejus Batavia. Nam præter rationes adverſus ipſum jam modo allatas, quibus non magnæ Germaniæ, ſed Galliæ Belgicæ adſerebamus Bataviam, manifeſto inſuper id ipſum Melæ convincitur teſtimonio,

Mela

Mela enim Galliarum oram extimam delineaturus totum id ſpatij tribus adſignat populis, Aquitanis, Celtis ac Belgis; eorumque à Pyrenæo ad Garumnam Aquitanos, à Garumna ad Sequanam Celtas, inde ad Rhenum uſque pertinere memorat Belgas. Et ut intelligatur haud Vahali, ut velle viſus eſt Iunius, nec medio inter Heljum & Flevum Rheni ore eam ipſam Belgicæ oram finiendam remotiſſimum Rheni, verſus Boream, oſtium Flevum terminum facit, cum ait: *Rhenus ab Alpibus decidens, prope à capite duos lacus efficit Venetum & Acronium, mox diu ſolidus & certo alveo lapſus haud procul à mari huc & illuc diſpergitur, ſed ad ſiniſtram, amnis etiam tum, & donec effluat Rhenus, ad dextram primum anguſtus & ſui ſimilis, poſt ripis longe ac late recedentibus iam non amnis ſed magis lacus, ubi campos implevit Flevo dicitur, eiuſdemq; nominis inſulam complexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.* Quin & exſtitiſſe in eadem illa inſula ultimum Romanorũ, quod Rheni Borealem & extimum ad Oceanum uſque limitem muniebat, caſtellum, Flevum etiam nomine, docet libro quarto Annalium Tacitus, eiq. Olennium præfediſſe regendis Friſiis præfectum. Sed Iunio impoſitum exiſtimo verbis, quæ ſunt Annalium ſecundo, ubi Rhenum ait idem Tacitus, *ad Gallicam ripam latiorem & placidiorem adfluere, verſoq; cognomento Vahalim accolis dici,* Quo loci Gallica ripa & continens & ipſa Batavorum inſula utrimque capienda, quia iam antea ripam Germanicam definiverat ex adverſo non continentis Galliæ ſed agri Batavi. Dixerat enim: *Rhenus apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, ſervatq; nomen & violentiam curſus, qua Germaniam prævehitur donec Oceano miſceatur, ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verſo*

cognomento Vahalim accolæ dicunt. Et adde ipſum Plinium, licet (ut innui modo) Belgicam haud ultra Schaldim determinare videatur, Batavorum tamen & Caninefatum ac Friſiorum in Rheno inſulas Gallici Oceani facere, ut habet diſerte inſcriptio ac titulus capitis decimiquinti Libro quarto Naturalis Hiſtoriæ. Quo etiam ex capite primus omnium idem Iunius, exploſa quorundam inſulſa nimis aſſeveratione de *Batua* & *Batavia*, quaſi locis ac regionibus diverſis, oſtendit quænam olim Plinio fuerit, & quouſque Batavorum porrigeretur inſula, quibus circumcluſa teneretur finibus, ut nullus metator exactius: hoc tamen, niſi me fallit opinio, halucinatus, quod ipſum Plinium cum Druſo
Cap. 5. Bata. Nerone iis in locis militaſſe aſſerat. Falli vero eum inde liqueat, quod ab obitu in Germania Druſi aduſque Plinij obitum, ſint anni circiter octuaginta ſex. moriens enim, imperante Tito, Plinius annos tantummodo expleverat quinquaginta circiter ſex. Vnde certo colligere eſt, moriente Druſo, ne quidem in rerum natura exſtitiſſe maiorem Plinium, utpote quiſ, iuxta propoſitum calculum, anno demum triceſimo poſt Druſi Neronis obitum naſci potuerit. Sed deceptus fortaſſe, aut lapſus memoria, Iunius ob verba Plinij iunioris, quæ ſunt Epiſtolarum Libro tertio, ubi de avunculi vita ſcriptiſque hunc in modum inter cætera loquitur: *Bellorum Germaniæ viginti*
Epiſt. 5. *libros, quibus omnia, quæ cum Germanis geſſimus bella collegit. Inchoavit cum in Germania militaret, ſomnio monitus. Adſtitit enim ei quieſcenti Druſi Ne-*

ronis effigies, qui Germaniæ latiſsime victor, ibi periit: commendabat memoriam ſuam, orabatque ut ſe ab iniuria oblivionis adſereret. Vnde quidem militaſſe in Germania Plinium colligas; at non militaſſe cum Druſo Nerone. Et ut hic halucinatus videatur Iunius, ita neſcio qua fide Tacitum citet quaſi Claudium Civilem ex poſteris Batonis editum prodiderit; cum indicet ſimpliciter Tacitus lib. 4. hiſtor. Iulium Paulum & Claudium Civilem regia ſtirpe multo ceteros anteiſſe, nullibi Batonis addita vel mentione vel nomine. Quæ autem exinde de eodem Batone quaſi rege Batavorum Iunius ibidem prolixius refert, eiuſmodi ſunt, quæ Gerhardus Neomagus excepiſſe ſe fatetur ex neſcio quibus Gelriæ Ducum hiſtoriis. Quas ego hiſtorias nulla veterum autoritate ſubnixas ſubleſtæ ac dubiæ fidei non verear arceſſere; Iunij tantum purgatas illas ac criticas aures non offendiſſe hoc vero ſerio demiror, dum fabulis manifeſtis origines veras involverent. Nec ſtetit hac fini malum, ſed ut error errorem, & vara, quod dicitur, vibiam ſequitur, ita & Iunius Batavorum, ut dixi, principe conſtituto Batone, addidit eundem etiam de ſuo nomine Bataviam nuncupaſſe, quod aliud non ſonaret, quam Batonis peculium, quaſi dicas **Batens have**. Eſt enim **have** peculium, lingua noſtrate vernacula. Verum ut nullo idoneo teſte prolatum iſtud de Batone iam monuimus; ita quoque etymon idem per ſe facile corruiturum, cuique manifeſtum puto. At veriſſimum cenſeo (quod alibi nobis licet indicatum obiter hic repetam) *Bataviam* & *Velaviam*, quæ Rheni ſolo interpoſitu ab

Cap. 1. Bata.

invicem

BIBLIOTECA ...

invicem diſpeſcuntur, ex comparatione quodammodo latifundiorum ita antiquitus indigenis denominata, ut illa, Batavia ſcilicet, ob paſcua præſtantiora **bat** aut **bet ouwe** nomen acceperit; hæc ob eadem minus opima, **vael ouwe.** Eſt enim **bat** ſive **bet**/ quod Latinè melius aut præſtantius diceremus; **ouwe** ager aut paſcuus locus: **vael** denique gilvus color, inter album & rufum medius, qualem fere incultiora omnia & ericetis obſita loca præferunt. Vel etiam **veel ouwe** dicta *Velavia*, ut multitudo quidem latifundiorum intelligeretur, ſed Bataviæ comparando minus præſtantium. Et præter hæc, arguit Iunium vel unicum Dionis teſtimonium, ex quo diſerte diſcitur à terrâ Batavâ, non autem Batone, Batavorum nomen fluxiſſe. Nam inquit: ὅις τὸ τῶν Βαταούων ἀπὸ τῆς Βαταουίας τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου ὄνομα. id eſt, *Bataris à Batava Rheni inſula nomen.* Quod ipſum & filium Douſam fugiſſe videtur, qui Bataviæ nomen una cum Cattis invectum in Bataviam, ſimiliter credidit, Commẽtario ſingulari de Batavia. Hanc ergo veriorem, imo genuinam eſſe, quam nunc retulimus, Bataviæ notationem ſpero me, doctis arbitris, impetraturum. Iunij interim in etymis venandis dexteritatem ſummam fateor. Sed labi ſubinde humanum eſt; quod eidem etiam contigiſſe tertio deinceps Bataviæ ſuæ capite mihi perſuadeo, ubi Plinij Friſiabones **Waterlanders** eſſe, ex opinione etiam aliorum, aſſerens, coniecturam eiuſmodi probabilem habendam demonſtrare conatur ex nominis quoque etymo, quod ſonet Friſiorum ſimios, quaſi *Friſiapones*, quod iſtius gentis forent æmuli, & moribus vitæque ratione conſimiles. At aliud longe dictat rei veritas. Nam conſimili terminatione etiam

Lib.55 cuius loci integram reſtitutionem, vide in Diſcept. Chorogr. Diſcep.7.41.

alios

alios Germaniæ populos invenire eſt, ut ſunt *Triboci, Chaibones*. quamvis Taciti Germania ſervet non *Chaibones*, ſed *Aviones*: Verius tamen eſt, *Chaibones*, quorum aliquoties meminere Panegyrici veteres, licet ſubinde etiam eorundem vacillet lectio in *Cavionum*, quod indubie fuerit *Chaibonum*. Nazarij Panegyrico Livineius toto, ut ſic dicam, cælo devians ſiniſtre mutavit in *Vangiones*, poſthabita lectione ſcripta, *Chabionas*, quæ ad verum rectique fontem digitum intendit. *Vangiones* tamē prætuliſſe ſe ait, quia de Francis non Germanis loquatur Nazari⁹; adeo ut hinc exiſtimaſſe Livineiū appareat alios à Germanis fuiſſe tunc Francos. Quæ ſane inſcitia putidiuſcula fuit. Sed Mamertinus, quod errantem in viam revocare debuit, fere ſolus genuinam vocem eāq; inviolatam & integram retinuit in Genetliaco, ubi ita loquitur: *Cum omnes barbaræ nationes excidium univerſæ Galliæ minarentur, neque ſolum Burgundiones & Alemani, ſed etiā Chaibones Erulique*. Dicti autem ita hi populi ex veteri Germanorum idiomate, quibus ba *habitare* & *habitationē* denotabat, nunc fere eius vicem wonen per w non per B efferunt, quamvis in vocabulo boede / quod *officinam* eiſdem ſignificet, veteris iſtius pronunciationis quoddam veſtigium adhuc remanſerit: ideoque unum idemque erit ſive ſcribamus *Chaibones* ſive *Chaivones*, ut, *Iſtevones*, *Ingevones*. Dani hodieque priſcam dialectum retinent, qui habitare boe / non wonen / dicunt. Vnde *Fionenſes* & *Falſtrienſes* inſulanos, *Funbones* & *Falſterbones* etiamnum diſerte nuncupant. *Funbo* enim & *Falſterbo* numero ſingulari dicunt; quod pluralitatis numero ſi efferatur erit, ut poſuimus, *Funbones* & *Falſterbones*. Quid ergo de *Friſiabonibus* hiſce Plinianis ſimiliter nunc ſtatuendum

tuendum ſit, hinc unicuique liquere ſatis ſuperque exiſtimo.

Tacitus explicatus 4. Hiſt. Verum antequam manum de tabula, duo inſuper de Batavia adiicienda veniunt. Prius iniecit Tacitus; Strabo alterum. Omnino enim ex Tacito perſuaſum habeam veteris Bataviæ latiora fuiſſe, quam Vahalis vulgo Rhenique ambitu circumſcribuntur, pomeria, adeo ut quidquid eſt intra Moſam Vahalimque (Moſevaliam hodie nominant) Batavicæ etiam ditionis habitum olim exiſtimem. Opinionis huius fundus mihi, quem dixi, Tacitus; cuius de prima in has oras Cattorum migratione verba ad hanc ſententiam ſunt luculẽtiſſima: *Batavi*, inquit, *donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, ſeditione domeſtica pulſi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus ſimulq; inſulam inter vada ſitam occupavere.* Vbi præter inſulam, etiam continentem exaudias; quam aſpectu ſive Cæſaris ſive continentis Galliæ ſive anterioris ſeculi, *extrema Gallicæ oræ* nominat, cum videlicet ad extimum ac Boreale Rheni oſtium, Flevum puta, arma imperiumque Romani nondum protuliſſent. Nam alias, ut

Diſcep. Cho. 18 ſupra & alibi oſtendimus, libenter & populariter non Gallis tantum accenſet, ſed & *partem imperij Batavos* fatetur Tacitus: nunc unum inſuper adiecisse locum ex 4. hiſtoriarum ſufficiat: Ait ibi quem dixi author: *Batavo equite protritos Aeduos Arvernoſque: fuiſſe inter Virginij auxilia Belgas, vereque reputantibus Galliam ſuiſmet viribus concidiſſe. Suiſmet viribus*, Batavorum puta, quos ibi nominat, Belgarumque.

Strabo lib. 4. Alterum deinde, quod iniecit Strabo, habetur quarto Geographiæ; ubi de Rheni oſtiis ita loquitur: *Vterque & Sequana & Rhenus à meridie verſus Septentrionem fluit, &*

eſt

eſt eorum oſtijs obiecta Britannia, Rheno vicinior, ita ut Cantium, quod eſt orientale inſulæ promontorium, apud oſtia eius cerni poſſit. Quo loci duplicem animadverſionem meretur Strabo. Primo, quod viciniorem Rheno, quam Sequanæ faciat Britanniam; tum quod cerni apud oſtia eiuſdem Rheni poſſe cenſeat Cantij promōtorium. Nam quod ad prius, aliud fere exhibent hodie Ptolemæi aliique pinaces chorographici. Ad alterum dico, cum ultra viginti integra miliaria Germanica diſtet à Rheni occiduis oſtiis (quæ tantum agnoviſſe videtur Strabo) orientale promontorium Cantij, non niſi Lynceum aliquem, oculorum acie id adſecuturum. Certe noſtrates hodie Batavi longe diſſimiles iſti Siculo, quem adeo perſpicaci exactoq; obtutu fuiſſe refert Ælianus, ut è Lib. 11. Var. Lilybæo aduſq; Carthaginē quæ ſolvebant naves, indicaret, neque ullam prætermitteret. Quocirca aut falli dicendum eſt Strabonem, aut fortaſſe, quod erit verius, aliam fuiſſe eius ævo Batavici littoris faciem, longeque verſus occidentem, quam hodie, porrectiorem. Nam in totum elevare hac parte veterum fidem, quis audeat? ideoque huiuſmodi viciſſitudines oceani potius, qui totis his oris imminet, infidæ ſocietati adſcribere inclinat animus. Nam ubi etiam hodie locorum ille Burdo fluvius, quem tamen mediæ adhuc ætatis ſcriptores in Friſiis collocant? Cæſum enim ibi à Martello Rabodum Friſiorum regem refert Aimonius. unde nec abſona coniectura hariolatur Douſa pater eius etiamnum, abſumta videlicet continente, ſupereſſe veſtigia, aut ſaltem nominis reliquias, in illo gurgitis alveo, qui Amelandiæ ac Schellingiæ inſulis interiectus, vocabulo Boerdiep/ pinacibus hydrographicis

ac navigantibus hodieque eſt cognitus. Et ut magis magiſque in ipſas origines patriæque primam ac priſtinam faciem inquiramus, prodidit ſcriptis, ante annos haud paucos Nãnius Alcmarianus, meminiſſe ſe avum ſuum nonagenario maiorem narrare ſolitum, cum avulſa ex Daniæ aut Cimbriæ Cherſoneſi littoribus inſula ſe ſuperfudiſſet, neſcio quibus Hollandiæ ſtagnis, repetitum veniſſe Danos ſuas terras, ac litem ſuper ea re inſtitutam fuiſſe, iudicatumque ut alienum ſolum vel liberarent peregrina inſula, vel poſſeſſoribus cederent. Nec ſinit nunc locus inquirere curioſius in ipſa Nannij verba, fidei tamen & rei non abſimilis ergo addam Plinium qui poſtquam indicaſſet viſas ſibi Chaucorum gentes in vadis fere Oceani, ſine arbore ulla ac frutice viventium, adiicit altiſſimas eſſe quercus haud procul ſupra dictis Chaucis, & factum forte, dum circa inferioris Germaniæ littora Romanorum claſſes agerent, ut procul quaſi ingentem hoſtilium navium vim viderint, quibus dum occurrunt conflicturi, non in aciem hoſtilem, ſed in arbores una cum inſulis natantes inciderint, quæ ad proxima quæque littora raperentur.

Lib. 10. Miſcell.

Lib. 16. cap. 1.

Sed extra fortaſſe rem iſta. In gradum ergo redeuntes cum Mela concludimus Galliam Belgicam aduſque Rheni extremum caſtellum ſeu ripam, Flevum nimirum, intelligendam. Plinium vero qui tantum à Sequana ad Schaldim uſque videbatur finire, ut patuit capite ſuperiori ſub finem, ita accipimus, ut id certi diſcriminis ergo fecerit, non quod extra Galliarum aut Belgicæ complexum cenſuerit eos, qui intra Schaldim & Rhenum colunt, ſed ut oſtenderet obiter, Rhenum adhabitantes eſſe fere origine gentis Germanicæ. Quo-

circa ubi Galliam comatam diſtribuiſſet in Belgicam, Celticam & Aquitaniam, enumerat primum qui Belgæ interiores, id eſt, quinam populi à Schaldi ad Sequanam uſque pertineant, adijcitq; exinde Rhenum & in Rheno accolêtes, Belgicæ ſimiliter Romanoq; limite concludi, cum ait: *Rhenum autem accolentes Germaniæ gentium in eadem provincia Nemetes, Triboci, Vangiones; hinc Vbij, colonia Agrippinenſis, Gugerni, Batavi; & quos in inſulis diximus Rheni.* Vbi præcipue ad intelligendum quod volumus duo notanda: primo verba ea, *in eadem provincia*; quaſi diceret quæ Rhenum & illa loca accolunt Germanicæ quidem originis ſunt, degentes tamen in eadem Belgica; hoc enim valet, *in eadem provincia:* quia de Belgica ibi loquitur: Secundo, & Batavos hoc pacto ab eodem Belgis aſſeri; nec Batavos tantum, ſed & reliquos in inſulis Rheni, quod adverſus Iunium (qui Belgicam Vahali tantum finiebat) & eos, qui medium Rheni alveum Imperij ac Belgicæ limitem eſſe, acerrime iam nuper pertendere, repudiatis Plinij & Ptolemæi magnorum authorum aſſertionibus, haud veriti fuerunt, etiam ex Mela demonſtratum hoc loco vel obiter ſufficiet. Nam alibi & proprio ſuo loco diffuſius ac luculentius idipſum oſtenſum nobis ac pertractatum memini.

Cap. 17. Lib. 4.

Ibidem

Vide Diſcep. Chorographicam.

CAP. VI.

DE TACITI MATTIACIS, *QVI VLTRA Rhenum Romanis paruerunt. Zelandos non Mattiacos quidem, ſed Mattiacorum fortaſſe gentem eſſe. Imperij non limitem ſed reverentiam ultra Rhenum prolatum ex eiſdem Taciti Mattiacis tantum oſtendi.*

Atque eſſe hæc ſatis poſſint ad oſtendendũ Romani Imperij, verſus Boream, limitẽ fuiſſe, præter Danubium, Rhenum proprie; niſi aliud ſubinde loqui viderentur authorum veterum verba: & inter alia vel illa Taciti libro de moribus Germanorum: *Eſt in eodem* (cum Batavis ſcilicet) *obſequio Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraque* VETERES TERMINOS *Imperij reverentiam. Ita ſede finibuſq́ in ſua ripa mente animoq́ nobiſcum agunt, cetera ſimiles Batavis, niſi quod ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo & cælo acrius animantur.* Diſerte enim iis innui videtur Imperij limitem etiam ultra Rhenum Romanis prolatũ. Quod ſi ſit, quo ergo terrarum iſti olim Mattiaci? Varie id hodie inter eruditos agitatur. Sunt qui Zelãdos Hollandiæ conterminos opinentur; ſunt qui eſſe in Germania malunt iuxta Cattos; quia ipſe Tacitus *Mattium*, primo Annalium, agnoſcit *genti Cattorum caput*, cuius hodieque veſtigium referat Matmeld / atteſtãte Althamero. Et addunt præter Ptolemæum, qui *Mattiacum* ex adverſo Bonnæ trans Rhenum collocat, Mar-

Tacitus de Moribus Germanorum.

num

num verſus, etiam Plinium ſcribere: *Sunt Mattiaci in* Lib. 31.
Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum hauſtus triduo cap. 2.
fervet. Et certe iſtos fontes exſtitiſſe ex adverſo Maguntiæ (ubi hodieque trans Rhenum ſunt thermæ calentes plurimæ, ut VVyſbadenſes aliæque) vel ex Ammiano colligere eſt; qui Valentinianum ait in Alemanos moventem, circa Maguntiam, conſtrato navali ponte, præmiſiſſe contra *Aquas Mattiacas* Severum. Lib. 29.
Adeo ut dubitandum non ſit, ipſos Mattiacos ex adverſo Magunciaci in ipſa Germania trans Rhenum locatos fuiſſe.

Priori tamen ſententiæ, Zelandos ſcilicet eſſe poſſe Taciti Mattiacos, qui ſuffragari velit, hoc præcipue dixerit, Taciti illa è libro de Moribus Germanorum prolata verba unice reſpondere genio gentis Zelandicæ; ſed & populorum, quæ ordine ibidem apud Tacitum præcedit, deſcriptionem, eiuſque ſeriem id ipſum haud abnuere. Nam enumeraturus Tacitus quæ nationes è Germania in Gallias commigraverint, orditur ab Helvetiis, atque ita, velut à capite ad oſtia & inferiora Rheni progreſſus, ad Treviros mox pergit ac Nervios: inque ipſa Rheni ripa Vãgiones, Tribocos, Nemetes: quibus, continenter deſcendendo, ſubiungit Vbios, his Batavos, iiſque ab altera, ex adverſo quaſi, ripa, quam dixi iam Mattiacorum gentem, utpote populum Rheno accolentem ultimum. Verum quod ad prius reponendum, in Taciti verbis maxime cælum aut ſolum ſpectari, quo nimirum horridiori animentur quam Batavi acrius Mattiaci, utpote in ipſa Germaniæ continente collocati: At Zelandis non tam cælum aut ſolum, quã ipſum ſalum & undique influens circumfluuſq; occa-

nus addit animos geniumque exaſperat. Deinde gentium ſeriei, quam inſtituit ibidem Tacitus, quamvis convenire quodammodo Zelandiæ ſitus videatur, pugnat tamen & reluctatur, quod obſequij præcipue, non finium aut ſedium aſpectu Batavis Mattiacos coniungat. Quod autem Lemnius olim admonuit ideo fortaſſe Zelandos dicendos Mattiacos, quia invicem **maet** & **maetroes**/ id eſt, ſocios & contubernales populariter nominant, iocularis eſt potius, quam ponderis alicuius demonſtratio. Plus habeat argumenti ad oſtendendum non modo cognatam fuiſſe Batavis gentem Mattiacos, ſed in vicinia quoque egiſſe, quod adferebat ex ſuis ad Martialem ſcedis noſter Scriverius, ſaponem videlicet Batavicum modo *ſpumam Batavam*, modo *pilas Mattiacas* Martiali indifferenter appellitari. Nam cum dixiſſet lib. 8. Epigram.

Cap. 2. lib. 4. de occul. Naturæ Miraculis.

Martialis l. 8. Ep. 33

Et mutat Latias ſpuma Batava comas,

alibi hoc ipſum ſmegma intelligens, in trochiſcos præſertim & orbiculos conformatum ad flavedinem maiorem capillitio inducendam, ita effert.

Lib. 14. Lem. 24.

Si mutare voles longævos cana capillos:
Accipe Mattiacas (quo tibi calva) pilas.

Quamvis iis locis proprie non ſitum, ſed morum & gentium Germanicarum affinitatem ſpectari exiſtimē, ut liquido ſubindicat alius eiuſdem Martialis verſiculus, in quo eandem hanc ſpumam Theutonibus tribuat, cum inquit, *Cauſtica Theutonicos accendit ſpuma capillos* Vt ita quod hic *Theutonicum* dicitur, ibi *Mattiacum & Batavicum*, late nimirum & ἐν πλάτει ſumptis vocibus

cibus, pro eodem efferatur. Nec aliter Silius ultima hac voce uſus illo verſu: Lib. 3. Bel. Pu.

At tu tranſcendens Germanice facta tuorum
Iam puer auricomo præformidate Batavo.

Batavo enim ibi eſt toti Germaniæ. Nam ecquis Batavis ſolis non etiam in vicino ceteris Germaniæ populis formidatum Germanicum dicat?

Quomodo ergo locum non habeat eorum ratio, qui ſuperiores ex Tacito Plinio ac Ptolomæo Mattiacos cum Zelandis eoſdem faciunt, ita viciſſim negare non auſim eſſe eiuſdem cum Batavis, hoc eſt Catticæ Mattiacæque originis Zelandos. Quod præter alia vel oppidum Zelandiæ Catzium adſtruere videtur, aquis ante annos aliquot obrutum & nunc turrim ſolam è fluctibus prominentem ſimulque gentis ac conditorum ſuorum proſapiam quaſi oſtentans. Sed de eo cum alibi luculenter ſatis diſputatum nobis ſit, hic omittimus. Ad concluſionem itaque hoc addendũ Mattiaci cum intelligantur, ut iam oſtendimus, qui ex adverſo ſtatim Maguncîaci trans Rhenum poſiti, ſcire refert non Imperij LIMITEM ſed obſequium tantum, &, ut ipſe loquitur Tacitus, *Imperij Romani reverentiam* eo uſque prolatam, in verbis eiuſdem hiſtoriographi ſupra poſitis accipiendum. Nunquam enim poſt cladem Varianam ſeria Romanis mens fuit, non dico circumſcriptum terminum tranſcendere, ſed LIMITEM ipſum promovere. Indicat occulte idem Tacitus, de Auguſto verba faciens, *Bellum*, inquit, *ea tempeſtate nullum niſi adverſus Germanos ſupererat, abolendæ* Vide Diſc. Chorogr. Tacitus Annal. 1.

magis infamia, quam cupidine proferendi imperij, aut dignum ob præmium. Et iterum in vita Agricolæ: *Longa oblivio Britanniæ etiam in pace, conſilium id D. Auguſtus vocabat, Tiberius præceptum.* De Claudio quoque alibi: *Ideo Claudius adeo novam in Germaniam vim prohibuit ut referri præſidia cis Rhenum per literas iuberet.* Quod & Corbuloni, rebus Germanicis tum præfecto, inque ſolo hoſtili caſtra molienti, diſplicuiſſe idem refert, & tamen receptui ſignum dediſſe nihilque aliud prolocutum quam, *Beatos quondam duces Romanos!* Meminit etiam prolixe Appianus in præfatione operis. Vt vel hinc etiam confutetur opinio exiſtimantium alium quendam Taciti locum, qui eſt de Curtio Rufo, exercitus Romani præfecto, *in agro* Africæ *Maziaco* ſpecus recludente quærendis venis argenti, non de Africæ, ſed *agro* Germania *Mattiaco* intelligendum. Nam cum ibi Tacitus addat, *legionibus cum damno labori fuiſſe ecfodere rivos, & quæ in aperto gravia, humum infra moliri*, facile animadvertere eſt (ut omittam autoritatem & fidem MSS. codicum non *Mattiaco*, ſed *Maziaco* ſervantium) abſurdum fore, ſi dicamus plenas Romanorum legiones ultra imperij limitem tam ſecure egiſſe, ut, poſitis armis, ligones tractarint. Nam quod iam ex ſuperioribus, quæ attulimus, fortaſſe reponat quiſpiam in obſequio Romanorum fuiſſe Mattiacos, ex iiſdem faciliime ſimiliter ſolvitur, nimirum in obſequio fuiſſe quidem, id eſt, ut iam ex Tacito indicavimus, *reverentiam imperio* detuliſſe, interim liberos &, ut Batavi, ſui iuris, & oneribus denique ac collationibus exemptos egiſſe: ut nihil ſit alienius, quam dicere cum totis legionibus legatum agris Mattiacorum incubuiſſe, eorumque, ſi quod fuiſſet, argento ac ſubterraneis

Annal. 11.

Ibidem

Annal. 11.

neſs venis ecfodiendis eaſdem legiones fatigaſſe; quomodo & alibi plenius nobis monſtratum hic nō repetimus. Quapropter firmū ratumque eſſe imperij LIMITEM circa Rhenum perpetuo conſtitiſſe. Quod & ſequens quoque ſeculum & præſertim Ammianus Marcellinus, cum jam Alemanorum, Saxonum Francorumq. novitijs vocabulis Germani Romanis innoteſcerēt LIMITEMQVE imperij certatim laceſſerent, evidenter evincat, ut ſuo mox loco demonſtrabitur luculentius. Vide Diſcep. Chorogra Diſcep. 1.

CAP. VII.

IN RIPAM SEV LIMITEM ROMANORVM *neminem ex adverſa Germanorum ripa niſi inermem & ſub cuſtode admiſſum.*

DEſignato hunc in modum Imperij limite, nō omittendus circa eundē notabilis proprieq; huc pertinēs ritus: Summæ enim Romanis in utraq; iſta cum Danubij tū Rheni cuſtodia curæ erat, ut externus nemo ex adverſa præſertim Germanorū ripa, vel admitteretur exciperetúrq; niſi inermis, & dato cuſtode, atq; arbitro actionū. Patet ex quarto hiſtoriarū, ubi acris hac de re querela tranſrhenanorū ad Agrippinēſes. Verba eorū ſunt: Tacitus lib. 4. Hiſtor. *Ad hūc diē flumina & terras & quodammodo cælum ipſum clauſerunt Romani, ut colloquio congreſſuque noſtros arcerent: vel quod contumelioſius eſt viris ad arma natis, inermes ac prope nudi ſub cuſtode & pretio coiremus.* Itemque in reſponſo Agrippinenſium: *Sint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni & inermes.* Et indicat idem Tacitus ſolis Hermonduris præ-

rogativam fuiſſe, ut non ripam tantum Romanorum (de Danubio loquitur) ſed etiam interiora commerciorũ cauſa libere & ſine cuſtode permanerent. Ait enim; *Hermundurorum civitas fida Romanis: eo ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus atq; in ſplendidiſſima Rhetiæ provinciæ colonia, paſſim ſine cuſtode tranſeunt, & cum cæteris gentibus arma modo ac caſtra noſtra oſtendimus, his domos villaſque patefecimus, non concupiſcentibus.* Quo autem ſitu & parte Germaniæ Hermunduri egerint ex eodem Taciti loco ſatis patet, cum Danubio quam Rheno propiores faciat. Ita enim proxime præcedit: *Propior (ut quomodo ante Rhenum; ſic nunc Danubium ſequar) Hermundurorũ civitas, fida Romanis &c.* Facit huc denique & ritum hũc nõ leviter etiam illuſtrat illud Claudiani, ſed blandius quam verius, in gratiam Stiliconis, ut & alia ejuſdem Claudiani pluria, prolatum:

Tacitus in Germ.

Rhenumque minacem
Cornibus infractis adeo miteſcere cogis
Ut Salius jam rura colat flexoſq; Sicambri
In falcem curvent gladios, geminaſq; viator
Cum videat ripas, quæ ſit Romana requirit.

Quo loci notandum *geminas ripas* intelligi cum Germanorũ tranſrhenanam, tum limitaneã Romanorum quæ & ciſrhenana erat; utramque autem tam à Germanis quam à Romanis promiſcue & indifferenter frequentatam.

CAP.

CAP. VIII.

RIPA ROMANO LIMITI OPPOSITA, ID EST, Germaniæ tranſrhenana, & quatenus ea Iulio Cæſari cognita fuerit: deque Svevis, Vbiis ac Sicambris itemque ſilvis & fluminibus Germaniæ eidem Cæſari nominatis, &c.

EXigit nunc orationis reique ſeries ut adverſam huic Limiti, Germanorum videlicet, ripam conſideremus. Quod ut recte atque ordine fiat à Cæſare ſumendum initium. Cæſar enim profligato in Galliis Arioviſto Belgiſque ſuperatis, tranſiit ponte Rhenum, & Germaniam Italiæ quodammodo primus oſtendit. Qui ergo eidem tum *populi*, quæ *flumina* ac *ſilvæ* & quatenus innotuerint, nunc indicandum.

Populos præcipue tres peculiariter ei nominatos reperio *Svevos*, *Vbios* ac *Sicambros*. *Svevorũ* gentẽ maximã & bellicoſiſſimam Germanorũ omnium fatetur; nec ipſe tantum ſed ipſi etiam, qui tunc erant, Germani. Cum enim ab Rheno diſcedere Germanos, miſſis legatis, iuſſiſſet Cæſar; legatos viciſſim illi remiſerunt ad Cæſarem referentes inter alia, ſe neque priores populo Romano bellum inferre, neque tamen recuſare ſi laceſſerentur, armis contendere: ſeſe unis Svevis concedere, quibus ne Dij quidem immortales pares eſſe queant: reliquum in terris eſſe neminem, quem non ſuperare poſſint. De ijſdem quoque Cæſar hæc habet: *Svevorum gens eſt longe maxima, & bellicoſiſſima Germanorũ omnium. Ii centum pagos habere dicuntur: quotannis ſingula*

Svevi.

Lib. 4. Bel. Gall.

ibidem.

millia armatorum, bellandi cauſa ſuis ex finibus educunt. reliqui domi manent. pro ſe atque illis colunt. hi rurſus in vicem anno poſt in armis ſunt: illi domi remanent. Sic neque ratio, neque uſus belli intermittitur, ſed privati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt: neque longius anno remanere uno in loco, incolendi cauſa, licet. neque multum frumento, ſed maximam partem lacte atque pecore vivunt, multumque ſunt in venationibus. quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod a pueris nullo officio, aut diſciplina aſſuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit & immani corporum magnitudine efficit. atque in eam ſe conſvetudinem adduxerunt, ut locis frigidiſſimis neq; veſtitus præter pelles, habeant quidquam, quarum propter exiguitatem, magna eſt corporis pars aperta; & laventur in fluminibus. mercatoribus eſt ad eos aditus, eo magis, ut quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant; quam quod ullam rem ad ſe importari deſiderent. quin etiam jumentis, quibus maxime Gallia delectatur, quæque impenſo parat pretio, Germani importatis non utuntur; ſed quæ ſunt apud eos nata prava atque deformia, hæc quotidiana exercitatione, ſummi ut ſint laboris efficiunt. equeſtribus præliis ſæpe ex equis deſiliunt ac pedibus præliantur; equoſque eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt; ad quos ſe celeriter, quum uſus poſcit, recipiunt. neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habetur, quam ephippijs uti. itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audeant. vinum ad ſe omnino importari non ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atque effeminare arbitrantur. publice maximam putant eſſe laudem, quam latiſſimè à ſuis finibus vacare agros: hac re ſignificari, magnum numerum civitatium ſuam vim ſuſtinere non potuiſſe. itaque una ex parte à Svevis circiter millia paſſum DC agri vacare dicuntur. Ad alteram partem ſuccedunt Vbij &c. Vt ita Svevorum ſedes quamvis

quamvis Cæſari haud exacte tum adhuc exploratæ fuerint, hoc tamen ex ijs, quæ jam attulimus colligere ſit, fuiſſe à parte Rheni locatos ſupra Vbios orientem verſus. Vbios enim ſæpenumero Svevorum injuriis atq; incurſionibus laceſſitos, Svevisque ab altera parte vicinos indicat paſſim libris de bello Gallico. Sexto verò libro diſertè ſe ex Vbijs amicis ſuis cognoviſſe inquit Cheruſcis etiam proximos fuiſſe. Ait enim: *Referunt Vbij Svevos cum omnibus ſuis ſociorumque copijs penitus ad extremos fines ſe recepiſſe, ſilvam ibi eſſe infinitæ magnitudinis, eamque longe introrſus pertinere, & pro nativo muro objectam, Cheruſcos à Svevis; Svevos à Cheruſcis injurijs incurſionibusq; prohibere.* Alias Danubium etiam verſus porrectos liquet ex eodem Cæſare, qui, præter Marcomannos & Harudes etiam Svevos agnoſcit Arioviſti ſocios atque auxiliares. Arioviſtus autem intra Danubium Rhenumq; circa ipſos, quantum judico, Svevorum terminos ſedē habuerit. Nam & uxor ei fuit Svevica. Patet ſimiliter ex Cæſare, qui poſtquam narraviſſet, quomodo eius eſſet profligata acies hæc adiicit: *Arioviſtus Germanorum Rex naviculam deligatam ad ripam (Rheni) nactus ea profugit: reliquos omnes equites conſecuti noſtri interfecerunt. duæ fuerũt Arioviſti uxores, una* SVEVA *natione, quam domo ſecum adduxerat; altera Norica, regis Vocionis ſoror, quam in Gallia duxerat à fratre miſſam. utraque in ea fuga periit. duæ filiæ harum, altera occiſa, altera capta, &c.*

Vbios deinde, Cæſaris eiuſdem tempeſtate, trans Rhenum adhuc egiſſe ex allatis jam ſatis conſtet & illis porro Cæſaris verbis: *Vbij autem, qui uni ex tranſrhenanis ad Cæſarem legatos miſerant, amicitiam fecerant, obſides dederant, &c.* Horum civitatem amplam florentemque fuiſſe refert, Vbij.

fert, cæteris Germanis etiam humanitate præſtitiſſe quod proximi Rhenum attingerent. Ita enim ait poſtquam de Svevis dixiſſet: *Ad alteram partem ſuccedunt Vbij. quorum fuit Civitas ampla atque florens, ut eſt captus Germanorum, & paulo, qui ſunt ejuſdem generis, etiam cæteris humaniores; propterea quod Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, & ipſi propter propinquitatem Gallicis ſunt moribus aſſuefacti.* Et ſtatim addit: *Hos cum Svevi, multis ſæpe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis, finibus expellere non potuiſſent, tamen vectigales ſibi fecerunt &c.* Incoluiſſe autem ea loca, ubi nunc eſt ager Montenſis, & ille contra Coloniam Agrippinam ſuperior tractus vix eſt ambigendum. Hîc Cæſar Rhenum bis ponte tranſgreſſus eſt; cum, ut defenderet ab injuriis Svevorum ipſos Vbios; tum ut Sicambros ulciſceretur, omnibuſque Germanis metum injiceret.

Lib.4. Bel. Gall.

Prior tranſitus, de quo lib. 4. Belli Gallici, in Vbiis inferioribus adverſus Sicambros factus colligitur; alter in Trevirorum ditione, paulo ſupra locum priorem, in eodem tamen Vbiorum territorio,

Lib.6. Bel. Gall.

ut ipſemet Cæſar ſubindicat, ubi pontis partem ultimam ripas Vbiorum contigiſſe commemorat. Ita enim habet: *His conſtitutis rebus, paullum ſupra eum locum, quo antea exercitum tranſduxerat, facere pontem inſtituit.* Deinde poſt pauca addit: *Cæſar, poſtquam per Vbios exploratores comperit Svevos ſeſe in ſilvas recepiſſe; inopiam frumenti veritus, quod, ut ſupra oſtendimus, minime omnes Germani agriculturæ ſtudent, conſtituit non progredi longius: ſed, ne omnino metum reditus ſui barbaris tolleret, atque, ut eorum auxilia tardaret, reducto exercitu* PARTEM VLTIMAM PONTIS, QVÆ RIPAS VBIORVM CONTINGEBAT, *in longitudinem pedum CC reſcindit:*

reſcindit; atque in extremo ponte turrim tabulatorum IV conſtituit, præſidiumq́; cohortium XII *pontis tuendi cauſa ponit, magniſque eum locum munitionibus firmat.* Vnde & Vbios haud exiguam Rheni portionem occupaſſe veriſimile fit.

Iam SICAMBRI, quo loci id temporis ſedes & territorium habuerint, intelligitur ex eodem Cæſare, qui eos proximos Rheno conſtituit; & ut ipſam ſedem, quaſi intento digito, notaret, ait trāſiviſſe ipſos Rhenū, fines Eburonum invaſuros triginta millibus paſſuum infra locum, quo Rheni illum pontem ſecundo collocatum a Cæſare fuiſſe iam innui: adeout Vbiis exſtitiſſe quam proximos, ſed occaſum verſus nonnihil inferiores, omnibus in propatulo ſit, præſertim ſi & illa Cæſaris accuratius in conſilium adhibeantur, ubi ait: *Trans Rhenum ad Germanos fama pervenit, diripi Eburones, atque ultro omnes ad prædam evocari. cogunt equitum* II *millia Sigambri, qui ſunt proximi Rheno, a quibus receptos ex fuga Tenchteros atq́; Vſipetes, ſupra docuimus: tranſeuntes Rhenum navibus ratibusq́;* XXX *millibus paſſuum infra eum locum, ubi pons imperfectus erat, præſidiumque à Cæſare relictum, primum Eburonum fines adeunt.* Ptolemæus etiam, tabulas fortaſſe ſecutus vetuſtiſſimas, non alio eoſdem ſitu agnoviſſe colligitur. Poſtmodum Vſipetes ac Tencteros ſedibus ſuis à Svevis deturbatos iiſdem ſe Sicambris junxiſſe Cæſar idem tradidit. Qui exinde Vſipetes eum in modum ad inferiores has Rheni ripas devoluti nominis etiamnum ſui veluti tenue quoddam veſtigium reliquiſſe fortaſſe videntur in oppido Veſopo, Hollandicæ nunc ditionis, Vectæ amni, qui è Rheno originem ſuam ducit, appoſito. Nam & Ptolemæus, qui in ſede adhuc primigenia

Sicambri.

Lib 6. Bell. Gall.

migenia eoſdem collocat, non *Vſipetes* ſed *Viſpos* nominat. Quamvis Hadrianus Iunius Zutphaniæ originationem inde retulit. Nec ego, quod ad oppidi poſitum, valde abnuam, cum certum ſit illis præſertim terræ partibus egiſſe Vſipetes: verum ipſum uocabulum penitius introſpectum nonne reclamat manifeſto? **Zutphen** enim quid ſit aliud quam ager & locus paluſtris auſtralior, quaſi **Zuypt Veen** ſive **Zuyder Veen** dictum? Nec abſimile de Tencteris quoque judicium ſit, quorum hodieque origo, non abludente itidem vocabulo, recognoſci putatur in Tranſiſelanis præſertim

Tuente. interioribus, quos Tuentenos Trentenoſque nuncupa-
Trente. mus.

Quocirca etiamſi plures Germaniæ populi referantur in Cæſaris Commentarijs, ut ſunt, quos poſui, *Vſipetes, Tencteri, Cheruſci, Marcomanni, Harudes*, & ſi qui fortaſſe minorum gentium alij, tres nihilominus iſti celebratiſſimi tunc fuerūt, utpote qui Cæſari potiſſimum negotium faceſſerint.

Lib. 6. Bel. Gal. Porro *flumina*, præter *Rhenum* ac *Danubium*, eidem Cæſari ne quidem fando jnnotuerint: ſicuti nec *ſilvarum*, niſi *Bacenis* & *Hercyniæ* nominatim meminit: Hercyniā etiam Eratoſtheni alijſque Græcorum nonnullis fama fuiſſe cognitam adjicit, ejuſque fertiliſsima loca occupaſſe ex Gallijs in Germaniā advenas Tectoſages. Plinius Hercynium nemus nominavit: De quo Rhellicanus in Notis ad Cæſarem hæc fere non indigna hoc loco, commemorat, Vnam eandemque eſſe ſilvam, veterum *Bacenim, Martianam, Gabritam, Semanam* & *Hercyniam*. hodie vero diverſis nominibus appellari, nam juxta Friburgum Briſgaviæ **Schwartzwalt**/ prope Heidelbergam

delbergam, Odenwaldt; ad Lonā amnem, prope Confluētes Weſterwaldt/prope Francofurtū Speſſhartz; in Saxoniæ faucibus ad Manſſeldenſem ditionē, Auff den Hartz; denique à Thuringis, Thuringer-waldt, & Beſemer-waldt à Bohemis dici: Quamvis ab his nonnihil diverti videatur Aventinus, erroris ſcilicet arguens, qui Hercyniam Bacenim crediderunt. Qui & addit appellatam Hercyniam nemuſque Orcinium ab Hartzt, quod reſina & pix Germanis hodieque.

CAP. IX.

DE SVEVIS, VBIIS AC SICAMBRIS EORVMQ; ſedibus accuratius, & quatenus cogniti Romanis poſt Iulium, ætate Auguſti. ubi & aliarum inter Albim Rhenumque gentium locorumque, nec non fluminum interlabentium, Strabone præeunte, Chorographica inſtituitur enodatio.

POST Iulium, Romano imperio ac bellis paternis ſuccedente felicibus auſpiciis Auguſto, Boream verſus, ad Albim uſque reſerata Germania. Vlterius progredi &, Albi tranſmiſſo, perſequi rebellantes nunquam Auguſtus voluit, nec aſſentire cupientibus potuit. Strabo, qui eodem fere ævo Geographicos Commētarios, qui hodieque ſunt in manibus, pertexere inſtituit, cauſam hanc dat; *cenſuiſſe videlicet Auguſtum ſe bellum quod erat præ manibus confecturum, ſi populos ultra Albim ſitos ac nihil moventes miſſos faceret, neque irritos maleficio, ad ſocietatem cum hoſtibus ineundam invitaret.* Quamvis Ta- Lib. 7.

 citus,

ſub Theodoſio & Gratiano imperatoribus claruit, intelligi haud obſcure datur eius ſeculo, eâ Rheni parte, ubi Danubij fere fontes ſũt, eos coluiſſe. Ità enim ille, Danubium Auguſtos alloquentẽ introducens, habet: Auſonius in Epigrãmatibus.

Qua gelidum fontem medijs effundo Suevis,
Imperio gravidas qua ſeco Pannonias,
Et qua dives aquis Schytico ſolvo oſtia ponto,
Omnia ſub veſtrum flumina mitto jugum.

Tacitus præterea ſuo adhuc ævo potiorem Germaniæ partem eoſdem occupaſſe memorat, propriis nationibus nominibuſque diſcretos, ut ſunt Reudingi, Aviones, Angli, Varini aliique fluminibus aut ſilvis muniti: adeò ut immeritò reprehenſionem magni aliàs viri incurrerit olim Lucanus, quod Albicolas Svevos feciſſet, illo verſu:

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis.

Putabat enim * ille Rheno, quam Albi, propiores. Sed ut conſtet etiam ad Oceanum & ad exitum, in mare, Albis, pertinuiſſe, refert Tacitus in inſula Oceani eſſe Svevorum CASTVM NEMVS, in quo dicatum vehiculum veſte contectum; quod attingere ſoli ſacerdoti conceſſum. Hocce *nemus* vernaculo hodie vocabulo **Heylich land** in pinacibus hydrographicis denotari cum eruditiſſimo viro non abs re fortaſſe ſuſpicer; atque ita longa ejuſmodi ſacrorum deſvetudine, corruptè nunc efferri pro, **heylich lund**: Eſt enim **heylich** noſtratibus, quidquid *ſanctum caſtumque* intelligimus, **Lund** vero hodieque *lucum nemuſque* ſignificare, Danis

* Iulius Cæſ. Scal. lib. 6. Poetices.

De morib. Germ.

præſertim Cimbriſq., atque omnibus iſtius tractus indigenis, indicio quoque ſunt oppidorum, ut *Lundæ* in Daniæ Scandinaviâ, atque Holſatia; in Anglia, *Londini* vocabula. Nam etiam veteri Britannorum idiomate **Lond** nemus ſignificaſſe ex Cambdeno conſtat, eoque vocabulo *Londinum* oppidum jam antiquitus & ante Normannorum incurſiones ac tempora, puta Tacito [a] alijſque nuncupatum. Nec illud modò, ſed & alia plura reperire eſt Britannorum veterum cum vicinis illis Theutonum populis communia vocabula, indubie indicantia Britannos olim, ut locis commerciiſque, ita quoque lingua cum vicinis Germaniæ gentibus, quamvis dialecto variante, quomodo hodieque, communicaſſe. Verum iſta loco alio uberiuſque nobis diſputata nunc mittimus; hoc tantum oſtendiſſe contenti, Svevorum gentem antiquitus Albim & mare Boreale uſque accoluiſſe: Idque præter Taciti allatum teſtimonium, luculenter inſuper ex Cornelio Nepote intelligi, qui Indos, in Germaniæ littora abreptos, Q. Metello Celeri, Galliæ tunc proconſuli, à REGE SVEVORVM dono miſſos, atteſtante Pomponio & Plinio, cõmemorat.

a Annal. 14.

In Gloſſario Priſco Gallico.

Plinius lib. 2. cap. 67. Pomp. Mela. li. 3.

Porro SICAMBROS licet traductos ab Auguſto in Galliam dicant Svetonius ac Tacitus, Strabo tamen nõ penitus ſuo ævo ex ſolo Germaniæ exciſos hiſce verbis innuit: *Huius partis populos* (loquitur de Germanis Rhenũ accolentibus) *Romani partim in Galliam traduxerunt: reliqui migraverunt in penitiores Germaniæ partes, ut Marſi: Sed & SICAMBRORVM exigua reſtat portio.* Vnde & ſtatim ibidem adjicit, *Sicambros & Cimbros omnium gentium, quæ inter Albim & Rhenum degunt, eſſe notiſſimos.* Verum de Cimbris

Sicambri Rhenēſes.

Libro 7. Geograph

Cimbris mox. Sicambrorũ ut certo determinarentur ſedes, dixerat inſuper idem Strabo libro quarto, juxta Menapios agere: Menapios autem ex utroque oſtiorũ Rheni latere paludes incolere ſilvaſque humiles ac denſis ericetis hiſpidas. Qualis hodieque univerſæ Velaviæ facies; quamvis eorum ibi ſuperſtes nomenclatura nunc nuſquam occurrat, niſi forte in illis, quæ Rheni medium oſtium Auſtrumque verſus habet, paſcuis hodierno adhuc vocabulo **Menen** nuncupatis. Verum ipſa Strabonis verba operæ eſt pretium adjicere: *Menapij*, inquit, *ex utroque oſtiorum latere paludes incolunt, & ſilvas humiles denſæque materiæ ac ſpinoſæ: juxta hos Sicambri Germani.* Vbi notandum, in hodierna & vulgata verſione Latina Strabonis, omiſſam vocem ultimam *Germani*; quam verba & textus Græcanicus cum fide retinet. Habet enim, κατὰ τούτους Σουγάμβροι Γερμανοί, id eſt, *juxta hos collocantur Sicambri Germani.* vulgo eſt, etiam in editione Caſauboniana; *iuxta hos Sicambri. Germanos* autem eos *Sicambros* dicendos velle videtur, quò nimirum diſtinguantur ab iis, quos in Galliam tra ductos ab Auguſto jam ante commonuerat. Habitaverint hi ergo Sicambri adverſam Romanis Rheni ripã, initium fortaſſe ſumentes, ubi hodieque Arnhemienſe totiuſque Velaviæ, Iſalæ præſertim proximum, territorium eſt; indeque Coloniam Agrippinam verſus ad Luppiæ Ruræque fluenta latè ſe porrigentes; quorum hoc apud Duiſburgum; iſtud Veſaliæ hodie latus alterum adlambens Rheno miſcetur. Argumentum hujuſce rej, præter cetera etiam eſſe poſſit arx atque urbs **Sigenburch**, cujus etiamnum manifeſtiſſima ijſdem in locis conſpiciuntur rudera; ſicuti & oppidum

Lib. 4.

rogativam fuiſſe, ut non ripam tantum Romanorum (de Danubio loquitur) ſed etiam interiora commerciorũ cauſa libere & ſine cuſtode permanerent. Ait enim; *Hermundurorum civitas fida Romanis: eo ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus atq; in ſplendidiſſima Rhetiæ provinciæ colonia, paſſim ſine cuſtode tranſeunt, & cum cæteris gentibus arma modo ac caſtra noſtra oſtendimus, his domos villaſque patefecimus, non concupiſcentibus.* Quo autem ſitu & parte Germaniæ Hermunduri egerint ex eodem Taciti loco ſatis patet, cum Danubio quam Rheno propiores faciat. Ità enim proxime præcedit: *Propior (ut quomodo ante Rhenum; ſic nunc Danubium ſequar) Hermundurorũ civitas, fida Romanis &c.* Facit huc denique & ritum hũc nõ leviter etiam illuſtrat illud Claudiani, ſed blandius quam verius, in gratiam Stiliconis, ut & alia ejuſdem Claudiani pluria, prolatum:

Tacitus in Germ.

Rhenumque minacem
Cornibus infractis adeo miteſcere cogis
Vt Salius jam rura colat, flexoſq; Sicambri
In falcem curvent gladios, geminasq; viator
Cum videat ripas, quæ ſit Romana requirit.

Quo loci notandum *geminas ripas* intelligi cum Germanorũ tranſrhenanam, tum limitaneã Romanorum quæ & ciſrhenana erat; utramque autem tam à Germanis quam à Romanis promiſcue & indifferenter frequentatam.

CAP.

CAP. VIII.

RIPA ROMANO LIMITI OPPOSITA, ID EST, *Germaniæ tranſrhenana, & quatenus ea Iulio Cæſari cognita fuerit: deque Svevis, Vbiis ac Sicambris itemque ſilvis & fluminibus Germaniæ eidem Cæſari nominatis, &c.*

EXigit nunc orationis reique ſeries ut adverſam huic Limiti, Germanorum videlicet, ripam conſideremus. Quod ut recte atque ordine fiat à Cæſare ſumendum initium. Cæſar enim profligato in Galliis Arioviſto Belgiſque ſuperatis, tranſiit ponte Rhenum, & Germaniam Italiæ quodammodo primus oſtendit. Qui ergo eidem tum *populi*, quæ *flumina* ac *ſilvæ* & quatenus innotuerint, nunc indicandum.

Populos præcipue tres peculiariter ei nominatos reperio *Svevos*, *Vbios* ac *Sicambros*. *Svevorũ* gentẽ maximã & bellicoſiſſimam Germanorũ omnium fatetur; nec ipſe tantum ſed ipſi etiam, qui tunc erant, Germani. Cum enim ab Rheno diſcedere Germanos, miſſis legatis, iuſſiſſet Cæſar; legatos viciſſim illi remiſerunt ad Cæſarem referentes inter alia, ſe neque priores populo Romano bellum inferre, neque tamen recuſare ſi laceſſerentur, armis contendere: ſeſe unis Svevis concedere, quibus ne Dij quidem immortales pares eſſe queant: reliquum in terris eſſe neminem, quem non ſuperare poſſint. De iiſdem quoque Cæſar hæc habet: *Svevorum gens eſt longe maxima, & bellicoſiſſima Germanorũ omnium. Ii centum pagos habere dicuntur: quotannis ſingula*

Svevi.

Lib. 4. Bel. Gall.

ibidem.

millia armatorum, bellandi cauſa ſuis ex finibus educunt. reliquè domi manent. pro ſe atque illis colunt. hi rurſus in vicem anno poſt in armis ſunt: illi domi remanent. Sic neque ratio, neque uſus belli intermittitur, ſed privati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt: neque longius anno remanere uno in loco, incolendi cauſa, licet. neque multum frumento, ſed maximam partem lacte atque pecore vivunt, multumque ſunt in venationibus. quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod à pueris nullo officio, aut diſciplina aſſuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit & immani corporum magnitudine efficit. atque in eam ſe conſuetudinem adduxerunt, ut locis frigidiſſimis neq; veſtitus præter pelles, habeant quidquam, quarum propter exiguitatem, magna eſt corporis pars aperta; & laventur in fluminibus. mercatoribus eſt ad eos aditus, eo magis, ut quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant; quam quod ullam rem ad ſe importari deſiderent. quin etiam jumentis, quibus maxime Gallia delectatur, quæque impenſo parat pretio, Germani importatis non utuntur; ſed quæ ſunt apud eos nata prava atque deformia, hæc quotidiana exercitatione, ſummi ut ſint laboris efficiunt. equeſtribus præliis ſæpe ex equis deſiliunt ac pedibus præliantur; equoſque eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt; ad quos ſe celeriter, quum uſus poſcit, recipiunt, neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habetur, quam ephippiis uti. itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audeant. vinum ad ſe omnino importari non ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atque effeminare arbitrantur. publice maximam putant eſſe laudem, quam latiſſimè à ſuis finibus vacare agros: hac re ſignificari, magnum numerum civitatium ſuam vim ſuſtinere non potuiſſe. itaque una ex parte à Svevis circiter millia paſſum DC agri vacare dicuntur. Ad alteram partem ſuccedunt Vbij &c. Vt ita Svevorum ſedes quamvis

quamvis Cæſari haud exacte tum adhuc exploratæ fuerint, hoc tamen ex ijs, quæ jam attulimus colligere ſit, fuiſſe à parte Rheni locatos ſupra Vbios orientem verſus. Vbios enim ſæpenumero Svevorum injuriis atq; incurſionibus laceſſitos, Svevíſque ab altera parte vicinos indicat paſſim libris de bello Gallico. Sexto verò libro diſertè ſe ex Vbijs amicis ſuis cognoviſſe inquit Cheruſcis etiam proximos fuiſſe. Ait enim: *Referunt Vbij Svevos cum omnibus ſuis ſociorumque copijs penitus ad extremos fines ſe recepiſſe, ſilvam ibi eſſe infinitæ magnitudinis, eáque longe introrſus pertinere, & pro nativo muro objectam, Cheruſcos à Svevis; Svevos à Cheruſcis injurijs incurſionibuſq; prohibere.* Alias Danubium etiam verſus porrectos liquet ex eodem Cæſare, qui, præter Marcomannos & Harudes etiam Svevos agnoſcit Arioviſti ſocios atque auxiliares. Arioviſtus autem intra Danubium Rhenumq; circa ipſos, quantum judico, Svevorum terminos ſedē habuerit. Nam & uxor ei fuit Svevica. Patet ſimiliter ex Cæſare, qui poſtquam narraviſſet, quomodo eius eſſet profligata acies hæc adiicit: *Arioviſtus Germanorum Rex naviculam deligatam ad ripam (Rheni) nactus ea profugit: reliquos omnes equites conſecuti noſtri interfecerunt. duæ fuerūt Arioviſti uxores, una* SVEVA *natione, quam domo ſecum adduxerat; altera Norica, regis Vocionis ſoror, quam in Gallia duxerat à fratre miſſam. utraque in ea fuga periit. duæ filiæ harum, altera occiſa, altera capta, &c.*

Vbios deinde, Cæſaris eiuſdem tempeſtate, trans Rhenum adhuc egiſſe ex allatis jam ſatis conſtet & illis porro Cæſaris verbis: *Vbij autem, qui uni ex tranſrhenanis ad Cæſarem legatos miſerant, amicitiam fecerant, obſides dederant, &c.* Horum civitatem amplam florentemque fuiſſe re- Vbij.

 fert,

fert , cæteris Germanis etiam humanitate præſtitiſſe quod proximi Rhenum attingerent. Ita enim ait poſtquam de Svevis dixiſſet : *Ad alteram partem ſuccedunt Vbij. quorum fuit Civitas ampla atque florens, ut eſt captus Germanorum , & paulo , qui ſunt ejuſdem generis , etiam ceteris humaniores ; propterea quod Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant , & ipſi propter propinquitatem Gallicis ſunt moribus aſſuefacti.* Et ſtatim addit : *Hos cum Svevi, multis ſæpe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis, finibus expellere non potuiſſent, tamen vectigales ſibi fecerunt &c.* Incoluiſſe autem ea loca, ubi nunc eſt ager Montenſis, & ille contra Coloniam Agrippinam ſuperior tractus vix eſt ambigendum. Hîc Cæſar Rhenum bis ponte tranſgreſſus eſt ; cum, ut defenderet ab injuriis Svevorum ipſos Vbios ; tum ut Sicambros ulciſceretur, omnibuſque Germanis metum injiceret. Lib.4. Bel. Gall. Prior tranſitus, de quo lib. 4. Belli Gallici , in Vbiis inferioribus adverſus Sicambros factus colligitur ; alter in Trevirorum ditione, paulo ſupra locum priorem, in eodem tamen Vbiorum territorio, Lib.6. Bel. Gall. ut ipſemet Cæſar ſubindicat, ubi pontis partem ultimam ripas Vbiorum contigiſſe commemorat. Ita enim habet : *His conſtitutis rebus, paullum ſupra eum locum, quo antea exercitum tranſduxerat, facere pontem inſtituit.* Deinde poſt pauca addit : *Cæſar, poſtquam per Vbios exploratores comperit Svevos ſeſe in ſilvas recepiſſe ; inopiam frumenti veritus, quod, ut ſupra oſtendimus, minime omnes Germani agriculturæ ſtudent, conſtituit non progredi longius : ſed, ne omnino metum reditus ſui barbaris tolleret, atque ut eorum auxilia tardaret, reducto exercitu* PARTEM VLTIMAM PONTIS, QVÆ RIPAS VBIORVM CONTINGEBAT, *in longitudinem pedum CC*

reſcindit

reſcindit; atque in extremo ponte turrim tabulatorum IV *conſtituit, præſidiumq́. cohortium* XII *pontis tuendi cauſa ponit; magniſque eum locum munitionibus firmat.* Vnde & Vbios haud exiguam Rheni portionem occupaſſe veriſimile fit.

Iam SICAMBRI, quo loci id temporis ſedes & territorium habuerint, intelligitur ex eodem Cæſare, qui eos proximos Rheno conſtituit; & ut ipſam ſedem, quaſi intento digito, notaret, ait trāſiviſſe ipſos Rhenū, fines Eburonum invaſuros triginta millibus paſſuum infra locum, quo Rheni illum pontem ſecundo collocatum a Cæſare fuiſſe iam innui: adeo ut Vbiis exſtitiſſe quam proximos, ſed occaſum verſus nonnihil inferiores, omnibus in propatulo ſit, præſertim ſi & illa Cæſaris accuratius in conſilium adhibeantur, ubi ait: *Trans Rhenum ad Germanos fama pervenit, diripi Eburones, atque ultro omnes ad prædam evocari. cogunt equitum* II *millia Sigambri, qui ſunt proximi Rheno, a quibus receptos ex fuga Tenchteros atq́. Vſipetes, ſupra docuimus: tranſeuntes Rhenum navibus ratibuſq́.* XXX *millibus paſſuum infra eum locum, ubi pons inperfectus erat, præſidiumque à Cæſare relictum, primum Eburonum fines adeunt.* Ptolemæus etiam, tabulas fortaſſe ſecutus vetuſtiſſimas, non alio eoſdem ſitu agnoviſſe colligitur. Poſtmodum Vſipetes ac Tencteros ſedibus ſuis à Svevis deturbatos iiſdem ſe Sicambris junxiſſe Cæſar idem tradidit. Qui exinde Vſipetes eum in modum ad inferiores has Rheni ripas devoluti nominis etiamnum ſui veluti tenue quoddam veſtigium reliquiſſe fortaſſe videntur in oppido Veſopo, Hollandicæ nunc ditionis, Vectæ amni, qui è Rheno originem ſuam ducit, appoſito. Nam & Ptolemæus, qui in ſede adhuc pri-

Sicambri.

Lib 6. Bell. Gall.

migenia

delbergam, **Odenwaldt**; ad Lonā amnem, prope Confluētes **Weſterwaldt**/prope Francofurtū **Speſhartz**; in Saxoniæ faucibus ad Manſfeldenſem ditionē, **Auff den Hartz**; denique à Thuringis, **Thuringer⸗waldt**, & **Beſemer⸗waldt** à Bohemis dici: Quamvis ab his nonnihil diverti videatur Aventinus, erroris ſcilicet arguens, qui Hercyniam Bacenim crediderunt. Qui & addit appellatam Hercyniam nemuſque Orcinium ab **Hartzt**, quod reſina & pix Germanis hodieque.

CAP. IX.

DE SVEVIS, VBIIS AC SICAMBRIS EORVMQ; ſedibus accuratius, & quatenus cogniti Romanis poſt Iulium, ætate Auguſti. ubi & aliarum inter Albim Rhenumque gentium locorumque, nec non fluminum interlabentium, Strabone præeunte, Chorographica inſtituitur enodatio.

POST Iulium, Romano imperio ac bellis paternis ſuccedente felicibus auſpiciis Auguſto, Boream verſus, ad Albim uſque reſerata Germania. Vlterius progredi &, Albi tranſmiſſo, perſequi rebellantes nunquam Auguſtus voluit, nec aſſentire cupientibus potuit. Strabo, qui eodem fere ævo Geographicos Commētarios, qui hodieque ſunt in manibus, pertexere inſtituit, cauſam hanc dat; *cenſuiſſe videlicet Auguſtum ſe bellum quod erat præ manibus confecturum, ſi populos ultra Albim ſitos ac nihil moventes miſſos faceret, neque irritos maleficio, ad ſocietatem cum hoſtibus ineundam invitaret.* Quamvis Ta- Lib. 7.

 citus,

Lib. de Morib. Germ. citus, quod ſuperius quoque, ſed obiter, annotatum eſt, memoriæ tradiderit Germaniam tranſrhenanam anteriori magis, quam ſuo ævo, cognitam; Domitiumque Neronis avum, non Rhenum modò, ſed Albim etiam,

Annal. 4. exercitu tranſgreſſum: Qua tamen de expeditione præter hoc Taciti teſtimonium, vix aliquid in literas relatum invenio. Mox autem, cæſo per Arminium Quintilio Varo; Germanico verò in urbem aliaque ad munia Tiberij artibus revocato, Imperij LIMES non tantum circa Rhenum ſtetit, ſed magnos inſuper animos ac novas vires reſumſit, quidquid eſt, inter Albim ac Rhenum, Germaniæ.

Vbij. VBIOS quidem, fœderatos, ut innuimus, Romanorũ, in Germania non agnoſcit Strabo, ſed ad interiorem Rheni ripam tunc traductos ab Agrippa. Ait enim:

Lib. 4. *Infra Mediomatrices & Tribochos ad Rhenum incolunt Treveri, apud quos noſtro tempore pons eſt factus à Romanis adverſus Germanos bellantibus. Vltra fluvium ad iſta loca habitabant Vbij,* QVOS NON INVITOS AGRIPPA INTRA RHENVM TRADVXIT.

Suevi. ibid. lib. 4. SVEVOS maximam gentem fatetur, à Rheno ſuperiori ad Albim uſque pertingere, imo & partem eorum ut Hermunduros, Longobardos aliosque etiam trans Albim, Oceanum verſus, agere, mox verò fuga facta ad ulteriores, ad Auſtrum, regiones catervatim ſe conieciſſe. Sed verba ipſa ponam: *Maxima eſt Suevorum natio: nam & à Rheno ad Albim uſque pertingit, & trans Albin habitat pars eorum, ut Hermunduri & Longobardi, atque nunc quidem hi fuga facta omnino in ulteriorem regionem ſe coniecerunt.* Quo loci, quod dicitur à Rheno ad Albim uſque Svevos pertigiſſe, ex Auſonio Burdigalenſi, qui

ſub

ſub Theodoſio & Gratiano imperatoribus claruit, intelligi haud obſcure datur eius ſeculo, eâ Rheni parte, ubi Danubij fere fontes ſūt, eos coluiſſe. Ità enim ille, Danubium Auguſtos alloquentē introducens, habet: Auſonius in Epigrãmatibus.

Qua gelidum fontem medijs effundo Suevis,
Imperio gravidas qua ſeco Pannonias,
Et qua dives aquis Schytico ſolvo oſtia ponto,
Omnia ſub veſtrum flumina mitto jugum.

Tacitus præterea ſuo adhuc ævo potiorem Germaniæ partem eoſdem occupaſſe memorat, propriis nationibus nominibuſque diſcretos, ut ſunt Reudingi, Aviones, Angli, Varini aliique fluminibus aut ſilvis muniti: adeò ut immeritò reprehenſionem magni aliàs viri incurrerit olim Lucanus, quod Albicolas Svevos feciſſet, illo verſu:

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis.

Putabat enim * ille Rheno, quam Albi, propiores. Sed ut conſtet etiam ad Oceanum & ad exitum, in mare, Albis, pertinuiſſe, refert Tacitus in inſula Oceani eſſe Svevorum CASTVM NEMVS, in quo dicatum vehiculum veſte contectum; quod attingere ſoli ſacerdoti conceſſum. Hocce *nemus* vernaculo hodie vocabulo **Heylich land** in pinacibus hydrographicis denotari cum eruditiſſimo viro non abs re fortaſſe ſuſpicer; atque ita longa ejuſmodi ſacrorum deſvetudine, corruptè nunc efferri pro, **heylich lund**: Eſt enim **heylich** noſtratibus, quidquid *ſanctum caſtumque* intelligimus, **Lund** vero hodieque *lucum nemuſque* ſignificare, Danis

* Iulius Cæſ. Scal. lib. 6. Poetices.

De morib. Germ.

Cimbris mox. Sicambrorũ ut certo determinarentur ſedes, dixerat inſuper idem Strabo libro quarto, juxta Menapios agere: Menapios autem ex utroque oſtiorũ Rheni latere paludes incolere ſilvaſque humiles ac denſis ericetis hiſpidas. Qualis hodieque univerſæ Velaviæ facies; quamvis eorum ibi ſuperſtes nomenclatura nunc nuſquam occurrat, niſi forte in illis, quæ Rheni medium oſtium Auſtrumque verſus habet, paſcuis hodierno adhuc vocabulo Menen nuncupatis. Verum ipſa Strabonis verba operæ eſt pretium adjicere: *Menapij*, inquit, *ex utroque oſtiorum latere paludes incolunt, & ſilvas humiles denſaque materiæ ac ſpinoſæ: juxta hos Sicambri Germani.* Lib. 4. Vbi notandum, in hodierna & vulgata verſione Latina Strabonis, omiſſam vocem ultimam *Germani*; quam verba & textus Græcanicus cum fide retinet. Habet enim, κατὰ τούτους Σουγάμβροι Γερμανοὶ, id eſt, *juxta hos collocantur Sicambri Germani.* vulgo eſt, etiam in editione Caſauboniana; *iuxta hos Sicambri. Germanos* autem eos *Sicambros* dicendos velle videtur, quò nimirum diſtinguantur ab iis, quos in Galliam traductos ab Auguſto jam ante commonuerat. Habitaverint hi ergo Sicambri adverſam Romanis Rheni ripã, initium fortaſſe ſumentes, ubi hodieque Arnhemienſe totiuſque Velaviæ, Iſalæ præſertim proximum, territorium eſt; indeque Coloniam Agrippinam verſus ad Luppiæ Ruræque fluenta latè ſe porrigentes; quorum hoc apud Duiſburgum; iſtud Veſaliæ hodie latus alterum adlambens Rheno miſcetur. Argumentum hujuſce rei, præter cetera etiam eſſe poſſit arx atque urbs Sigenburch, cujus etiamnum manifeſtiſſima iiſdem in locis conſpiciuntur rudera; ſicuti & oppidum

 olim

olim, nũc cænobiũ juxta Segem fluviolũ Sigkburch aut Syburch dictum ut plurimum, haud procul Agrippinenſi colonia in ripa Germanica, eorundẽ indubiè Sygamborũ (ita enim Græci ſcribunt) nomenclaturam ſubindicat. Etymon namqne nominis deducendum aliqui à Germanico Sigenberger, aut eò ſaltem adludere crediderunt. Nam qui *Sicambros*, quaſi See *cimbros* dictos voluerunt, ut eſſent ſcilicet *maritimi Cimbri*: eo arguuntur, quod ipſi etiam Cimbri maritimi fuiſſe ex maxima parte intelligantur. Veriſimilius cenſeam à Sich & Kemper, quæ utraque Germanica ſunt vocabula, *victoriam* & *pugilem* ſignificantia, nominationis originem antiquitus profluxiſſe: Niſi à fluviolo potius, quem dixi, Sigem, paulo ſupra Coloniam, in ripa Rheni Coloniæ adverſa ſeu Germanica, Sicambrorum territorium ipſumque Syburguum præter labente, auſpicium appellationis inchoare libeat.

Sed ad Strabonem redeo: Qui licet iſto Germaniæ tractu Sicambros celebratiſſimos pronunciarit, inter minores nihilominus Germanorum gentes eoſdem iteratò recenſet ſimulque *maritimos* facit, ubi infit: *Minores Germanorum ſunt gentes Cheruſci, Chatti, Gambrivij, Chattuarij, ad Oceanum autem Sicambri, Chaubi, Bructeri, Cimbri, Chauci, Caulci, Campſiani, & aliæ plures.* Minores ſcilicet nóminat reſpectu *Svevorum*, *Marcomannorum*, *Hermundurorum*, *Semnonum* aliorumque, de quibus iam modó dixerat, vtpote gentium majorum populis. Verum verba iſthæc Strabonis quia nobis, veluti in tabella, ob oculos ponunt, qui populi propriè Albim ac Rhenum intra, occidentem Boreamque verſus, ſedes habuerint, haud perfunctoriè inſpicienda veniunt. Hinc enim, ſucce-

Lib. 7. Geog.

ccedente paullatim varia illa gentium migratione ominumque multiplici metamorphoſi, FRANCORVM ORIGINEM educturum me, omnibuſque approaturum, ſpondet animus.

CHERVSCOS ergo, qui ordine primi hærent, inter Turingos Peucerus alijq. collocant. Fuerunt etiam qui habitaſſe tractum illum Sveviæ credidere, qui Heidelbergam uſque ulteriuſque extenditur. At verus eorum ſitus præcipuè intra Albim ac Viſurgim fuit. Vnde eoſdem Ptolomæus inter accolas Albis deſcribit: qui cum facit illud Claudiani: *Et ingentes Albim liquere Cheruſci.* Druſus quoque, ut Dio in eius expeditione poſtrema refert, poſtquam Chattorum fines ingreſſus eſſet, inde in Cheruſcos converſo itinere, Viſurgim tranſcendens, omnia populando, ad Albim uſque perrexit. Quamvis interim pro parte etiam cis Viſurgim coluiſſe non abnuerim, præſertim cum Varum Quintilium intra Viſurgim & Rhenum ab Arminio, Cheruſcorum duce, ad ſaltum videlicet Teuteburgenſem, cæſum conſtet. Nonnulli, inter quos Henricus Glareanus, in opidulo illo, ad Albis & Salæ confluentem poſito, quod Cherbſt hodieque indigitant, nominis ac gentis extare veſtigium exiſtimant.

Cheruſci. Lib. 55. Animadverſionibus ad Iul. Cæſarem.

CHATTOS ait Tacitus initium ſedis ab Herciniæ ſaltu inchoare, nec ita effuſis ac paluſtribus locis degere ut ceteræ civitates, quas ſpectat ab occidente Germania. Dio ea parte, qua meridiem reſpicit, Rheno proximos ponit, ubi ait, *Druſus caſtellum contra Barbaros ad Lupiæ & Aliſſonis fluminis confluentes, aliudque in Chattis ad ipſum Rhenum exſtruxit.* Quibus adde quod Tacitus ab eo tractu vicinos illis facit Vſipios & Tencteros. Ita

Chatti. Lib. 54.

enim habet in Germania: *Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, quique terminus eſſe ſufficiat, vſipij & Tencteri colunt.* Eoſdem eſſe Haſſorum aborigenes dicere nihil verear: Argumentoq. ſit in Haſſiaco territorio **Cattenelnbogheu**/ quod ego *Cattemelibocum* interpreter. Ptolemæus enim adusque Melibocum montem Cheruſcos definit, quos exinde cis Viſurgim, ſecundum Dionem, Catti exceperint: licet Ptolomæus Albi fere proximos, latè nimirum acceptos, ortum verſus extendat.

Gambrivij. A GAMBRIVIIS exortos *Hamburgenſes* in Albi citeriori primitus degentibus moxque amne traiecto inclytæ urbi dediſſe nomenclaturam, vero conſonum plures exiſtimant, non abludente præſertim vocis vtriuſque genio..

Chattuarij. CHATTVARIOS ſunt qui exiſtimant vitio ſcriptos, pro Attuarijs ſive Anſuarijs, de quibus Ammianus & Tacitus, quamvis & Tacitus in Germania ſua *Chaſuarios* etiam nominat: quos eoſdem eſſe cum hiſce Strabonis *Chattuarijs* non videatur abſimile vero. Nam & Velleius quoque Paterculus *Chattuarios* ſive *Attuarios* cum Bructeris jungit. Nec abs re ſit æſtimare eorum hodieque, poſt varias emigrationes, reliquias aut ſaltem aliquod vocis veſtigium reſervatum fortaſſis in *Hattemijs* ditionis Velavicæ opidanis. [Lib. 2.]

Sicambri maritimi. His ad Oceanum deinde SICAMBROS Strabo ſubijcit. Eoſdem ſuperius ex eodem Strabone Rheni accolas deſcripſimus. Hic autem intelligi vult non exigui fuiſſe deſtrictus, ſed Oceanum etiam uſque porrectos. At Oceanum, inquiet alius, quomodo pertingere potuerint, cum illic Friſios maritimam oram ab Rheno ſeu Iſala ad Chaucos pæne uſque pertexuiſſe ex

Tacito pateat? Mihi ſuſpicio ſub manu quomodo naſcitur, Friſiorum vocabulum minus id ævi celebratum latuiſſe adhuc involutum claritudini nominis Sicambrorum: atque ità Sicambros ipſos ob belli gloriam, præter Rheni ripam, etiam littus tenuiſſe, quod nunc appellamus, Friſicum. Strabonem certe nec Cæſarem Friſiorum uſpiam mentionem feciſſe clarum eſt; Sicambros verò paſſim, etiam alijs, celebrari tum ut Romanis formidabiles. Facetum verò eſt quod Suffridus Petri Leovardienſis nominatos tamen Straboni aſſerat, nec oſtendit. Facit præterea ad rei fidem *Melonis* Sicambrorum ducis, cuius & Strabo meminit, vocabulum, quod originem Friſicam manifeſto redolere nemo negaverit, cum hodieque in eadem Friſiorum gente eiuſcemodi ſparſim occurrant appellationes, ut ſunt *Tiarchones, Poppones, Bennones, Mellones* aliæque ſimiles, quas recenſet plurimas & nomine etiam ſuo ipſemet indicat *Vbbo Emmo* Friſius gentis ſuæ hoc ævo clarus Hiſtoriographus. Sed præſtat ipſa Strabonis verba ſubijcere: *Belli initium fecere Sicambri, Mellone duce, Rheno vicini.* Et ſtatim ibidem: *Deudorix Baoritis filius, qui frater erat Melonis, Sicamber.* Sicambros ergo hos maritimos, vnà cum ſocijs Rheni accolis militiæ laude præcipue illuſtres Friſiorum gloriam id temporis ſuo ſub nomine vel occultaſſe vel oſtendiſſe veriſimile habeam. Nec abnuere Tacitus videtur qui adulto demum Tiberij imperio ex clade Apronij inclaruiſſe Friſium nomen memorat; ſenſim videlicet exoleſcentibus aut Friſiorum iam vocabulum ob belli ſocietatem fortaſſe adſumentibus, qui ea adhuc parte ab Auguſto in Gallias non traducti ſupererant, Sicambris.

Lib. 1. cap. de Orig. Friſ.

Lib. 2. Rerum Friſicarum.

Lib. 4. Annal.

G Hinc

Chaubi. Hinc CAVBI ſequuntur, an ex fide, neſcio. Nam quinam illi, ſicut & *Caulcos*, qui loco pænultimo poſiti, ignorare me fateor. quamvis veſtigia eiuſmodi gentis aut vocis odorari liceat in pagis Hollandiæ **Aykau** & **Kaukerck.** Nec abſimilis fortaſſe vero eorum coniectura, qui *Chamavis* pro *Caubis* accipiendum exiſtimant, quod ea tum clara gens fuerit, nec Tacito ignorata, qui Bructeris vicinos facit; licet Ptolomæus non *Chamavos*, ſed *Chamanos* legiſſe videatur, & iuxta Melibocum conſtituere. Ortelius quoque haud abſurdè Mamertini eſſe *Chaivones* Hariolatus eſt, de quibus alibi nobis indicatum memini.

Bructeri. BRVCTERI, qui ordine ſuperioribus proximi ſunt, Tacito ſecundum Tencteros collocati; Ptolemæus *maiores* & *minores* agnoſcit; *maiores* quidem intra Viſurgim & Amaſin; *Minores* cis Amaſin ſupra Friſios, Vidrum Iſalamque verſus. *Maiores Bructeros* Apollinaris intellexit iſto verſu, vbi *Viserin*, ad morem & idioma gentis, cui **Weser** dicitur, pro Viſurgi extulit:

Bructerus ulvoſa quem Viſeris alluit unda:

Lib. 7. Geograph. *Minores* vel etiam vtroſque Strabo, ubi Druſum refert in Amaſo flumine navali prælio ſuperaſſe Bructeros. Narrat & Suetonius in rebus Tiberij, non multum abfuiſſe quin à Bructero quodam occiſus fuiſſet. Quibus in locis omnibus *Bructerus* legitur, non, ut aliàs, *Bucterus* omiſsâ *r.* literâ. quamvis Ptolemæus multo inconcinnius *Buſacteros* extulit. Sed *Bructeros* propriè dictos indicat genuinum nominis etymon, quod à divexiore ſoli uliginoſi natura perpetuiſque paludibus, quas idiomate vernaculo **Broucken** vocitamus, deductum eſt, ut ſint **Brouckers** quaſi paludum accolæ. Tacitus ſuo

xvo

vo penitus exciſos adijcit in libello de Germania.

Nunc de CIMBRIS dicendum. Eos cis Albim ſedes tenuiſſe ex allato iam loco, & alio inſuper eiuſdē Strabonis, quem etiam ſupra tetigimus, colligere ſit. Ait enim continenter: *Germanorū ſeptentrionales qui ſunt, proter littus Oceani porriguntur: ac noti ſunt ab oſtijs Rheni uſque ad Albim. notiſsimi Sicambri ac Cimbri.* Verùm alij vltra Albim in Oceani peninſula conſtituunt, Ptolemæo *Cimbrica Cherſoneſo* nuncupata. Quin & ipſe Strabo ſibi adverſari quadantenus videtur, cum iam ante ſuo ævo ultra Albim celebratam Cherſoneſum agnoſcat verbis, quæ ſubijciam: *Cimbros non hac de cauſa, ut incertis vagarentur ſedibus & latrocinijs victum quærerent, compulſos crediderim, quod è peninſula ſeu Cherſoneſo, quam inhabitabant diluvio fuerint eiecti: cum hodieque antiquas incolant ſedes, nuperque Auguſto lebetem dono miſerint amicitiam expetentes & veniam illatarum iniuriarum: eamque conſecuti domum redierunt.* Quæ certe inter ſe pugnare videantur, niſi dicamus aliquam eorum portionem etiam citeriorem Albis ripam accoluiſſe. Quod ego veritati proximum cenſeam: quamvis Suffridus Petri pluribus contendat, ex verbis Strabonis minimè poſſe elici inhabitaſſe adhuc ætate Auguſti Cherſoneſum Cimbros. Sed eius hoc loco rationē magnopere habēdam haud exiſtimo, utpote hominis ſenis & fabuloſis narrationibus nimium indulgentis, tum & falſitatis non vno nomine à doctioribus ſæpenumero convicti. Nam ſanè non negaverit Cimbricam illam Cherſoneſum Strabo, ſed eiuſmodi occaſione ex eâ eiectos, hoc verò ſe credere aſſerentibus pernegat. interſerit enim diſertè: *cum hodieque antiquas incolant ſedes.*

Cimbri.

Lib. I. cap. 6. de Orig. Friſ.

G 2 De

Chauci. De CHAVCORVM gente res eſt evidentior. Incipiebant enim ab Amaſo, & omne illud littus ad Albim, uſque ſuis ſedibus occupabant. Ptolemæus *maiores* quoque *minoreſque* facit. *Minores* quidem in littore, quod eſt intra Amaſin & Viſurgim; *Maiores* deinde trans Viſurgim ad Albim uſque incolere indicat. Nec ab iſta diſſidet ſententia Plinius, itemque Tacitus, qui exinde in Cattos uſque ſinuari, ſeque mirari adijcit, tantum terrarum non modò tenere Chaucos, ſed & implere. Poëtis ſæpe *Cayci* nuncupati. Vnde Lucanus:

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppoſiti, petitis Romam Rhenique feroces
Deſeritis ripas.

Quæ apoſtrophe Romanum militem alloquitur revocatum à Rhenani limitis præſidio ad urbis ac Pompei contra Cæſarem defenſionem: ut mirum ſit exiſtimaſſe Hadrianum Iunium ipſos Germanos intellectos Chaucis oppoſitos: Cum interim verum ſit, non propriè quidem & ſolos ibi Chaucos accipendos, ſed in genere Germanorum populos, & eos maximè qui Rheno tunc, utpote Sicambri, fuêre proximi. Atque hæc de Chaucis ſuffecerint, ni difficultatē inijceret Plinius etiam inter Rheni ac Friſiorum inſulas *Chaucos* collocans. Verùm illi nequaquam *Chauci*, de quibus iam diximus, ſed *Chaugi* aut *Caggij* potius fuerint. Nam, quod amicus & familiaris noſter Petrus Scriverius, dum hoc per otium ſcilicet & inambulantes agimus, haud temere nec præter rem iniecit, omnino notandum, maiores nimirum noſtros ſuo idiomate in ſinu illo Auſtrino, de quo etiam ibi Plinius loquitur,

Cap. 21. Bataviæ.

Chauci ſeu Chaugi Rhenani Plinio.

ſulas & à continenti ſemotas terras **Koggen** nuncu-
ſſe. Vnde & **Kogghe** & **Kogghe-ſchip** / *celox* Kilia-
in Etymologico Theutonico Latino hodieque ex-
nitur, quod nimirum illa loca ſeu inſulæ, quas dixi
ogghen appellatas, celocibus & cymbis accedi ſole-
nt. Vt ità **Kogghe** propriè eiuſmodi, ut indicavi, in-
la fuerit. Quod & verbis veteris Chronici Hornen-
manifeſtum fiet, ubi de ſitu & rebus Friſiorum inſu-
norum ſeu Rhenenſium, quos & Plinium loco citato
perius intellexiſſe monui, hunc in modum ſua lin-
a loquitur: **Ten tijden van Graef Floris anno**
288. worden veel nieuwe Heer weghen doort landt
jelept/ om lichter van d'eene Kogghe in d'ander te
ogghen repſen. hoc eſt, *Tempore Comitis Florentij, anno*
288. multæ novæ viæ per univerſum circumquaque regionem
icebantur, quò facilior eſſet ex alia in aliam inſulam traiectus
u profectio. **Cogghe** ergo manifeſto eſt *inſula*, quæ &
lia dialecto, iiſdem Hollandis noſtris uſitata, **Kaghe**
icitur. Quibus & **Kagher ſchupte** item **Kaghe-**
chupte / non, ut ſupra poſuimus, **Cogghe ſchip** aut
chupte / effertur, intelligiturque ſimiliter *navicula aper-*
a & *oblonga velifera.* Pertinet huc etiam **Kagher-meer** /
acus ſcilicet ſic appellatus ob inſularum, cuiuſmodi
am indicavi, ſparſim in eo occurrētium frequentiam.
Plinij locus, quem ſupra aſpicimus hincque lucem ali-
quam accipere exiſtimamus, eſt iſte: *In Rheno ipſo propè*
C. M. paſſuum in longitudinem nobiliſſima Batavorum inſula Lib. 4. cap.
& Caninefatū, & aliæ Friſiorum, Chaucorū, Friſiabonum, Sturio- 15.
um, Marſatiorumq; ſternuntur inter Helium & Flevum, &c.
Nam ijs in verbis *Chaucos*, cū ad Germaniæ continentis
populos referri non poſſe alij animadverterēt nec viā

 viderent

erent tollendi difficultatem, expungendum inter cetera eò loci vocabulum *Chaucorum* confidenter imperarunt, ſequuti in eo Pellæum iuvenem, qui cum ſolvere Gordium nodum nequiret, ſecuit. Sed de eo cum alibi nobis plene & luculenter dictum diſputatumque ſit, hîc plura addere ſuperſedebimus.

Vide Diſceptationes Chorograph.

Quod autem de *Caubis* ſupra, idem fere de *Caulcis* & CAMPSIANIS, qui porro apud Strabonem ſequuntur, dicere habeam. Campſianos tamen eoſdem eſſe cum Amſianis, qui pòſt Straboni nominantur, ſunt qui cenſeant. Si ergo Amſiani verior lectio, ita fortaſſe nominati ab Amaſo fluvio, vel ſi Campſiani reſeruandum, cum Chamavis eoſdem aliquis fecerit, quos Antonius Schoonhovius, referente Iunio, cum Ptolemæo *Chamanos* mavult ſcribere, ut eſſent ſcilicet, qui nunc literulæ vnius acceſſione, Campani ſive Campenſes vócitantur. Ammianus tamen Marcellinus *Chamavos* retinet & vnà cum Salijs Francis regredi trans Rhenum à Iuliano compulſos memorat.

Campſiani

Lib. 17.

His deinde Strabo clariores eodẽ tractu amnes ſubiungit, verbis ac ordine ut ſequitur: *In eandem cum Amiſia partem feruntur. Viſurgis ac Lupias, qui per Bructeros minores fluit, à Rheno diſtans circiter* 10C. *ſtadijs. Eſt & Sala fluvius; inter quem & Rhenum bellum feliciter gerens obijt Druſus Germanicus.* Hi omnes Albim inter Rhenumque medij. Nam de Albi ipſo Rhenoque ità iam ante dixerat: *Albis æquali vſquequaque ſpatio à Rheno diſtans in Oceanum fertur, nec minorem, quam Rhenus, regionem peragrat.*

Germaniæ flumina.

Dicam de ſingulis, nec ordinem Straboni præfinitum invertam, modò de ALBI, extra ordinem poſito, loco priore egero. Ac primo de ortu eius controverſia

Albis.

: inter Dionem & Tacitum. Tacitus in Hermundu-
ſ oriri tradidit, Dio in mōtibus Vandalicis; ῥεῖ δὲ ἐκ τῶν
νδαλικῶν ὀρῶν; ità enim præferūt vulgati codices: Sed in
ıtavia ſua Hadrian. Iunius controverſiā eam omnem
ıllere videtur oſtendendo, *Vandalicῶν* pro *Vindelicῶν*
oud Dionem exaratum. Etymon amnis non ambigam
ſe Germanicum, atque idem valere, quod, additâ aſpi-
ıtâ, **halb** id eſt, medium dicimus. Hodie inflexa mol-
ıus dialecto de **Elve** quaſi **d'helve** ſive de **helft** / quod
tem medium notat, efferimus. Nec ità temere nuncu-
patum credibile eſt, ſed ipſa ex re, quod mediam vide-
licet dividat ac ſecet Germaniam. quamvis Fabricius in
ſuis rerum Miſnicarum libris nomen habere à numero
indicat fontium nempe vndecim, ut Bohemi; ſive, ut
Saxones dicunt, tot amnium influentiū. Oritur enim,
ut idem tradit, in tractu Hercyniæ ſilvæ, qui à Giganti-
bus nomen habet, **Riſenbergh** / ex vndecim (qvorum
nomina adijcit) fontibus; qui tandem in vnum con-
flati Albim fluvium conficiunt. Hæc quidem ille: At
priorem, quam poſuimus, opinionem, præter Stra-
bonis modò citata verba, quæ eam quoque innuere vi-
dentur, haud parum præterea juvet, cum Latinos tum
Græcos omnes *Albis* perpetuo edere ac ſcribere; quod
ad **halve** / *medium* ſignificans, propius accedat. Idque
nec ignoratum videatur Claudiano, qui Stiliconem
adulabundus, inter alia, alloquens, *medium* etiam dixit,
epitheto ad rem rationemque noſtram proprio. Ait
enim:

Quod jam trans fluvium non indignante Cayco
Paſcat Belga pecus, MEDIVMQVE *ingreſſa per* ALBIM
Gallica Francorum montes armenta pererrant.

Iulio

Lib. 6 de Re Poet. Iulio quoque Cæſari Scaligero, ne ſine teſte loqui videar, idem fere animadverſum olim. Nam in libris, quos de re Poëtica incomparabiles dedit, ubi de Lucano, ſic ſcriptum reliquit: *Albim mediam ſecare Germaniam & ſcriptum eſt ab authoribus, & nomen ipſum id indicat. quippe ea vox medium ſignificat.* Vnde mirari ſubit Had. Cap. 9. Bat. Iunium ex verbis Claudiani iam allatis, quibus *Albis medius* nuncupatur, eiuſmodi exſculpere ſententiam, quaſi ex eo liqueat medias inter Rhenum & Chaucos Francorum olim veterum terras ſitas, ad quas exteris tunc patuerit acceſſus beneficio pacis, ſolertia Stiliconis, procuratæ: Cum hoc tantum velit poeta; Stiliconis opera effectum ut, non modo trans Rhenum imperij limitem, ſed etiam, montes Francorum peragrando, trans Albim, qui mediam interluit Germaniam, Gallis Belgiſque accedere ac recedere impune obviumque fuerit. Quamvis & illud poetica potius tuba, quæ omnia in maius tollit, quam hiſtorica fide relatum Claudiano non neſciam. Quo enim authore probemus ultra Albim, Boream verſus, Francos coluiſſe? Et tamen Claudiani hiſce verſibus id videatur innui; quod etiam opinari obſonum ſit. Suſpicabor igitur extuliſſe Claudianum *per* pro *ſub*; vel, *inter*; ut dixerit armenta Gallorum Stiliconis illo tempore ingreſſa trans Rhenum monteſque Francorum, uſque ſub ipſum Albim; vel inter ac circa Albim ac Rhenum fuiſſe vagata. Sic noſter Macrobius in Somnium Scipionis ſecundo libro oſtendit ipſum Virgilium voculaiſta *per* uſum his verbis:

via ſecta per ambas,
Obliquus quà ſe ſignorum verteret ordo.

Simpli-

mpliciter enim ibi videretur innui viam zodiaci du-
m per ambas zonas temperatas, cum tamen extra
ntroverſiam ſit, neutrum tropicum Solis curſum ex-
dere, ſed intra utrumque abſolvere gyrum ſuum, id
, vicibus certis accedere ac recedere ad temperatas,
n tranſgredi. Vnde etiam alias *per* ita poſuiſſe Ma-
nem adjicit ibidem, ut illo verſu:

Circum perque duas in morem fluminis arctos.

on enim anguis ſidereus arctos ſecat; ſed dum & am-
ectitur & intervenit, circũ eas, & inter eas voluitur,
n per eas. Nos quoque, in noſtris ad eundem Ma-
obij locum Notis, firmaveramus idipſum ex Arbitro
etronio, qui haud aliter *per* uſurpaverit illo carmine;

Nec, vaga paſſim,

Flumina per notas ibant morientia ripas.

icere enim voluit paſſim vagata extra alveos ſuos flu-
ina, nec *per*, id eſt, intra ſuas ripas fluxiſſe. Vbi etiam
tandum *ibant morientia*, dictum ut alibi Claudiano,
ſcentes ibant in ſecula libri. Verum Petronius illud *mo-
ntia flumina*, quod alij in *torrentia* malè mutarunt, à
anilio ut ibidem tunc diximus, mutuum ſumpſerat,
i 4. Aſtronomicῶν ità ſcriptum reliquit: *Niliacis ite-
m morientia ripis.* Poterit ergo Claudiano conſtare
nſus, ſi *per Albim*, more poetis etiam optimis, & præ-
rtim, ut iam oſtẽdimus, Virgilio Maroni uſitato, pro
ter & *circa Albim* prolatum exiſtimemus. Nec aliud
defenſionem, vel potius explicationem Claudiani,
aliquis adſit hiſtoriæ color, ultra hæc, quæ dixi, nunc
currit: Nam dicere *Francorum* vocabulum in gene-
, pro Germanis etiam tranſalbianis poſitum; ſicuti
androrum appellationem pro quibuſlibet Belgis,

etiam Hollandis ac Brabantis, hodieque accipiunt Itali ac Galli, neſcio an hic locum habeat.

Amaſus. Atque hiſce de Albi extra ordinem ſic præmiſſis, nunc ſemitam ingrediar: Et primo ſe offert AMASVS, quem ait in eandem cum *Viſurgi* ac *Lupia* partem fluere. De *Viſurgi* verum quidem eſt; at de *Lupia* quomodo poteſt? Lupiam enim aliorſum, id eſt, in Rhenum influere oculis credimus, & ſcivit quoque Pomponius Mela. Iunius itaque Strabonem interpretari maluit quaſi ἐπὶ ταῦτα (videlicet ἔθνη quod præceſſit) id eſt, *ad has nationes* decurrere Lupiam tradiderit. Caput & fontes ſuos levat Amaſus infra Paderbornam VVeſtphaliæ oppidum, indeque Emdam illuſtre Chaucorum minorum, ſive, ut hodie appellamus, orientalium Friſiorum emporium prætervectus ſuoque vocabulo idem inſigniens, in Oceanum exinde Borealem pleno latoque ore devehitur. Ptolemæo eſt ἀμασὸς, *Amaſus*. Straboni & Tacito *Amiſia*. Plinius & Pomponius *Amiſius* ſcribunt. Hodie **De Ems** populariter indigitare conſvevimus.

Viſurgis. VISVRGIS æqualiter propemodum inter Amaſum & Albim, maiores minoreſque Chaucos alveo medio dirimens, in mare Oceanum infra Bremam demergitur. Originem ſuam ex Meliboco monte trahere pinaces Ptolemæi alijque indicio ſunt; ubi & Catti Cheruſcique ab invicem ſeperantur. Huc caſtra ſua metanti Germanico Angrivariorum à tergo defectio nũciata eſt: Verum ille per Stertinium id ultus Viſurgim verſus, intrepidè movit: Quò ubi perventum, acceſſiſſe eodem Arminium Cheruſcorum ducem memorat Tacitus, & fratris, qui apud Romanos ſtipendia mere-

bat,

bat, colloquium impetraſſe. quod in iurgia & pugnam pæne deſierit. Sed ipſa Taciti verba, cum præter hiſtoriam etiam ſitum amnis eleganter & graphice depingant, viſum eſt hîc adſcribere: *Flumen Viſurgis Romanos Cheruſcoſque interfluebat. eius in ripa cum ceteris principibus Arminius adſtitit, quæſitoque an Cæſar veniſſet; poſtquam adeſſe reſponſum eſt, ut liceret cum fratre colloqui oravit. Erat is in exercitu cognomento Flavius inſignis fide, & amiſſo per vulnus oculo paucis ante annis duce Tiberio. tum permiſſum. progreſſuſque ſalutatur ab Arminio. qui, amotis ſtipatoribus, ut ſagittarij noſtra pro ripa abſcederent, poſtulat; & poſtquam digreſſi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem; illo locum & prælium referente, quodnam præmium recepiſſet exquirit. Flavius aucta ſtipendia, torquem & coronam aliaque militaria dona memorat; irridente Arminio vilia ſervitij præmia.* Et poſt pauca addit: *Paulatim inde ad iurgia progreſſi; quominus pugnam conſererent ne flumine quidem interiecto cohibebantur: ni Stertinius adcurrens plenum ira armaque & equum poſcentem Flavium attinuiſſet.* At mox victoria adverſus eundem Arminium potitus Germanicus, monimentum & titulum rerum magnificum facit: cuius apud Tacitum quoque inſcriptio exſtat; ubi & hoc adijcitur, id operis in loco prælij ſtruxiſſe militem, & in modum trophæorum arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus, impoſuiſſe. Ptolemæi tabulæ eodem fere loci ipſius DRVSI TROPHÆA collocant: quæ à Barbaris tunc fortaſſis exciſa ſimul reparârit Germanicus. Nam, ut ex Tacito diſcimus, etiam *aram* eiuſdem *Druſi* prope Lupiam, Germani diſiecerant. Florus libro quarto hæc Druſi trophæa in Marcomannorum territorio, ſed oppido latè nimis conſtituit. Inſcriptio quam dixi à mi-

Lib. 2. Annal.

Ibidem.

lite & exercitu poſitam, iſta eſt:

DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS EXERCITVS TIBERII CÆSARIS EA MONVMENTA MARTI ET IOVI ET AVGVSTO SACRAVIT.

De ſe Germanicus ipſe nihil addiderat metu invidiæ, an ratus conſcientiam facti ſatis eſſe. Campus, in quo commiſſa pugna eſt, *Idiſtaviſum* appellatur Tacito, qui ita deſcribit: *Accenſos & prælium poſcentes in campum, cui* idiſtaviſum *nomen deducunt. Is medius inter Viſurgim & colles, ut ripæ fluminis cedunt aut prominentia montium reſiſtunt, inæqualiter ſinuatur.* Qua in voce manifeſta, niſi me fallit opinio, veſtigia Germanici idiomatis: nam antepenultima ſyllaba indubie in **hauſen** terminavit; quod appareat evidentius, modò additâ adſpiratâ (quam more ſuo Græci Romanique omittunt) ſcribamus efferamuſque **Idiſthauſen**. Iuſto tamen Lipſio is eſſe Campus viſus eſt, qui infra Bremam, duobus circiter Germanicis miliaribus diſtans, apud pagum, qui **Veghesack** dicitur, hodie ſe aperit, flumen inter colleſque & ſaltus amænè collocatus. At alio potius & ſupra Bremam trahere videntur, quæ ibi etiamnum vicorum ſunt vocabula ab *Idiſthauſum* Taciti haud multum abludentia, ut ſunt in ora Viſurgis, aliquot ſupra Bremam paſſibus, **Thienhauſen** / ut habent Ortelij tabulæ; vel, ut Mercatoris, **Tedinchauſen**; & denique, paulum ultra flumen, **Ophauſen**. Sed ipſe propius inſpiciendus,

Commen. ad Tacit.

dus eſt Tacitus, qui ut amni iſti præcipuè famam & ce- 1. Annal.
lebritatem dedit; ſic ipſe viciſſim amnis (mirum fa-
tum, nec iſta occaſione ſilendum!) Tacito viciſſim
meliorem operum, id eſt, vitæ partem reddidit.
Nam quinque primores Annalium libri inventi Cor-
beiæ, quod ad Viſurgim monaſterium eſt: atque
illinc depromptos quæſtor aliquis pontificius ad Leo-
nem Papam detulit redonatus ab eo aureis quingen-
tis. Porro, ut ſupta Apollinaris *Viſeris* pro *Viſurgi*:
ità *Iturgus* extulit pto *Viſurgo* Albinovanus: *Decolor
infecta teſtis Iturgus aqua.* Atque id pro varietate
idiomatum linguæ Germanicæ. Saxones enim Bel-
gæque atque omnes Oceani accolæ *t* uſurpant ubi
alij duplex *ſſ*, ut **waſſer/water/** *aqua*; **was/watt/**
quid. Nec aliter Græcorum quoque dialectus variat,
θάλαττα, θάλασσα. Hodiernæ ac vernaculæ appella-
tioni **Weser** / reſpondet proximè *Viſeris* Apollina-
ris, ut & ante per occaſionem obiter indicatum hîc re-
petere ſupervacuum exiſtimo.

Viſurgi LVPIAS ſubiungitur, quem in eandem *Luppia.*
cum Amaſo ac Viſurgi partem defluere iam modò
refutavimus. Nam in ultimis Bructeris prope Pa-
derbornam ſub caſtro Lipſpringæ ortus non in Ocea-
num, ut Amaſus & Viſurgis, ſed in Rheni alveum
iuxta Vezaliam delabitur. Vadiani manifeſtum er-
rorem Neccarum conjectantis redarguit ſatis Iu-
nius; ſicuti & Irenici in Lonam commutantis. Inter
hunc & Amaſum nomen etiamnum ſervat inclytus
ille Variana clade ſaltus **Teuteburch**/apud villã Teu-
tonis, vulgariter **Teutenmeyer.** Tacitus 1 Annalium

Teutoburgienſem appellavit, ubi hæc habet: *Ductum inde agmen ad ultimos Bructeros: quantūq; Amiſiam & Luppiam inter vaſtatum: haud procul* TEVTOBVRGIENSI *ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionumq; inſepultæ dicebantur*. Huic ſaltui vicinus adiacet campus victoriæ eiuſdem cognomine inſignis; **Windtfeldt** dictus. Reſtat etiam *rivus roſcus*, **de rode Beecke**. quod nomen rivo inditum volunt ab aquis Romano infectis ſanguine. Nam & effodiuntur ibi locis paſſim gleboſis calvæ ſeu cranea hominum diſſecta & pila Romana rubigine obducta; ut refert pluribuſque enarrat in ſua Rheni fluminumque influentium Deſcriptione Bernardus Mollerus Monaſterienſis, qui eam anno 1571, apud Birckmannum Coloniæ excuſam, Elegiaco Carmine edidit.

Sala. Vltimo loco ſe offert in verbis Strabonis SALA fluvius, quem hactenus, præter Hadrianum Iunium aliosque paucos, plerique ad *Salam*, qui Sorabos & Turingos in Orientali Germania ſecludens, Albim intrat; alij ad *Salam*, qui Mæno miſcetur, referendum prodidere. Quamobrem de Francis quoque, qui Salij dicti, eorumque origine & ſitu, nihil niſi nutans & cæcum ſibique pugnans repotuerunt eruere, ut ſuo dicetur loco.

Sala Albim influens. Nam Sala, quem hic Strabo nominat, quomodo in intima aut Orientali Germania fuerit, cum eum Viſurgo, Amaſo, Lupiæ, id eſt, occiduæ & eius Germaniæ, in qua minores Germanorum gentes colere facit, fluminibus iungat? deinde & ibidem occubuiſſe Druſum addat? Quis autē in Dionis Svetonijq; libris, qui nunc in omnium manibus, vel leviter verſatus ignoraverit non in ortiva atque interiori Germania ſupra Viſurgi fontes, ſed cis ultraque Viſurgum ipſum ad Albim uſque,

que, ut Dio habet, domitis hoſtibus, ipſumque iam
bim tranſire parantem, continuo Rhenum verſus,
ro cedere & in itinere ac regreſſu ægrotare cæpiſſe ac
uſquam Rhenum attingeret, morbo deceſſiſſe? Et
on ſtaret vicinum admodū Rheno fuiſſe, antequam
m ſupremum clauderet, adijcit Dio, ad famam æ-
tantis Auguſtum, qui haud ità procul, in Lugdu- Lib. 55.
ıſi nimirum Gallia, aberat, celeriter Tiberium mi-
e, qui animam adhuc trahentem fratrem repererit,
pusque mox defuncti Romam deferri curarit, por-
tibus id principio ad hiberna centurionibus ac mi-
um tribunis, inde ſingularum in itinere urbium pri-
oribus. Quibus & conſonant verba Svetonij, qui In Claudio.
ijſſe in *Caſtris æſtivis* ait, eaque dicta exinde SCELE
TA. Caſtra autem illa æſtiva ſtatim ultra hiberna, &
propinquo fuiſſe, vel ex illis, quæ Dio habet, & nos
parte iam retulimus, ſatis intelligi exiſtimo. Nam
od Strabo dixit, ut Græca Latinis reddamus, *inter Sa-
& Rhenum bellantem & res feliciter gerentem obijſſe eum*,
is non videt id Hadriano Iunio ad mentem Dio-
s & ex loquēdi forma de bello iam peracto intellectū.
m, videlicet non belligerantem etiamnum, ſed parta
n adverſus Cattos, & Cheruſcos victoria & regredi
templo, & ſtatim exinde ægrotare cæpiſſe; & ante-
am Rhenum, licet vicinum iam, ut ex Dione retuli-
ıs, attingere potuerit, intra hæc, *Salam* videlicet, ut
rabo nominat, ſeu, ut hodie, *Iſalam veterem*, quà par- *Salá, Iſala.*
ſuperior fluit, ipſumque Rhenum obijſſe? Ne dice-
habeamus abſurdiuſculum fore, ſi Strabo minores
occiduæ Germaniæ gentes ac flumina enarraturum
pollicitus, alienum aliquid, & longe ab eo tractu ſe-
motum.

motum ex Hermundurorum, Semnonum & Svevorum, quos iam ante abſolverat, diſtrictu admiſceret. Et adde Cheruſcos Catthoſque, quorum tum fines populabundus intraverat Druſus, haud commode inter Salam ſuperioris Albis & Rhenum ſitos dici potuiſſe; niſi improprie admodum & ἐν πλάτει locutum Strabonem velimus admittere. præſertim cum iſte non tantum Sala Sorabos, ut diximus, à Thuringis in intima & ortiva Germania ſecludat, ſed alij inſuper inter eundem & Cattos Cheruſcoſque ſint & fluvij & populi, quos non dico adierit deviceritque, ſed ne ſollicitaverit quidem eâ expeditione Druſus. Nam, ut poſuimus, Dio poſt infeſtatos ad Svevos uſque Cattos, converſo ſtatim in Cheruſcos itinere, Viſurgim tum demum tranſgreſſum eum, & ad Albim deſcendiſſe refert, ut cis atque infra Viſurgi fontes, ſive hîc Rhenum ſive ex adverſo, qua inferior fluit, Albim reſpiciamus, perpetuo conſtitiſſe ſatis hinc liqueat: Et ideo vel imaginari velle ad interiores illos, vel, ut Strabo denominat, *maiores Germaniæ populos* ac *flumina*, & illam præſertim ultra Viſurgim, remotiſſimam Albis Salam perrexiſſe ac ſigna circumtuliſſe videatur omnino ἀπροσδιόνυσον. Et renuit quoque, præter iam dicta, claſſis & commeatus, qui Oceano & Amaſo ſubvectus eas præcipue gentes, quæ circa Viſurgim & proximum Albim, Oceanũ verſus, colebant, quarum Cattos & Cheruſcos ut remotiſſimos Dio recenſet, adoriri eundem Druſum voluiſſe, argumento fuerit. Accedit his omnibus, quod etiam eruditiſſimus ille Strabonis Commentator Iſacus Caſaubonus haud aliter eo loci acceperit apud Strabonem *Salæ* vocabulum, quam de fluento eidem,

Dio eodẽ lib. 55.

in

in quo *Amaſus* & *Lupias* fluunt, tractui quam proxime contermino:ut omittam, in eandem ſententiam expoſuiſſe quoque iam olim verba Strabonis Althamerum Commentario ad Taciti Germaniam. Quamquam,ut dixi, ἐν πλατεῖ accepta Strabonis verba aliorſum ulteriuſque trahi poſſe concedere haud abnuam : ſi & unà concedatur, allata jam pro Iunij aliorumque, quos innui, maximorum virorũ opinione nequaquam videri de nihilo floccique habenda.

Quod autem alij de *Sala* Strabonem interpretantur, qui Mænum influit, quia Druſi cenotaphium Maguntiaci fuiſſe dicat Eutropius, ideoque colligendũ etiam in proximis Maguntiæ locis cõtra Germanos belligerando oppetijſſe : Illis reſpondendum, nec Cheruſcos nec Cattos, quibuſcum Druſo tunc res fuit, illo diſtrictu inveniri ; deinde nec ſimpliciter dicere Eutropium ibi ſolius Druſi ſervari monumentum, ſed filium quoque Druſi Germanicum monumentum ibidem habuiſſe. Ait enim : *Poſt hunc Claudius fuit, patruus Caligulæ, Druſi (qui apud Maguntiam cum filio Germanico monumentum habet)* * *filius.* At Germanicus Druſi,ut omnibus conſtat, non in oppoſita Maguntiæ Germania, ſed Antiochiæ exſtinctus eſt. Non ergo ſequitur,quia Maguntiæ fuerit Druſi cenotaphium, ideò quoq. aut ibi,aut circa ea loca,obijſſe; Nam etiam Ravẽnæ in Italia ſepulchrũ habuiſſe memoria priſci lapidis loquitur,qui habet: *Sala Mænum ingrediens, Strabonis non eſt.* Lib.7.hiſt. Romanæ. * *Ita in Eutropio legendũ ubi perperam habemus in nonnullis codicibus, frater pro filius editum. Claudius enim imperator Druſi filius, non frater.*

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆS, AVG. GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. DESIG: III. IMP. III P.P. DEDIT. OB. MEMORIAM PATRIS. SVI. DEC: VII COLLEGII. FABR. M. R. HS. ∞ . N. LIBERALITATE. DONAVIT. SVB. HAC CONDICIONE. VT. QVOTANNIS. ROSAS. AD. MONVMENTVM EIVS. DEFERANT. ET. IBI. EPVLENTVR. DVNTAXAT. IN. V. ID. IVLIAS. QVOD. SI. NEGLEXERINT. TVNC AD. VIII EIVSDEM COLLEGII. PERTINERE, DEBEBIT, CONDICIONE, SVPRADICTA.

Quæ cum ità habeant; quærat fortaſſe quiſpiam, quo itaque locorum funeratus proprie conditusſque hic Druſus? Verum eius ſepulturam Romæ fuiſſe patet ex Dione ſuperius citato, itemque Svetonio, qui in Claudio ait: *Corpus eius* (Druſi) *ex Germania ad urbem devectum, ſepultumque in Campo Martio.* Reliqui ergo iſti tumuli, honorarij fuerint, cuiuſmodi paſſim per Galliæ civitates eidem à militibus excitatos, circa quos certo die quotannis decurreretur civitateſque ſupplicarent, refert ibidem Svetonius, & Dio lib. 55; qui addit, *Germanici cognomen ipſi & filijs tributum, honoreſque ſtatuarum, fornicum & honorarium ad ipſum Rhenum tumulum erectum.* Nec ad Rhenum hæc tantum; ſed in ultima etiam Aquitania, Burdigalæ ſcilicet, ſtatuam eiuſdem Druſi antiqui operis cum inſcriptione vidiſſe memini, indubie olim, eiuſmodi ſive tumuli honorarij, ſive decurſionis ergò conſtitutam. Inſcriptionem, quam dico Itinerario noſtro Narbonenſi, licet mutilam, interſerui, adiectâ ſimul ex Tacito causâ tam effuſi in hunc Druſum amoris honoriſque Romanorum, fuiſſe videlicet, potiundæ adhuc aliquando per eum libertatis ſpem. Sed Taciti ipſius verbis etiam iterato hoc ipſum dicetur melius: *Druſi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque ſi rerum potitus foret, libertatem reducturus; unde in Germanicum, filium eius, favor & ſpes eadem.* Nec illud hac occaſione involvendum ſilentio, ab iſtis nimirum HONORARIIS gentium TVMVLIS Chriſtianorum exinde altaria & aras martyribus paſſim poni ſolitas fluxiſſe: Quas Auguſtinus & Latini *Memorias* & *Monumenta*, ut plurimum, nominarunt; Græci *cenotaphia*, voce formulari, & quæ rem ipſam propriè explicat, dicere

Sveton. c. 1. in Claud.

Tacit. lib. 1. Annal.

cere conſveverunt. Nam & Dio de hoc ipſo Druſi ſepulchro Maguncaci ad Rhenum, loquens, *cenotaphion* fuiſſe ait, quod ut ſupra poſitum, *honorarium tumulum*, interpretes reddiderunt. Eſt enim *cenotaphium* monumentum in quod corpus nullum illatum habetur; ſed ſoli memoriæ & honori datum intelligitur. Verum de hoc alibi fortaſſe oportunius. Lib. 55.

Eſto itaque *Sala*, ſeu, ut nunc dicere uſus obtinuit, *Iſala*, qui è jugis Veſtphaliæ, haud longè ab ipſius Lippiæ alveo ortus leni hodieque fluento per Helburgum Anholtumque, atque inde Doetecomium adusque Duſburgum, ſub Iſalæ veteris nomine, procurrens, ibidemque Iſalam novum ſeu foſſilem Rhenum, vel, ut veteres appellarunt, DRVSIANAM excipiens FOSSAM, Zutphaniam Daventriamque verſus, dextrorſum deflectit, ſeque in Auſtrinum exinde mare, *lacus* Tacito dictos, exonerans, Oceano tandem Norvagico, prope Flevum, commiſcetur. Verum obijci vnum poſſe animadverto; Si enim *Sala* ſit *Iſala* cur adiectu nunc ſyllabæ *Iſalam* potius quam *Salam* dicimus? Hic quod reſpondeatur præter coniecturam non invenio, *Iſalæ* videlicet adiectitiam illam *i* literam vel omiſſam, ut fit ſæpenumero, à Græcis Romaniſque, vel progreſſu longi ævi adſcitam videri ex Auſtrini illius, in quod procurrere tandem dixi, maris ſinu. Nam quidquid iſtius ab Amſtelodamo Idamum tenus ultraque, Enchuſam puta Staveramque verſus, patet, *Y* ſive *Ia* (nunc *Tia* corruptè efferunt) antiquitus appellatum ex ſuperſtite adhuc ibidem nomenclatura colligere eſt. Vnde & halecem, quæ ſtato anni tempore circa Enchuſam & illa loca capitur, Ybucking hodieque appellari *Iſalæ ortus ſeu fons.*

 omni-

Iſalam Salam olim dictam noua demõſtratio. omnibus notum eſt. Et præter hæc, *Iſala* priſcum primumque vocabulum, abſque vocalis tertiæ copula, *Salam* videri fuiſſe, etiam ſi nec Strabo nobis favere probaretur, extra propemodum, controverſiam collocet primò ſolum ſeu territorium quod eſt ultra eundẽ Iſalam *Sallandia* hodieque nominatum, quaſi *Sala* ſeu *Saliorum regionem* dicas; tum & vicus in Iſalæ eiuſdem crepidine *Salicum* appellatum: Quorum *Sallandia* illud omne intelligitur, quod Iſalæ hodieque ulteriorem marginem prætexit; *Salicum vero* vicus intra Svollam Campoſque eſt, Iſalæ citeriorem ripam pæne contingens. Quibus accedit & **Oldenzalia** oppidum in ijſdem tranſiſalanis haud ultimum. *Salios* etiam hinc *Francos* nomen originemque ſortitos ſuo mox recenſebimus loco; obiterque aliorum refellemus opiniones, qui vel ex Turingis, vel aliunde producunt. Quos inter, Poldum, præter ceteros, in Septimaniæ deſcriptione toto aberraſſe cælo reperio, quum *Salicos Francos* Narbonenſis Galliæ populos conſtituat, quia forte *Salyos* meminerat à Floro nominatos, quos *Salaſſos*, ab Auguſto domitos, nuncupat Svetonius. At ij *Salÿ* Alpina etiamnum gens eſt, nominiſque priſci veſtigium hodieque reſervans ſub titulo *l'marchiſat de Salus*. Quapropter eiuſmodi ſi coniecturæ locum & fidem mereantur jam non modò intimæ illæ remotæque ab omnibus paludibus Saxeæ Alpes, ſed Africa quoque & Mauritania, itemque Hiſpania & Dalmatia, una cum Italia, *Salios* nobis *Francos* ſuppeditaverint. Nam *Salam* oppidum eiuſdem nominis impoſitum flumini, refert in Africæ deſcriptione Plinius; in Hiſpanijs autem Martialis eſt *Salo*, qui ferrum gelat, & *Salonia* apud

Sallant.

Sallic.

Dal-

Dalmatas, Diocletiani patria; necnon in Italia *Sallentinum promontorium* & populi, ut omittantur & alia.

Ceterum Tacitus nuſquam hoc fluentum Salam aut Iſalam, ſed *foſſam* perpetuo *Druſianam*, aut *Rhenum* nominat. Plinio quoque & Melæ itemque Ptolemæo ſimiliter *Rhenus* eſt. De Iſala idcirco, priuſquam finiam, neceſſario ſubmonendum quod à nonnullis, poſt curioſam licet Iunij diligentiam, in dubium hodie vocitari video, tertium hinc Rheni oſtium conſtituendum ex Pliniana Batavorũ reliquorumque in Rheno inſulanorum deſcriptione, quæ exſtat quarto Naturalis hiſtoriæ huiuſmodi: *In Rheno ipſo prope C.M. paſſuũ in longigitudinẽ nobiliſſima Batavorũ inſula & Caninefatum & aliæ Friſiorũ, Chaucorum, Friſiabonũ, Sturiorũ, Marſatiorum, quæ ſternũtur inter Helium & Flevum. Ita appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus ab Septentrione in lacus, ab occidente in amnem Moſam ſe ſpargit; medio inter hæc ore modicũ nomini ſuo cuſtodiens alveũ* Hunc etiam locũ alibi adductũ propius preſſiuſq; aliquando introſpeximus. Nunc quod ad Borealem hunc Rheni exitũ attinet, haud aliũ intellexerit hic Plinius quã qui novæ Iſalæ ſeu foſſæ Druſianæ certo primum intra ripas alveo, atque inde per patentes Auſtrini maris lacus, aduſq. Flevũ, dilatus, artato ibidẽ inter arenarios colles oſtio, in Oceanũ Septentrionis hodieq. ſub Flevi nomine procurrit. Nam quod Plinius in lacus ſe ſpargere, hac parte, Rhenũ ait, haud aliorſum quã ad Iſalæ in ſinũ Auſtrini maris procurſum trahi poterit, cũ etiã diſerte eoſdẽ lacus agnoſcat in navigatione ex Rheno ad Amaſim Germanici Tacitꝰ. Poſtquã enim Druſi foſsâ, i. Iſalæ alveo, egreſsũ dixerat Germanicum, addit continuo ipſum exinde *lacus & Oceanũ uſq; ad Amiſiam*

Iſala, *Rhenus* Plinio, Tacito *aliiſque.*

 ſecun-

ſecunda navigatione pervectum. Quin & eodem loco Tacitus priuſquam in foſſam Druſianam claſſis illa Germanici, quæ mille navium fuit, deduceretur, docet demonſtratque, quænam & quot eſſent Rheni oſtia, quæ mare Oceanum infunderentur, duoque hæc extima (*Helium* nimirum & *Flevum* Plinio nominata) enumeraſſe contentus, medium reticet, quaſi ſufficeret ſtatuiſſe bipartitam alvei Rhenani diviſionem, apud principium agri Batavi in Vahalim videlicet, quem Moſa dein atq; Helius excipiunt, & Rhenũ hunc foſſilem, vulgo nunc Iſalam, & porro ſub ipſo in Oceanum exitu, Flevum nominatum. Vnde & Iunius colligere vult, Taciti tempore medium, intra hæc oſtia, alveum, fuiſſe habitum rivi fortaſſe loco; præcipuumque honorem in Druſi gratiam & ob rerum gerendarum oportunitatẽ iſti potiſſimum foſſæ adſcriptũ tributumque. Sed operæ eſt pretium ipſa Taciti verba, ob rem atque expeditionem noſtris illis in oris, omnibus ſeculis memorabilem; tum ut iſta ſemel finiatur controverſia, fuſius adſcribere: *Miſſis ad cenſus Gal-*

Lib. 2. Annal. *liarum P. Vitellio & Scantio; Silius & Anteius & Cæcina fabricandæ claſſi præponuntur. Mille naves ſufficere viſæ, properatæque: aliæ breves, anguſta puppi proraque, & lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quædam planæ carinis, ut ſine noxa ſiderent; plures adpoſitis utrimque gubernaculis, converſo ut repente remigio, huc vel illuc appellerent: multæ pontibus ſtratæ ſuper quas tormenta veherentur. ſimul aptæ ferendis equis aut commeatui; velis habiles, citæ remis; augebantur alacritate in ſpeciem & terrorem. Inſula Batavorum in quam convenirent prædicta, ob faciles adpulſus accipiendiſque copijs, & tranſmittendum ad bellum oportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus,*

aut

aut modicas inſulas circumveniens apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur, ſervatque nomen & violentiam curſus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verſo cognomento, Vahalim accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Moſa flumine, eiuſque immenſo ore eundem in Oceanum effunditur. Sed Cæſar dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu irruptionem in Cattos facere jubet. ipſe audito Caſtellum Luppiæ flumini adpoſitum obſideri, ſex legiones eo ducit &c. Et poſt pauca: *Iamque claſſis advenerat, cum præmiſſo commeatu, & diſtributis in legiones & ſocios navibus,* FOSSAM *cui* DRVSIANÆ *nomen, ingreſſus, precatuſque Druſum patrem, ut ſe eadem auſum, libens placatuſque exemplo ac memoria conſiliorum atque operum juvaret: lacus inde & Oceanum uſque ad Amiſiam flumen ſecunda navigatione pervehitur.* Quibus accuratius examinatis facile daturos manus mihi perſuadeo, quicunq; Leccam lacus eos faciunt, quique ex Vechta Flevum ſeu tertium hoc oſtium confici credidêre. Nam diſerte hîc Tacitus, præter Moſæ oſtium alterum hoc, quà egrediendum claſſi erat, Rhenum nominat ſuamque ſervare appellationem & curſus violẽtiam adijcit, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano miſceatur, omiſſo, ut fere ſolet, lacuum ac Flevi nomine. Et quò eſſet evidentius, quemnam intelligeret Rhenum, hoſque lacus ac Flevum intendi, ſubdit ſtatim, *Foſſam Druſianam*, nunc *Iſalam novum* appellamus, claſſe ingreſſum Germanicum, atque inde *lacus* & *Oceanum*. Et ut iterum ijdem verbis Taciti revincantur, repetit in libello de moribus Germanorum, *Friſios maiores minoreſque, quaſi quodam ambitu ſuis ſedibus immenſos lacus cingere Rhenoque ad Oceanum uſque prætexi.* At in con-

Vide Divæi Antiq. Belg.

feſſo jam omnibus eſt *utroſque* hodieque *Friſios*, tam qui in inſulis Rheni *minores*, nunc Veſtfriſij aut Noortholландi dicti; quàm ijſdem ex adverſo in continente locati *maiores*, haud alios circum habitaſſe antiquitus lacus, quam Auſtrale, quod dicimus ab Enchuſa & Stavera ad Oceanum uſque mare; nec alij utrimque prætexere ad uſque eundem Oceanum fluento potuiſſe, quam quod hodie videmus Tacituſque hîc, Plinium indubie ſecutus, *Rhenum*: nos Iſalam dicimus. Et ecquid denique moviſſet magnopere Druſum tanti operis foſſam è Rheno in Iſalam ducere, ſi tertium aliquod intra Iſalam Plinijque medium oſtium exſtitiſſet, quod & commeatum & claſſem aliaque ad belli uſum neceſſaria in Oceanum illum Borealem aut Flevum uſque deportare patente ac commodo alveo potuiſſet?

Superiorum epilogus. Vt ergo concludam, eoque unde digreſſus ſum, id eſt, ad Strabonem redeam; ſi itaque Strabonis huc *Salam* referimus non tamen Druſiana hæc propriè intelligi foſſa debet, ſed Iſala, ut innui, quæ ſuperior & vetus dicitur, quæque levibus diu aquis è primo ſuo fonte profluens, juxta Duſburgi demum mænia, foſſili hoc Druſi Rheno in ſe recepto, novoque ſic impetu aucta in apertum Auſtrini maris ſinum infra Campos oppidum evolvitur. Ibique notandum eundem huncfluvium in effuſo illo ac latè patente Auſtrino mari, interque latentia ſub undis vada ſuum nihilominus alveum (**De Kil** hodieque inter Enchuſam fere ac Staveram nuncupant) retinere, ut exhibent manifeſto pinaces nonnulli hydrographici; qui & Inſulæ *Flevi veteris* undiſque abſorptæ vadoſa adhuc veſtigia, priuſquam ad latus hodierni ac ſuperſtitis *Flevi* in Oceanum amnis **T'oude Vlie.**

egre-

egreditur, liquidiſſimè ſubindicant: Ita ut plurimum exinde lucis accedat verbis Melæ, qui hunc ipſum Iſalam ſub Rheni ſimiliter nomine, ut innui modo, intelligens ait, *Flevum eum dici ubi agros implevit eiuſdemque nominis*, Flevi puta, *inſulam complecti, iterumque arctiorem poſt id fieri, fluviumque emitti.* Ita enim habet: *Rhenus diu ſolidus & certo alveo lapſus haud procul à mari huc & illuc diſpargitur, ſed ad ſiniſtram, amnis etiam tum, & donec effluat Rhenus, ad dextram primum anguſtus & ſui ſimilis, poſt ripis longe ac late recedentibus iam non amnis ſed magis lacus, ubi cãpos implevit Flevo dicitur, eiuſdemq; nominis inſulã complexus, fit iterũ artior iterũq; fluvius emittitur.* Vt inde vel illud etiã intelligi queat, Iſalam olim, non uti nunc, infra ſtatim Camporum oppidum in vaſtum illum ſinum, quem Auſtrinum mare dicimus, diffudiſſe ſeſe nomenque ac ripam mũtaſſe ſuam; ſed alveo aliquandiu certo per medios agros ſervato, Vidroque hinc atque illinc Ya receptis, ubi Cuneram Staveramq; prætervectus eſſet plures in partes ſciſſum prataq; tũ & campos, ut habet Mela, impleſſe, Flevumque, ab inundatione ſcilicet illa, populariter nuncupatum; ubi verò arctior iterum fieret, Rhenum denuo ac fluvium intellectum. Vt ità nunc obiter quoque & illis reſponſum putem, qui è Vecta amne Velaviciq; nominis reliquijs inſulæ huius Flevi ſitum, curioſe quidem, ſed indagine minus recta repetere atque indagare laborarunt.

Pomp. Mela lib. 3.

Vide in Hollandiæ Deſcriptione Tabulas item Bert I.

CAP. X.

EX TACITO ADDITVM *DE* FRISIIS, ANſuarijs *alijſque Straboni non nominatis.* Sicambros *fuiſſe, qui Tacito exinde* Germani. *eoſdemq́; poſtea* FRANCOS *&* FRANCIAM *appellatam.* Germania *quæ propriè, itemque* magna Germania. *Stephani Ethnographi de* Rhenis *ſeu Rhenenſibus locus cum Perſio collatus.*

ORDINE atque autoritatis aſpectu Strabonem Tacitus ſequetur: Qui enumeratis jam inter Albim Rhenumque populis plures accenſet, uti ſunt præter alios *maiores* primò *minoreſque Friſij*, Straboni, ſi rectè ſuſpicor, ob cauſam à nobis ſuperius relatam prætermiſſi. Eorum ſedes, quas hodieque immote tenent, paucis verbis expreſſæ Tacito, cum utroſque, ad Oceanum uſque Rheno prætexi dixerit, ambireque immenſos inſuper lacus ac Romanis claſſibus navigatos. Ita enim habet: *A fronte Friſij excipiunt. Maioribus minoribuſque Friſijs vocabulum eſt, ex modo virium; utraque nationes uſque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immenſos inſuper lacus & Romanis claſſibus navigatos.* Hæc olim Tacitus: Nec etiamnum iſtâ tempeſtate alius limes utrumque populum diſpeſcit, quàm quod Rhenus, iam Iſalæ cognomento clarior; & lacus Taciti dicti, nunc ſpecioſi maris ſpeciem ac nomẽ præferentes, occiduôs atque orientales Friſios faciant: quorum *occidentales* ſeu Taciti *Minores* Hollandiæ exinde comitatu accenſi,

Friſii Maiores & minores.

Tacitus in Germania.

accenſi, Boreales jam Hollandi frequentius audiunt, Plinio olim *in Rheno* una cum Friſiabonibus agniti. *Orientales*, id eſt, *Maiores* eidem Tacito nunc etiam ſubinde occidui dicuntur ob Friſios tranſamaſanos, quibus ad occaſum oppoſiti jacent: Tacitus eos, aſpectu *Minorum*, qui *in Rheno* Plinio, *tranſrhenanum populum* & *tranſrhenanam gentem* non uno loco nominat: Nam in Annalibus ità de ijs loquitur: *Eodem anno Friſij, tranſrhenanus populus, pacem exuère noſtra magis avaritia quam obſequij impatiens:* Et iterum de ijſdem quarto hiſtoriarum: *Statimque accitis Friſiis (tranſrhenana gens eſt) duarum cohortium hiberna proximo occupato oceano irrumpit:* At Plinius, qui, ut diximus; IN RHENO Minores ſeu inſulanos intellexerat, Maiores ex adverſo TRANS RHENVM, nunc Iſalam dicimus, in continente nimirum Germaniæ agnoſcit cum inquit: *In Germania* TRANS RHENVM *caſtris à Germanico promotis* &c. *Friſii, quà caſtra erant, noſtris demonſtravere herbam, qua vocatur Britannica*, &c. Atque ita duplices Plinio, ſicut & Tacito, Friſij, *in Rheno* nimirum *Minores* ſeu inſulani, quos hodie adhuc *occiduos* appellant diplomata, vulgo *Northollandi* dicuntur; Et *trans Rhenum*, ſeu *transrhenani*, qui reſpectu priorum *orientales* ſeu, ut vulgo, Friſij nunc proprie dicti, quemadmodum Tacito *Maiores*, ob vires & libertatem, quâ etiam hucuſque inviolatâ perpetuoque uſi ſunt.

Plin. lib. 4. cap. 15.

Lib. 25. cap. 3.

Friſii in Rheno & trans Rhenum.

Deinde & *Anſuarios* Tacitus idem aperuit, unde exortos poſtmodum *Anſuarios Francos* ſuo mox loco monſtrabitur. Super ijs iſta Tacitus: *Eoſdem agros* (limitaneos ſcilicet à Friſijs prius inſeſſos) *Anſibarij occupavere, validior gens, non modò ſua copia, ſed adiacentium populorum miſeratione: quia pulſi à Chaucis & ſedis inopes, tutum exilium*

Anſuarij ſive Anſibarij.

Lib 13. Annal.

exilium orabant. Aderatque ijs clarus per illas gentes, & nobis quoque fidus, nomine Boiocalus &c. Et ſtatim: *Avitus in agrum Tencterûm induxit, excidium minitans, niſi cauſam ſuam diſſociarent. igitur abſiſtentibus his, pari metu exterritis Bructeris, & ceteris aliena pericula deſerentibus, ſola Anſibariorum gens retro ad Vſipios & Tubantes conceſsit quorum terris exacti, cum, Cattos dein Cheruſcos petiſſent, errore longo, hoſpites, egeni, hoſtes, in alieno quod iuventutis erat; caeduntur.*
*Lib. 2. Verum de his, ut dixi, uberius & ſuo mox * loco luculentius.

Vſipetes & Tencteri. *Vſipetum* verò *Tencterûmque* multo accuratius idem meminit, quos ex Cæſare jam ante dixeramus iniuria Svevorum ſuis ſedibus ad iſtæc inferiora depulſos, Sicambris aſſociatos. Circa Rhenum quoque, ſed Oceano non ità, ut Friſij propinquum fixiſſe pedem, *Lib. 54. præter ex Cæſare allata, etiam* Dio innuerit, qui κατὰ τῶν Βαταούων νῆσον *iuxta Batavorum inſulam* Vſipetes collocat, ut non immeritò vocabulum eorum in Hollandiæ opidulo *Veſopo* etiamnum perſentiſci ſuſpicatus fuerim; aliter quam noſter Iunius, qui Zutphenorum hinc etymon eſſe eliciendum in Batavia ſua voluerit: nam Zutphenorum notationem elucere manifeſto in Zupt/quod *Auſtrale* noſtratibus; & *phenem* ſive venen/ quod, ut indicavimus, *paluſtria paſcua* denotat, ecquis magnopere dubitet? Straboni etiam obiter, ſed vitiosè nominatos invenio voce νσσίπων pro ὐσιπίων. Dio, loco ſuperius indicato, non tantum eorum ſed gentium quoque illis confinium meminit, verbis, quæ, uti è Græco reddita ſunt, omnino adſcribi merentur: Ita enim habent: *Ipſe Druſus in Vſipetarum regionem ſecundum inſulam Batavorū, atq; inde in Sicambrorum terram tranſgreſſus,*

ſus, magnam agri partem vaſtavit. Hinc ſecundo Rheno in Oceanum devectus, Friſios ſubegit, ac per paludem in Chancorum fines profectus, in periculo fuit, navibus propter defluxum maris in ſicco deſtitutis: tamen Friſioru͂ opera, qui pedeſtri militia ſe ei iunxerant, ſuperatò diſcrimine inde digreſſus (iam enim hiems appetebat) Romam pervenit. Verum Taciti, quem dixi, de ijſdem Tencteriſque non omittenda verba, libro de moribus Germanoru͂: *Proximi Cattis certu͂ iam alveo Rhenum, quiq; terminus eſſe ſufficiat, Vſipij ac Tencteri colu͂t.* Nam, ſi Iunium ſequimur, *Rhenus alveo certus* Iſala, de quo ante dictum, intelligendus erit. Et certe haud alium orbis poſitum tunc tenuiſſe vero conſonum ſit, quia ſubjicit exinde Tacitus, *Iuxta Tencteros occurriſſe olim Bructeros.* At *Bructeros minores* cis Amaſum fluvium coluiſſe, qui Iſalæ proximè vicinus, iam modò demonſtratum eſt. Verum quæri hîc poſſit cum Vſipetum ac Tencterorum tam diligenter poſt Cæſarem ac Strabonem meminerit Tacitus, cur Sicambros in Germaniâ ſuâ ne quidem nominaverit? Cauſam eiuſce ſilentij iam ante tetigiſſe videor hîc uberius aperiendam. Nam Sicambros cum præcipuè & ſeriò, inter Germaniæ gentes, formidaverint Romani, eos dedentes ſe in proximos Rheno agros traduxiſſe Auguſtum, unà cum Vbijs, docet in vita Auguſti Svetonius, ubi inquit: *Germanos ultra Albim fluvium ſubmovit: ex quibus Vbios & Sicambros dedentes ſe traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* Quo loci *Vbios*, ut habet V. C. Vrſini, non *Svevos*, ut perperam hactenus evulgatum, legimus. *Vbij* enim & *Sicambri* non *Svevi* in Galliam & ripam Rheni citeriore͂, ubi & hodieq; **Vbich** pagus, tranſlati.

Sicambri in Taciti Germania *cur omiſſi.*

Tacitus conſilio atque aſtu potius Tiberij quàm vi aperta deditos innuit. Quod etiam ipſius Tiberianæ, ad Germanicum, epiſtolæ fragmentum addocet, cuius, inter alia, iſta apud Tacitum verba ſuperſunt: *ſe novies à divo Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quam vi perfeciſſe. Sic Sugambros in deditionem acceptos, ſic Suevos, regemque Maroboduum pace obſtrictum. poſſe & Cheruſcos ceterasque rebellium gentes, quando Romanæ ultioni conſultum eſt, internis diſcordijs relinqui.* Traducti ergo Sicambri, ſed ita, ut aliqua nihilominus eorũ portio relicta ſit, quod ex Strabone iam ante collegimus, quique ſeorſim & peculari eoſdem vocabulo SICAMBROS idcirco GERMANOS videtur affeciſſe; ut & * ſupra, nulli adhuc priorum obſervatum, annotavimus. Hanc portionem in veteri & ſuâ conſiſtentem patria veriſimile eſt unà cum socijs viciniſque gentibus bellum deinceps adverſus Romanos præcipuè foviſſe, eoſque in genere exinde *Germanorum* ſolo vocabulo ſæpenumero intellectos Tacito. Nam quidquid eſt intra Rhenum inferiorem atque Albim interque Oceanum ac Cattos Germaniæ, id totum abſolutè *Germaniæ* aut *Germaniarum* nomine paſſim afficit, nulla ſuperioris vel inferioris, quomodo de Germania Belgica relatum ſuperius eſt, adhibita mentione. Idque vel unicum aut alterum eiuſdem teſtimonium, quamuis occurrant plura, ratum faciat ex primo Annalium, ubi deſciviſſe *Germanias* inquit, Varo trucidato. Quæ autem Germaniæ à Romanis tunc deſciverant, niſi quas inter Albim Rhenumq; intraq; Oceanum Britannicũ ac Cattos collocatas deſcripſimus? Sic itẽ ſecundo Annaliũ, ubi Germanico ijſdem in oris agenti ſucceſſorẽ dandum ſvadet Tiberius,

Annal. lib. 2.

Lib 7. Geograph. Lib. 4. Geograph.

* Pag. 44. & 45.

Tacitus 1. Annal.

2. Annal.

us, verba ſunt Taciti; *ſimul adnectebat Tiberius, ſi foret adhuc bellandum relinqueret materiem Druſi fratris gloriæ, qui nullo tunc hoſte alio, non niſi apud Germanias adſequi nomen imperatorium ac reportare lauream poſſit.* Nec aliud ex eodem colligas, ubi Rhenum uno alveo adusque principium agri Batavi cõtinuum definiens, ità porro adjicit: *Apud principium agri Batavi in duos amnes Rhenus dividitur ſervatque nomen & violentiam curſus, qua Germaniam prævehitur; ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens.* Nam eo loci *Germania* ille proprie diſtrictus eſt, quem indicavimus, occidentalior. Svetonius ſimiliter *Germanicum bellum* nominans haud aliud intelligendũ voluit, præter iſtius Germaniæ: *Druſus*, inquit, *in quæſturæ praturæque honore, dux Rhætici deinde Germanici belli, Oceanum Septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit.* Cap. 1. in Claud.

Quibus poſitis, commodum nunc ſub inferendum illam, nec aliam eſſe Germaniam, quæ exinde FRANCIA primitus eſt appellata. Quod ſi idoneis teſtibus effecero, magnam difficultatis partem in aditu hoc operis ſuperaſſe putabo. Et primum quidem Procopium Cæſarienſem producam, rerum, quas ævo Iuſtiniani memoriæ prodidit, ocularum ſcriptorem. Is lib. 1. belli Gothici, inter cetera, refert circa Rheni exitum, antequam ſe in oceanum effundat, eſſe regionem crebris paludibus abundantem, quam *Germani*, gens Barbara olim & contemta, ſua ætate in Gallijs conſiſtens, *Franci* nuncupati; ab initio incoluerint: ſed antequam ad eum ſermonem accedit hæc præmittit: *Gothos, qui Gallias præ Francorum formidine cuſtodirent, ad ſe revocare non potuit. Franci autem iſti, Germani quondam vocitabantur: quemadmodum verò à principio fuerint id nomen ſortiti, & Gal-*

Germania & Germani occidui, Francia & Franci poſtea.

Procopius.

liaſ

lias deinde invaſerint, ac Gothis ſimul hoſtes ſint effecti explicaturus mox ſum. Atque inde addit : *Rhodanus in mare Tyrrhenum, Rhenus in Oceanum immittitur. paludes hiſce in locis non paucæ, ubi primitus Germani, gens barbara habitabant, nec magni tunc primum momenti viri, qui Franci nunc vocitantur.* Cui utrique teſtimonio non abſimile eſt & aliud Agathiæ Smirnæi, initio hiſtoriæ, quæ Procopianam continuat. Ità enim habet Francos ſimiliter, iam intra Gallias pacate & firmiter conſiſtentes, deſcribens : *Sunt Franci Italis accolæ & contermini, olim dicti Germani, quod quidem ſatis conſtat. Nam circa Rhenum fluvium habitant & continentem ei adiacentem, maximamque Galliarum partem occupant, non quidem iam olim ab ipſis poſſeſſam, ſed poſterius acquiſitam. Maſſiliam quoque urbem tenent, Ionum coloniam. Hanc enim olim Phocenſes ex Aſia à Medis pulſi incoluerunt, nunc ex Græcanica, eſt barbarica. Patriæ enim Reipublicæ adminiſtratione abiecta, imperantium legibus utitur. ſunt enim Franci non campeſtres, ut fere plerique barbarorum, ſed & politia, ut plurimum, utuntur Romana & legibus eiſdem &c.* Quo loci quod ait, vel potius interpres quod reddiderit, *non eſſe Francos campeſtres*, intelligendum ex textu Græcanico, qui habet οὐ νομάδες id eſt, *non eſſe vagos* aut *errones*. Eiuſmodi eim Græci *nomades* vocant. Atque hæc Procopius & Agathias; neque recedit ab illo authorum conſenſu Nicephorus. Verum ante omnes, imo omnium inſtar unus eſto Hieronymus, qui & Procopio & Agathia ſeculo antiquior, hoc eſt, qui antequam Rhenum Franci tranſiſſent Galliamve ſerio tentaſſent et iamnũ ſuperſtes, ita ſcriptum reliquit eorundem & ſedem & locum, quem intendimus, accurate ſimul indicans, in vita Hilarionis : *Inter Saxones & Alemanos, gens non*

Agathias.

Hieronymus.

non tam lata quam valida apud Hiſtoricos GERMANIA, *nunc* FRANCIA *vocatur*. Iis enim in verbis quid eſſe certius poteſt, quam *Germaniæ* vocabulo, non univerſam Germaniam, ſed iſtam præcipuè occiduam & Rheno inferiori objectam partem intelligi? Quis enim de univerſâ dixerit, *non tam lata quam valida?* Nec alio abit, hucque digitum intendit etiam Auſonius Burdigalenſis, qui ſimiliter, rebus Romanorum in Galliis ac limite Imperij adhuc integris, *Franciam* circa Chamavos (de quibus ſupra indicatum) eoſque Germanos agnoſcit, qui ex oppoſito inferiorem Rheni limitem ſpectabãt. Rhenum enim infra Moſellam, eoque jam recepto, undantius atque felicius fluentem, ità alloquitur: In Moſella;

Accedent vires, quas FRANCIA *quaſq; Chamavus*
Germanique tremant, tum verus habebere limes.

Vult enim dicere, ea parte, infra, inquam, Moſellam, quo aquis auctior latiorque Rhenus decurrat, eo quoque certius ac tutius à Rheni tranſitu inhiberi, qui tũ oppoſiti erant, eique jam toti imminebant, Francos: vireſque eo pacto ac robur acceſſurum Romano ſeu Galliarum limiti, imo verum ita haberi ac dici limitẽ Rhenum poſſe, dum eum Francus & Chamavus Germaniq; tranſire, ob latitudinem & profunditatem, timeant. Sed de hoc plura mox. Hujus quoque tractus & illi fuerint, quos ethnographus Stephanus *Rhenos* ſeu Rhenenſes appellat, cum inquit; Ῥῆνοι, ἔθνος παροικοῦν τῷ Ῥήνῳ, καὶ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενοι. *Rheni, gens fluvio Rheno accolens, & inde ita dicti*. Nec comminiſci poſſum, quo id authore acceperit Græcus author Stephanus; niſi inter Latinos Aulũ Perſium in mente habuerit, qui,

in illo Cai Caligulæ de tranſrhenanis mimico triumpho, ad pompam productos refert captivos ac tranſfugas *Rhenos*, juſſu Cæſoniæ Cai conjugis, per procuratores varie conquiſitos. Ait enim:

Satyr. 6.

Miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: & iam poſtibus arma,
Iam Chlamydes regum, iam lutea gauſapa captis
Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia RHENOS.

Et fuiſſe iſtos eiuſdem Germaniæ, quam temporis lapſu *Franciam* poſtea appellatam nunc monui, aſtipuletur, præter alia, Hollandiæ metricū Chronicum, ante annos trecentos & quod excurrit, idiomate vernaculo concinnatum; ubi Franci priuſquā Galliæ interiorem oram in univerſum occupaſſent, **Rhyn-francken**, id eſt, ut loqui Perſiū oſtendimus, *Rheni* ſeu *Rhenenſes Franci* nominantur. Beatus porro Rhenanus cum hanc, tū univerſam tranſrhenanā Germaniam, ut à Belgica nimirum (quam *primam* & *ſecundam*; itemq; *ſuperiorem* atque *inferiorem Germaniam* priſcis nuncupatam, ſupra* docuimus) diſcriminaret peculiari voce *Germaniam veterem* nuncupavit. Hadrianus Iunius haud abſimili de cauſâ, hanc præſertim Rheni divortijs proximam eq; regione poſitam *Tertiam Germaniam* maluit dicere. Ego Tacitum ſecutus, illis verbis, *hactenus in occidentem Germaniam novimus*, ex ipſa re *occiduam* nuncupabo. In univerſum verò, id eſt, & occiduā & ortivam, una cum Boreali, Germaniam æſtimāti *Magna* dicetur, authore vel Martiano Heracleote qui Γερμανίαν μεγάλην ſeu MAGNAM GERMANIAM agnoſcit.

* Cap. 4.

Lib. de German.

Germania occidua.

FINIS LIBRI I.

IOHANNIS ISACII
PONTANI

ORIGINVM FRANCICARVM

LIBER II.

CAP. I.

GERMANIÆ MAGNÆ NOTATIO ITEMQ; diviſio, quâ uſi veteres, & præſertim Plinius, in Ingevones, Iſtevones *&* Hermiones.

FRANCICÆ gentis cunabula & primas quaſi origines, cum eminus, & veluti per nebulam adhuc ſpectantibus, aperuiſſe iſta ſuperiori libro videri poterint, porro facturus operæ pretium videar, ut lux ſua rebus affulgeat, ſi univerſam, id eſt, MAGNAM GERMANIAM, prout Cæſari, Tacito ac Plinio primum; dein ævi ſequentis autoribus nota diviſaque

ſaque fuerit, per partes, & illa præſertim gentium locorumque immutata paulatim, labentibus annis, nomina, quaſi in tabella, perſcripſero. Hinc, præter altiſſima, quæ dixi Francicæ gentis primordia, populi inſuper, quos aut finitimos, aut ſocios, aut hoſtes habuerit, aliaque talia, diſcuſſa vetuſtatis caligine, clarius omnia pateſcent.

Germaniæ *etymon.*

Et primò quidem, ut ab etymo nominis ordiar, licet obſcura ſint admodum, quæ de Germanici nominis origine literis mandata habemus, hoc tamen docere nos Tacitus poteſt, *Germanorum* vocabulum non eſſe gentis antiquiſſimum, ſed à *Tuiſcone* & *Manno*, quos eſſe Deos eorum idem opinatus eſt, **Tuyſchen** & **Duyſchmannen** ſive *Tuyſmannos*, id eſt Theutones, hodieque conſona vetuſtati voce, recte nobis nominari. Et licet addat deinde *à ſeipſis invento nomine Germanos vocari*; tamen cum ibidem ſimul fateatur id vocabuli prioribus additum, ſitque is Taciti locus omnis obſcurus admodum & nubilus, adeo ut inter interpretes reperiantur, qui non *à ſeipſis*, ſed *à re ipſa* legendum ſuadeant; omnino cum Strabone malim ſtatuere, Germanorum illis nomen à Romanis ob id inditum, quod eſſent corporum proceritate ac lacteo colore, nec non moribus ac reliquo vitæ cultu inſtar fratrum germanorum ac γνησίων, Gallorum perquam ſimillimi. Exſtant Græcanica eius verba lib. 7. Geograph. quæ ita reddidimus: *Iure mihi videntur Romani hoc illis* (Germanis) *indidiſſe nomen, quaſi* γνησίους *&* *genuinos Galatas dicere volentes: Genuini enim ſeu* γνήσιοι *Romanis* germani *dicũtur.* Nec abſone id etiam eò trahi poſſit, quod ſolemni & ſuo quodam more nec adhuc antiquato, nõ

Lib. de Moribus Germ.

ſcin-

ſe invicem tantum, ſed conterminos quoq; ac vicinos ſuos, paſſim ac familiariter, fratres ſoleant appellare. Et hoc eſt quod apud Plutarchum, Theutones legimus à Cimbris *fratres* nominatos. Cum enim apud Sextias Aquas concidiſſet primum Theutones Marius, idque ignorare viderentur Cimbri, qui per Noricum & iuga Tridentina ſe in Italiam effuderant, miſſis legatis petivere à Mario & ſibi & fratribus, Theutonibus videlicet, terras & ſtipendium dari: Mario percunctante de fratribus, quo nomine Theutones intelligebant, riſêre aſtantes. Ipſe vero Marius cavillans reſpondit, omitterent intercedere pro fratribus, habere eos datam à ſe terram, perpetuoque habituros; Cimbrorum legati aliquatenus ironiam percipientes, nec tamen penitus, repoſuêre, daturum cum pœnas & ſibi & Theutonibus, ubi adveniſſent; at præſto ſunt, inquit Marius, nec decet vos abire, niſi ſalutatis fratribus: Atque ita fatus vinctos Theutonum reges produci imperavit. Quæ & firmet quoque quod apud vernaculos ſuos ipſi Germani, nunquam *Germani*, ſed, ut Tacitus habet, *Tuiſcones* Theutoneſve perpetuo, & hodieqne Duydtſchen populariter audiant; ſolis Latinis ac Græcis Germaniæ vocabulum à Romanis, ut innuimus, quaſi per manus traditum, uſurpantibus. Quibus accedit Græcorum Latinorumque hiſtoricos vetuſtiores, & præſertim Polybium, non Germaniæ tantum ſed ne Rheni quidem nomenclationem vel fando accepiſſe; adeo ut Dio fortaſſis hinc tradiderit antiquitus omnes eas gẽtes, quæ ultra citraque Rhenum habitabant, *Celtas* uno nomine appellatas. Lib. 39.

Hinc iam concident omnia illa, quæ de Germano-

rum aliàs etymo multiplicem diſceptandi atque altercandi materiem fæcundis ingenijs præbuerunt; dum hic Germanos, quaſi *Garmannos*, id eſt, *prorſus viros* faciat; ille à cogendo milite, & ad ſe colligendo, haud abludente nomenclatura, quod **geren** / nobis eſt *colligere*, vocis notationem auſpicetur: Alius eadem veſtigia premens convenas ac conventitium populum interpretandum potius velit, cum **geren** & **garen** etiam *congregare* noſtratibus denotet: Et ante hos omnes Iſidorus Hiſpalenſis, dum propter fœçunditatẽ gignendorũ populorum *Germaniã* dictã putet. Ipſi Theutones ſtudio in patriũ nomen ulterius provecti, quaſi **heermenner**/id eſt, *militares viros* dictos crediderũt, cũ tamẽ nuſquam *Germannia* aut *Germanni*, ut *Marcomannia* & *Marcomanni*; ſed *Germania* & *Germani*, perpetuo & nuncupatum & exaratum inveniamus. Vnde fortaſſis & Eraſmus Roterodamus, in Scholijs ad Hieronymum, Strabonis potius, modò indicatam, quàm illam Iſidori, licet Latinam ſimiliter, notationem reſpiciens, dixerit *germanum* eſſe, quod Græci γνήσιον, appellant, hoc eſt *genuinum*; cuius contrarium ſit νόθον, hoc eſt, *adulterinum*, addens, *haud abſurdum eſſe Germanorum gentem inde appellatam videri, quod ij, ſi cum reliquis conferãtur nationibus minimum fuci, plurimum antiquæ ſinceritatis ac fidei & ruſticanæ, ut dici ſolet, veritatis obtinerent.*

Aliorum opiniones, & refutatio.

Noſter verò Iunius Hornanus, longe remotiora ſectatus, ultima ab origine vocis etymõ videtur arceſſere. Nam ex *Gomero*, Cimmeriorum gentis authore, triplicem ait propaginem exiſtere, *Aſkanaz*, *Riphat* & *Thogarma*, Moſe & Annalibus, qui Relictorum nomine inſcribuntur, authoribus. Hos inter *Aſkanaz*, ob vocis

Hadrian. Iunius. Cap. 21. Batav.

Aſkanaz.

cis videlicet alluſionem, Scandinavos Daniæ intelligit, Scandiam inſulam incolentes: quam cur inſulam nuncupet mirari me fateor, cum Norvegiæ ac Svetiæ cōtermina, per Finlandiæ ac Moſcoviæ latera, Europæ continenter adhæreat; ut omittam, Scandiæ etymon, Iunij opinionem, atque alluſionem ad vocem Hebraicam *Aſkanas*, evertere. Nam ipſis hodieque Danis contractiore voce **Shone** & **Schonouwe** dicitur, quod aliud non eſt, quam **Schone ouwen**/id eſt, *opima* & *amæna latifundia*; quod & alibi in ſimilibus vocibus, ut *Velavia*, *Batavia* alijſq; ſatis ſuperque demonſtraſſe me ſcio. *Riphat* deinde Rhiphæos interpretatur, qui Heneti Sarmatæque vel etiam Schytæ ſunt, quod & illi altiſſimum montium Caucaſum, Riphæum ipſis appellatum, accolant. *Thogarma* verò Germanorum progenitores contendit; licet Rabinorum communis opinio teneat Aſkanazin eſſe Germanos, atque ità dictos, ut habet nonnullorum ſententia, à *Scanaza*, quaſi habitatores diſperſos. In *Thogarma* nihilominùs manifeſtam vult eſſe Germanici nominis originem; rejecta *Tau* adiectitia, & ſecūda vocali ſumpta pro prima, quaſi noſtrati lingua per *the* articulum efferat quiſpiam, **the Germans**/id eſt, *Germani.* His adjicit & vocis etymon idem ſuadere, quod eſt *geram* ſive *geran os* ſignificans, metaphorice verò robur; quaſi oſſea ſit gens tota, ſolidarumque virium firmamento & robore compacta. Et ne quis autoritatis patrocinio deſtitui eum arbitretur, adducit Ezechielis trigeſimum octavum Caput, ubi minitans Deus, ſe oppoſiturum impijs totum terrarum orbem, & gentium immanium arma, prophetæ verbis ità loquitur; *Gomer & univerſa eius agmina domus*

Riphat.

Thogarma

Thogar-

Thogarma, latera aquilonis. Eoque loci ait Chaldæum paraphraſtem non obſcurè *Germanos* pro voce *tho-garma* reddere ac nominare.

Reſponſio ad Iunij ſententiã. Eſto ergo; & demus ſonum vocis in verbis prophetæ parum abludere à vocabulo Germaniæ, tamen Germanos Theutoniæ propriè intellectos quomodo probaverit? Nam eodem Ezechielis Capite 27. denuò, inter ceteros, nominantur domus Tho-garma populi equos & equites, itemque mulos adduxiſſe ad forum Tyri adhuc florentis; eoſque ab extremo Aquilone Germanos potius, quam, verſus eundem Aquilonem, viciniorem aliquam gentem fuiſſe, quis pro certo aſſerat? At eo etiam loco, teſtante eodem Iunio, vertit Chaldæus interpres, *Thogarma, de regione* Germaniæ. Si, quod exiſtimo, vetuſtiſſimum paraphraſten Ionathanum intelligit, ſcire tum refert eundem Ionathanum, qui nuperè, hactenus deſideratus, Venetijs editus eſt, ad decimum Caput Geneſeos, non *Thogarma*, ſed *Magog*, *Germaniam* interpretari; illud verò Ezechielis, Cap. 27. *de domo Thogarma*, non, ut Iunius, *ex regione Germaniæ*, ſed *ex provincia Germamia* tranſtuliſſe: Idemque diſtinguere à *Germaniæ* vocabulo in Lexico ſuo Chaldaico Eliam Levitam. Quin & alter ille interpres Chaldaicus, quẽ Hieroſolymitanũ nuncupant, *Thogarma* iſtud Geneſeos capite decimo, non *Germaniam* ſed *Barbariam* reddidit. Vtriuſque huius paraphraſtæ copiam mihi fecerat amicus & collega noſter Antonius Thyſius, qui & illud obiter addidit hodieque Iudæos non *Germanos* noſtrates, ſed *Turcas* vulgo *Thogarma*: *Germanos* verò *Aſkanes* perpetuo indigitare. Quomodo in Theſbite quoq; ſuo Elias, quam dixi, Levites commemorat. Sed & illud repu-

repugnet Iunianæ ſententiæ, etiamſi apud Ezechielis paraphraſten *Thogarma* intelligeretur *Germania*, repugnet, inquam, & Iunij & paraphraſtæ ſententiæ, quod in Germania, utpote frigidiori axe, muli nulli proveniant: At iſtos de domo Thogarma, præter equos & equites, mulos etiam ad Tyri mercatum produxiſſe, prophetæ verbis jam modò indicatum eſt; quæ ipſa ita habent: *Iavan, Tubal, & Meſchec erant mercatores tui: hominibus & vaſis æreis, negotiabantur in commercio tuo: Qui erant è domo Togarmæ; equos & equites, ac mulos adducebant in nundinas tuas.* Cap. 27. v. 13, 14. Quo loci Tremelliana Biblia ad oram lectorem ablegant ad verba, quæ habentur Geneſeos decimo, modò etiam indicata, iſta nimirum: *Filij Gomeri; Aſchanaz, & Riphat & Thogarma*; faciuntque *Thogarma*, populorum Armeniæ minoris authorem. Quocirca ſi & *Garmamiam* in verbis paraphraſtæ Chaldaici de *Carmania* Parthis Perſiſque vicina fuerim interpretatus, favebit huic opinioni, quod in textu Chaldaico non, ut dixi, *Germania* ſed *Garmamia* reperiatur. Quamvis & *Germe* Helleſponti oppidum, itemque ad Euphratem *Germanicia*; & apud Herodotum inter Perſas *Garmanij* occurrant, ut haud neceſſum fuerit ab ultimo Borea noſtrate Germanos ad Tyri forum arceſſere. Nec me latet interim, Geropium Becanum mirum in modum ſibi applaudere inventis, quos indicavi, apud Herodotum *Germanijs*. Putat enim id ipſum, ſi Tacito conſtitiſſet, minime ab eo proditum fuiſſe Germanorum nomen nuper additum exſtitiſſe. At bonus ille vir nullum inter *Garmanios* & *Germanos* diſcrimen videtur agnoſcere; nec *Carmanios* hodieque Perſis conterminos, ijſdem etiam Perſis tunc ſubditos fuiſſe;

itemque *Germanes* philoſophorum ibidem certum genus Straboni nominatum; ut facile cuivis pateat, nihil iſta ad Theutonum noſtramque Germaniam. Accedit his D. Hieronymus, qui locum Ezechielis interpretaturus ait, eos de domo Thogarma, Phrygas intelligendos, quod equorum mulorumq; maxima quondam apud Phrygas fuerit copia: Phrygas autem Tygrammanes eſſe docebit Ioſephus, qui Tygrammanes ait à Græcis Phrygas olim vocatos; eoſque in Lexico ſuo Hebraico Tygramæos facit Robertus Stephanus. Hieronymus denique, in Quæſtionibus ad Geneſin, idem hoc iterans ita loquitur: *Aſchanaz Græci Reginos vocant: Riphat, Paphlagonas; Thogarma, Phrygas.*

Germaniæ diviſio. Verum iſthæc ad Germaniæ originationem vociſque etymon, quod attinet, puto ſufficere. Nunc diviſionem & partes recolligamus:

Cæſar. Cæſar, ut ſuperius diſtinctim indicatum, Sicambros tantum & Vbios in adversâ Belgio Rhenanâ ripâ agnoverit; iiſque, Orientem verſus, proximos Svevos; & Svevos quidem aduſque Cheruſcos Boreales pertinuiſſe; contra verò meridiem ac Danubium, Marcomannis fuiſſe eoſdem Svevos conterminos: Tencteros autem atque Vſipetes junxiſſe ſe, infra Vbios, Sicambris; utpote rebus ſuis, ob ſitus ac finium ratiõẽ, perquam accommodis.

Tacitus. Tacitus deinde poſt non modò Cæſarem, ſed & Strabonem, quod ex antedictis quoque (licet obſcurius) intelligi potuit, tripliciter videtur hanc omnem Germaniam magnam partitus, in *Occiduam* videlicet, *Orientalem* & *Septentrionalem*. Nam occidua parte præcipuè ei intellectã celebratamque Germaniam apparet,

cum ait: *Hactenus in Occidentem Germaniam novimus*, Eamque à Rheno occiduo, prope Vbios, adusque Borealem Oceanum Viſurgimque definivit, comprehẽdentem, præter Cattos, Vſipetes, Tencteros Bructeroſque, etiam Chamavos, Angrivarios & Anſivarios, itẽque majores præſertim Friſios adusque Chaucorum gentem: hos enim limite Boreali, una cum Cheruſcis cis Albim, & Foſis ac Cimbris, clauſiſſe videtur, collocans loco tertio, Ortũ verſus, Svevos, eoſq. cis & ultra Albim, atq. inde ingenti flexu, aduſq. Danubium facit colere, proprijs nationibus nominibuſque diſcretos, quanquam in commune Svevorum vocabulo notos. Lib. dẽ Moribus Germ.

Plinius aliâ viâ ingreſſus uſuſq. antiquiſſimis nominibus, &, quantum colligere licet, ipſorum Germanorũ vernaculis, plurimũ tamẽ obſcuritatis, Theutoniſmi tã gnaris quàm ignaris, relinquẽtibus, quinq. Germanorum populos conſtituit. Vulgo enim editur: *Genera Germanorum quinq; Vindelici, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingevones, quorum pars Cimbri, Teutoni ac Chaucorum gentes; Proximi autem Rheno Iſtevones, quorum pars Cimbri mediterranei; Hermiones, quorũ Svevi, Hermũduri, Catti, Cheruſci. Quinta pars Peucini, Baſternæ, ſupradictis contermini Dacis.* Quo loci rectè Rhenanus, præeunte Tacito, pro *Vindelici* (qui Rhetiæ ſecundæ populi tunc erant, Romanis ſubditi) repoſuit *Vandali*, qui & *Vindeli* nonnullis dicti. Deinde pro verbis *proximi autẽ Rheno Iſtevones, quorũ pars Cimbri mediterranei,* reſcribendum maluit, partim ingenio, partim eodem Tacito nec non & Strabone duce; *proximi autem Rheno Iſtevones, quorũ pars Sicambri. Mediterranei Hermiones.* Nam Cimbrorũ partem jam ante Ingevonibus adſcripſerat. *Hermiones* etiã mediterranei ſive medij appellati Tacito. Plinius. Lib. 4. cap. 14.

to. Sed præſtat fidei ergo, adducere ipſiusmet verba, qui initio ſtatim libelli de moribus Germanorũ ſic ait: *Mãno tres filios adſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingevones; Medij Hermiones; ceteri Iſtevones vocentur. Quidam licentia vetuſtatis plures Deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Svevos, Vandalos affirmant.* Quibus in verbis notandum inſuper, tribus præcipuè populis, quos quinque fecerat Plinius, circumſcribi Germaniam: Plinijque vocem *Ingevones* reſervari, à Rhenano, ut opinor, audaciuſcule commutatam in *Vigevones*. Sunt enim *Ingevones*, vernaculo Theutonum idiomate, qui loca introrſũ coarctata, puta Cherſoneſum vel Iſthmum, ut ipſi hodieque Cimbri, incolunt, quaſi **inge** aut **eng woners.** Danis hodieque quidquid introrſum & intraneum intelligitur, non, ut nos, ſimpliciter **in**/ ſed **inge** dicunt. *Iſtevones* verò, ſive *Viſtovones* potius, ſimiliter à ſitu dicti, quod Rheno, occidentẽ verſus, proximi adhabitarẽt. quamvis Hadrianus Iunius in Batavia ſua pro *Ingevones*, *Iſtevones*, pro *Iſtevones*, *Veſtevones* maluerit; quaſi hi occaſum, illi ortum verſus coluerint. Mihi placeat retinere dictiones receptas, quo reſpondeant ſingula diviſioni cum Cæſaris, tum Taciti jam modò proditæ: ut nimirum *Ingevones* Septentrionales fuerint; *Iſtevones* verò, vel (ut efferendum rectius, leviſſima aut nulla propemodum mutatione, monui) *Viſtevones* id totum inſederint, quod ab occiduo Rheno juxta Vbios ad Albim fere & Oceanum uſque Borealem protendi indicavimus, quaſi **West woners.** *Hermiones* denique inter occaſum & Boream medij, ab ortu Boreali in meridie, Danubij Rhenique mediterranea habuerint; id enim ſonet

Ingevones. *Viſtevones.* *Hermiones*

net, thermidwoners/vel, Hertmidwoners/quod telluris ſolidiorem portionem, & quaſi meditullium tenuerint. His accedit Iſidorus Hiſpalenſis, qui, licet ævo longe poſterior, ſuperioribus tamen non inconvenienter tradidit, cingi *magnam* hanc *Germaniam* à Septentrione & occaſu Oceano; ab ortu Danubio; à Meridie Rheno flumine; niſi quod inde duas tantum cõſtituat Germanias, ſuperiorem juxta Septentrionalem Oceanum; inferiorem circa Rhenum, omiſſa mediterranea illa, quam *Hermionum* fuiſſe monſtravimus. Ipſa eius verba hæc ſunt: *Germania poſt Scythiam inferiorem à Danubio inter Rhenum fluvium Oceanumque concluſa, cingitur à ſeptentrione & occaſu Oceano: ab ortu verò, Danubio: à meridie, Rheno flumine dirimitur*: & poſt pauca: *Duæ ſunt autem Germaniæ, ſuperior iuxta ſeptentrionalem Oceanum: inferior circa Rhenum.* Iſidorus lib. 14. cap. 4. Orig.

CAP. II.

EIVSDEM GERMANIÆ IN SAxones, Alemannos *&* Francos *ſcriptorũ ævi ſequentis diviſio. deque* Saxonibus *primum atque* Alemanis *nonnihil præmiſſum.*

HI ergo, quos diximus, *Iſtevones*, *Ingevones* atque *Hermiones*, tres illæ gentium matrices ſunto, ex quibus, haud longo exinde intervallo, exorti poſtmodum, mutatis nomenclationibus, *Saxones*, *Alemani* & *Franci*.

Nam innotuiſſe *Saxones* ætate ſtatim Ptolemæi Pe- Saxones.

luſiotæ, qui poſt Tacitum, anno fortaſſe triceſimo aut quadrageſimo, ſub Hadriano atque Antonino Pio inclaruit, vel ex tabulis ipſius Chorographicis liquet, qui ultra Albim fluviũ ad initium Cherſoneſi Cimbricæ eoſdem collocat, quo loci Plinij *Ingevones* fuiſſe, jã memoravimus. Ammianus Marcellinus, qui, Cornelij Taciti veſtigia legens, initiũ hiſtoriæ ſuæ, ubi deſierat Tacitus, à Nerva ſcilicet exorſus fecerat, paſſim eos nominat, nec alios propemodum, quàm *Saxones, Alemanos* ac *Francos*, utpote jam famigeratos, in rebus præſertim Conſtantij & Iuliani celebrat. Adeò ut verba Hieronymi * ſuperius laudata, quibus ſuo adhuc ævo *inter Saxones* & *Alemanos Franciam* & Frãcos collocat, hinc præcipue lucem accipiant. Nam licet Ptolemæus ultra Albim *Saxones* conſtituat, poſtea tamẽ Albim etiam atq. Viſurgim tranſvectos, ſeq. ad interiora non ſolũ Germaniæ penetraſſe, ſed ſui quoq. juris feciſſe Britanniã, referre hoc loco prolixius, præter inſtitutũ judico: Illud tamen obiter, quod ad originem gentis facerit, attingere nõ ſubterfugiam, minus videlicet probari mihi eorum opiniones, qui vel à Saxone Negnonis fabuloſi filio, & Vandali fratre; vel à ſaxea gentis natura; vel à Macedonij exercitus reliquijs, vel ab Indis denique nominis occaſionem aniliter aucupantur; Nec illorũ etiã accedere ſentẽtiæ, qui à Sacis Aſiæ populis ortos, itàq. dictos putant, quaſi *Dacoſones*, id eſt, *Sacarum filios*, cũ tradat Tacitus Germanos aliarũ gentiũ adventibus atq. hoſpitijs minime mixtos: Vt omittã dicere, ſi Saxones à Sacis Aſiaticis ſint, aut multa ante ſecula Aſiatici iſti in Germanias immigraverint; aut tum, cum eorum primũ nomenclatura Romanis innotuit. Si olim, id

* Cap. ultimo Lib. 1.

id eſt, trecentis ante natum Criſtum annis, ut computat Suffridus Petri, quomodo latere tandiu potuerint? Sin vero, ut indicavimus, Antonini imperio; quomodo id clariſſimos iſtius ævi hiſtoricos Græcos Latinoſque fugiſſe ſit viriſimile? Quocirca ſi quam nominis originationem amplecti ſit animus, eam ſequi mallem, quam prodidit Engelhuſius, homo Saxonicus, à brevioribus gladiolis ſic eos nuncupatos indicās, quos ipſi Saxones **ſachs** appellaverint; Nam & Dani & Friſij orientaliores hodieque idem retinentes *forficem* itemque *cultrum* **ſachs** nominant. Quin & ipſa quoque Saxonia in ſcuto ſuo, ſive clypeo vetuſtiori (**wapen** & **ſchilt** vernaculo idiomate dicimus) duos gladiolos adhuc oſtentat, in formam crucis tranſverſim cōſtitutos, indubitatum nomenclationis huiuſce argumentum. Et affirmat præterea eandem originationem VVindikindus, ubi ait: *Fuerunt qui hoc facinore nomen Saxonibus inditum tradant: cultelli enim noſtra lingua* ſachs *dicuntur.* Engelhuſij quæ aſpexi verba ſic habent: Lib. 1. Geſtorum Saxon.

Quippe brevis gladius *apud illos* Saxa *vocatur,*
Vnde ſibi Saxo *nomen traxiſſe videtur.*

Nec abs re id fuerit, præſertim cum prodat memoriæ Tacitus, inſigne fuiſſe Rugiorū Lemoviorumq. ab Oceano Germaniæ Boreali, qui Ortum ſpectat, paulo introrſus habitantium, *breves gladios.* Ait enim: *Protinus deinde ab Oceano Rugij & Lemovij: omniumque harum gentium inſigne, rotunda ſcuta, breves gladij, & erga reges obſequium:* At è contrario Cimbri, ijſdem fere contermini, oblongos & grandes geſtarunt; ut notat Plutarchus, μεγάλαις, inquiens, ἐχρῶντο καὶ βαρείαις μαχαίραις, *grandibus & oblongis utuntur gladijs Cimbri.* Lib. de Germ.

Qua-

Quapropter conſentaneum videatur Rugijs, illiſque nationibus Albi flumini paulatim appropinquantibus, & mox etiam pedem figentibus; ob habitum eiuſmodi inſolitum, ac novum teli genus, novum quoq; nomen, Saxonum nimirum, à prioribus illis ac veteribus colonis inditum.

Atque id quidem ego vero quàm proximum dixerim, niſi remoram inijcerent Æneæ Silvij, qui poſtea Pius pontifex fuit, apud Crantzium verba; Is enim tres hodie Germaniæ populos *Luſatios, Miſnenſes* & *Saxones* à tribus Bohemiæ fluminibus *Luſuntio, Miſa* & *Saxona* non incommodè videtur deducere. quamvis ipſe hanc originationem non approbet Crantzius; cum tamen non Silvium, ſed Crantzium authorem eius dixerim. Silvius enim ſimpliciter hos Bohemiæ fluvios fatetur initio ſtatim Bohemicæ hiſtoriæ, nec ultra quidquam, quod populos hos ſpectet, videtur commemorare. At Crantzius id pluribus agit in procemio Saxoniæ, poſteaq; refutat: ſicut & Suffridus Petri, Crantzio multò infirmiora, & pæne anilibus fabulis aniliora referens; dum è Sacis, ut indicavimus, Aſiaticis atque exercitu Alexādri Magni Macedonico Saxones nobis producere ſatagit.

Suffridus Petri lib. 2. de Orig. Friſ.

Alemani,

Alemanorum deinde vocabulum ſub Probo Auguſto primitus auditum indicare videtur Vopiſcus in vita Proculi, ubi Alemanos, tunc adhuc Germanos dictos, pluribus commemorat à Probo præliis ſuperatos. Verum cum longè ante id temporis Antoninus Caracalla cognomen Alemanici uſurpaverit, quod eoſdem Alemanos deviciſſet, & Claudius, qui poſt Galienum imperavit, de ijſdem trophæa reportaverit, veriſimile

eſt

eſt Alemanorum etiam tum nomen, ante Probi nimirum tempora, celebratum, licet Germanorum uſitatius adhuc fuerit, præſertim provincialibus. Sedes eos, non modo intra Mænum amnem, Danubium ac Rhenum, ſed ultra etiam Mænum, Boream & occaſum verſus, tenuiſſe patebit, cum ex verbis Ammiani, Lib. 28. Alemanorum Regis Macriani cum Francis, utpote conterminis, bellum commemorantis; tum ex Panegyriſta, qui à Maximiliano Herculeo regem quempiam Alemanorum captum refert, indeque per pontem Magunciensem eundem Herculeum ingreſſum, totam Alemaniam populando paragraſſe aduſque traiectum Guntienſem, hoc eſt, ad pontem uſque, qui hodieque apud oppidum Guntzeburgum ſervatur. Ait enim Panegyricus: *Captus rex ferociſſima nationis, inter ipſas, quas moliebatur inſidias, & a ponte Rheni uſque ad Danubij tranſitum Guntienſem devaſtata atque exhauſta Alemania. A ponte Rheni*, id eſt, à ponte, qui fuit Maguncíaci; cuius præſertim Ammianus Marcellinus meminit, ubi Iulianum cum exercitu Maguncíacum profectum narrat, ibique, ponte tranſito, terras Alemanorum intraſſe. quamvis ex verbis Ammiani Lib. 17. non unum tantum, ſed plures fuiſſe conſtratos pontes intelligere eſt. Poſtquam enim dixiſſet; *Petiturus ipſe Maguncíacum, ut, ponte compacto, tranſgreſſus in ſuis requireret Barbaros*, Addit continuo, *Moxque ad locum prædictum eſt ventum, flumine pontibus conſtratis tranſmiſſo, occupavere terras hoſtiles.* Adeò ut ambigendum vix ſit, qui Plinio nobiſque ſuperius *Hermiones*, eos Alemanos poſtmodum Svevoſq. fuiſſe. Nã promiſcue ſubinde utramq. hanc natione͂,

Svevorum dico atque Alemanorum, nominatam non modò poetis, ſed hiſtoricis quoque Marcellinus palam faciet, & ille præſertim locus Pauli Diaconi, in Mauritio: *Iſte ex Svevorum, hoc eſt, Alemanorum gente oriundus, inter Longebardos creverat.* Quibus accedit & Abbas S. Galli Gualfridus, qui inquit: *Cum duo ſint vocabula Svevia & Alemania unam gentem ſignificantia, priori nomine nos appellant circum poſitæ gentes, quæ latium habent ſermonem.* Cujus rei cauſa ratioque ex etymo præſertim nominis, ut exiſtimant quidam, repetenda. Aſinius enim Quadratus apud Agathiam, collectitiam fuiſſe Alemanorum gentem teſtatur, rem ipſam quaſi præferente nomine. Quapropter nihil novum fuerit ſi Svevi ſubinde dicerentur Alemani, cum inter ipſos complures & præcipuè Svevicæ nationis populi exſtiterint. Quamvis in Claudiani alijſque veterum codicibus non *Alemannia* ſed *Alemania* exaratum, ut plurimum, repperi. Nec aliorum porro originationes huc adducere magnopere neceſſarium exiſtimo, quod fabulis atque ægri ſomnijs propiora, imo vix veri colorem aliquem præferentia, loquantur. Iſidorum quoque Hiſpalenſẽ quomodo juvare poſſim, qui *Alemanos* dictos docet, *quod juxta Lemanum fluvium habitarent: De quibus Lucanus, deſeruere cavo tentoria fixa Lemano?* Nam nec circa Lemanum habitabant antiquitus Alemani; nec de Alemanis ullatenus accipiendus ille verſus Lucani. Quocirca ſi ſuſpicioni locus, dixerim per imperitiam Chorographiæ id excidiſſe Iſidoro, ſcribereque debuiſſe, aut certe ſcriptum alicubi reperiſſe, quia *juxta Alemanum fluvium* habitarent, quod ille Lucani magis memor *Lemanum* reddidit, cum *Alemanus* ſit

[Margin notes: Lib. 1. — Al-man. — Lib. 9. Orig.]

Ger-

Germaniæ magnæ fluvius, qui juxta Kelhemum Danubium intrat, ortus à parte Germaniæ Boreali. Aventinus *Alemanum* fere ſemper appellat; Irenicus *Alomonum*; accolis hodieque eſt *Almul:* Hæc conjectura ſi locum inveniat, addi ad rei maiorem probationẽ poſſit, ità & Svevos, à Svevo fluvio, à Lano, Alanos appellatos; à Lano, inquam, qui ultra Danubium fertur: Ab Indo denique Indos ortos, & Iberos atque Iberiam, ab Ibero quoque flumine; ut parcam repetere quod de Rhenis populis à Rheno nominatis, ex Perſio & Stephano Byzantino jam modò * relatum eſt. * Lib. 1. c. 10.

CAP. III.

FRANCORVM VETERVM PRIma ſedes ac ſitus. & quando innotuerint.

FRANCOS denique, qui ordine nunc ſequuntur & quorum potiſſimum nomine hunc ingreſſi ſermonem ſumus, exordium aut nominis certe celebritatem acce-piſſe reperio imperante ſtatim Galieno. Nam Poſthumus vir bello fortiſſimus, cum ſeptennium totum Gallijs laudabiliter præfuiſſet; Galienus vero luxuriæ ac popinis vacaret, à Gallis totoque exercitu ad imperiũ vocatus eſt. Verum cum ſe illi Galienus opponeret; coactus eſt ſibi conſulere deque auxilijs circumſpicere Poſthumus: Eaq; & FRANCICA & Celtica tũc accepiſſe refert Trebellius Pollio. Sed operæ eſt ipſius verba referre: *Cum ludibrijs,* inquit, *& bellua-tionibus vacaret Galienus neque aliter rempub. regeret, quam* A.C. 252.

cum pueri fingunt per ludibria poteſtates : Galli, quibus inſitum eſt luxurioſos principes ferre non poſſe, Poſthumum ad imperium vocarunt : qui tum Galieni Legatus Galliæ cum imperio præerat. Et paulo poſt : *Contra Poſthumum Galienus bellum incepit : & cum multis auxilijs Poſthumus iuvaretur Celticis ac* FRANCCIIS *in belliicum Victorino proceſſit.* Exortos autem notoſque primitus eo loci, quo collocatos ex Cæſare oſtendimus *Sicambros*, ex Plinio *Viſtevones*; ex Tacito verò *Germanos* ſic propriè dictos (ut ſunt Bructeri, Chamavi, Angrivarij, Tencteri, Vſipij ac Friſij reliquaque illa inter occiduum Rhenum Oceanumq. atque Albim fere manus) vel inde liquebit, quod illud Germaniæ reliquum ad *Ingevones* proprie pertinens, à *Saxonibus* potiſſimum; *Hermionum* verò Svevorumque territorium, ab *Alemanis* occupatum, inque nomen eorundem verſum, jam monſtratū ſit. Vnde facillimum nunc erit intelligere locū illum D. Hieronymi, ſupra quoq. ſemel iterumque ſed obſcurius fortaſſis atq. obiter rècitatū, ex vita Hilarionis: *Inter Saxones & Alemanos, gens, tam lata quam valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur*: Cum enim ad Boream ortumque Borealem fuerint Saxones; Svevi verò & Alemani prætexentes Almonum fluvium, inſederint quidquid eſt circa Mænū Rhenumq; Meridionalem aduſq; propemodum Danubium, relinquitur occiduam Rheni Germaniæq. partē tenuiſſe Francos. Adeo ut Saxones terga, Svevi ſeu Alemani ortum latuſque meridionale Francis clauſerint. Quin & idē Hieronymus, quem imperio Valentiniani I. floruiſſe conſtar, in Chronico
A.C. 373. Euſebiano ulterius progrediēs definiviſſe quodāmodo, & digito veluti intēto oſtendiſſe pro parte eorū ſitū
vide-

videtur, cũ *Saxones* dicat, Nu. 1389, *Deuſone cæſos in* REGIONE FRANCORVM. Quod pæne totidẽ verbis repetens Caſſiodorus confert in IV. Valẽtiniani & Valentis Augg. cõſulatũ; quamvis Ammianus Marcellinus, qui Lib. 28. una cum Valente & Valentiniano tum militavit, in III. eorundem imperatorũ conſulatum reijciat. quem etiam de toto Saxonici iſtius belli eventu præcipue videre operæ pretium. Oroſius quoq. idem tangens ait in Oceani litturibus & invijs paludibus ſitos Saxones periculoſã Romanis finibus eruptionem molientes in ipſis FRANCORVM TERRIS oppreſſos à Valentiniano. *Deuſonem* ergò, in verbis iſtis Hieronymi, quod eſſe Divionem, nonnullis perſvaſum eſt, ij ſanè multũ à vero abeunt. Quomodo enim Æduorũ tractus Francorũ regio veteribus diceretur, præſertim Valentiniani tẽporibus, quando vix, Rheno traiecto, ripã Romani limitis invadere Franci tentaverãt? Mihi pæne dubium non eſt *Deuſonẽ*, id eſſe Hieronymo, quod annis ſequentibus hiſtorici *Duitſiũ* appellarunt, collocatũ hac tempeſtate ex adverſo Coloniæ Agrippinenſis Duyts vulgo hodieq. nominatũ. *Divitenſes numeri*, quos celebrat Ammianus & Imperij Notitia, an huc quoq. ſpectent, nõdum apud me cõſtitui. Interim, quod dico, firmat haud leviter lapidea tabula multos ante annos in Duitenſi Cænobio reperta, cũ inſcriptione, quæ docebat Duitẽſe munimentũ in TERRA FRANCORVM ab Imperatore Cõſtantino pro militibus illic in tutelã Galliarũ collocandis, fuiſſe cõſtitutum; ut meminit diſerte Rupertus, quem Abbatẽ vulgo Duitenſem nominãt, editis in ſacras literas Commẽtaris nemini ignotus. Abbatiã istenuit annũ circiter ∞. C. XXIV. ſcripſitq. tũ inter alia,

meditationes de incendio Duitenſi, referente Trithemio. Quibus accedit & charta Provincialis, quam ſe Auguſtæ Vindelicorum vidiſſe refert Beatus Rhenanus, apud Conradum Peutingerum, ſub ultimis Imperatoribus depictam, & à Celte alicubi repertam: Quæ nunc nuper operâ CL. V. Marſi Velſeri, Antverpiæ, edente Abrahamo Ortelio, publicata. Hac, inquam, in tabula ab oſtijs Rheni aduſque Coloniam Agrippinam, præter munimenta (quorum aliquot ſuperius, ubi de limite Romanorum egimus, injecta quoque mentio eſt) legitur inſuper ſecundum Rhenum fluvium, quem lineæ protractæ deſignant, à parte Germaniæ magnæ, quà occidua eſt, hoc vocabulum adſcriptum: FRANCIA. Verſus verò Rheni oſtia, & Oceanum borealem, iſta ſunt: CHAMAVI QVI ET FRANCI. item CHAVCI VAPLVARII CHREPSTINI.

Nec omittenda quæ ex Sulpitio Alexandro adducit Gregorius Turonenſis, quibus priſcæ & primæ Franciæ populos, cum anterminos, tum in quadrum confines, ceu augurali lituo definiri poſſe judico; cum præſertim ex oppoſito ipſis Fãncis, modò * Niveſium, modo Agrippinenſes collocet; ubi in hunc modum loquitur: *Nanneno Maguncìacum reverſo, Quintinus cum exercitu circa Niveſium Caſtellum, Rhenum tranſgreſſus, ſecundis à Fluvio caſtris, caſas habitatoribus vacuas, atque ingentes vicos diſtitutos offendit. Franci enim, ſimulato metu, ſe in remotiores ſaltus receperant, concædibus per extrema ſilvarum procuratis.* Et ſtatim: *Arbogaſtes Sunnonem & Marcomirum ſubregulos Francorum gentilibus odijs inſectans, Agrippinam rigente maxime hieme, petijt; ratus tutò omnes* Franciæ *receſſus penetrandos urendoſque, cum decuſſis folijs nudæ atque arentes*

Lib. 2.

* Nuys.

Lib. 2.

arentes ſilvæ inſidiantes oculere non poſſint: collecto ergo exercitu transgreſſus eſt Rhenum. Bructeros ripæ proximos, pagumque Ætiam (forte *Eltam.* Elterberch hodie) *quem Chamavi incolunt, depopulatus eſt, nullo uſquam occurſante, niſi quod pauci ex Anſivarijs & Cattis, Marcomero duce, in ulterioribus collium jugis apparuere.* Quæ omnia hoc ipſo redduntur certiora, quod Aimonius deinde diſerte aſſerat Clodionem, ſecundum à Pharamundo Francorum regem, ſedem ſui regni conſtituiſſe * Dyſpargi; quod hodieque eſt intra Vezaliam & Dyſſeldorpium ſitum oppidum. Vnde & illud liquebit omnes eas gentes, quaſcunque fere intra Rhenum atque Albim, contra cadentem Solem, coluiſſe ſuperius recenſui, diſtinctis quidem inter ſe nomenclationibus, in univerſum tamen & generaliter capiendo, Francos ea tēpeſtate habitos.

* Duyſburch.

Quod ut oſtendatur evidentius, adducenda ſunt veterum teſtimonia, quibus hi ipſi Franci modo Sicambrorum, modo Chaucorum Chamavorumque ac ſimilium nominibus indifferenter licet inſigniti, eſſe tamen Franci manifeſto cognoſcuntur: Et ut præcipuè de Sicambris dicam, repetendum ex antecedentibus, quas illis ſedes aſſignaverimus, tum & traductos quidem trans Rhenum ab Auguſto, remanſiſſe nihilominus, teſte, ut diximus, Strabone, partem haud exiguam; quæ exinde, aſſumpto nimirum Francorum novo & auſpicato vocabulo, vicinis ſe gentibus aſſociaverit. Quocirca paſſim poetæ non modo *Francos, Sicambros* dicunt, ſed ipſam quoque *Franciam, Sicambriam.* Quod ex Claudiano & Apollinari colligere eſt, quorum ille Francos Sicambroſque indifferenter extulit

His tribuit leges, his obſide fœdera ſancit
Indicto, bellorum alios tranſcribit in uſus,
Militet ut noſtris detonſa SICAMBRIA *ſignis.*

Et ut hîc Claudianus *Caycos* pro *Francis*, ita pro *Sicambris* jam ante & olim poſuerat Lucanus: *Et vos crinigeros bellis arcere Caycos. Crinigeros* enim dicit, ut intelligantur Sicambri, qui proprie, ut poſtmodum Francorum reges, criniti. Et iterum idem Claudianus, de bello Gildonico, Sicambrorum nomine, maritimos illos intelligit, de quibus ex Strabone ſuperius diximus, & mox etiamnũ, ubi de Francis maritimis, dicemus. Ait enim:

Germania tota feratur
Navibus, & ſocia comitentur claſſe Sicambri

Claſſē ſcilicet Sicambris tribuens, ut intelligantur, Sicambri non Rhenenſes tantum, ſed maritimi præcipue, Straboni, ut poſuimus, jam * ante, præter Rhenenſes & Rheno adſitos, circa Oceanũ indicati. Deinde & Chamavorũ vocabulo eoſdē Frācos circũſcripſit Auſonius. Nam in Moſella ſua, ubi Rhenũ eſſet exhortatus, ut amnem Moſellam libenter exciperet, ita addidit: *Lib. 1 cap 9. pag. 48.

Accedent vires, quas Francia quaſque Chamavus
Germanique tremant, tum verus habebere limes.

Quò & pertinet, quod ex tabula Peutingeriana * ſupra adferebatur, CHAMAVI QVI ET FRANCI. Nam ſane eos Francis, præſertim Salijs, fuiſſe conterminos ex Ammiano quoque Marcellino jam ante commonuimus. Et denuo Claudianus Stiliconem, ſuo more, ſed ſupra modum, dilaudans, totum id territorii, quod eſt intra Rhenum, Viſurgim & Albim pæne uſque, Francis tribuit; eoſque *Saliorum, Sicambrorum, Chaucorum*, vel *Caycorũ* potius, nominibus uno veluti impetu proponit; *Cap. 7. Lib. 1.

Excubiis Rhenum ſolo terrore relinquunt.
Vllane poſteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix inſtantibus olim
Principibus tota poterat cum mole teneri,
Iam ſeſe placidam præbet Stiliconis habenis:
Vt nec præſidiis nudato limite tentet
Expoſitum calcare ſolum, nec tranſeat amnem,
Incuſtoditam metuens tranſcendere ripam.

Quapropter ex omnibus hiſce gentibus præcipuè Sicambros exiſtimo verum & γνήσιον fuiſſe &, ut ità dicam, matricem Francorum populum. Quod ut ſtatuam ex relatis tria me maximè commovent, *ſitus* nimirum, tum *veterum autoritas*, & *gentis utriuſque ingenium atque indoles.* *Sicambrorum & Frãcorum inter ſe comparatio.*

I. *A ſitu & ſedibus.* Et primo quidem Sicambrorum *ſedem* & *ſitum* ſi cõſideremus, cujuſmodi, cum ex Cæſare, tum præſertim ex Strabone jam ante definivimus, conſtat non modò eos Rhenum occiduum, ſed mare quoque Oceanum accoluiſſe: Francos ſimiliter non Rhenum tantum ex adverſo Vbiorum, & Bataviæ, uti oſtendimus, ſed & littus Oceani quoque tenuiſſe; Idque præter cetera, maritimas eorundem expeditiones luculenter probare: Quarum præcipuè Panegyriſtes Nazarius meminit, qui Francos ait etiam Hiſpaniarum extima infeſtaſſe navali militia; ubi Conſtantinum huncin modum alloquitur: *Franci ipſi, præter ceteros, truces, quorum vis cum ad bellum efferveſceret, ultra ipſum Oceanum æſtu ferveris evecta, Hiſpaniarum etiam oras armis infeſtas habebat.* Eutropius Saxonibus junctos Galliæ item oras ad mare ſitas vexaſſe adjicit; Et alius inſuper Panegyricus ad

 Maxi-

Maximianum, Londinenſe quoque Britannorum oppidum navalibus incurſionibus ab iiſdem direptum vexatumque pluribus refert. Et ante hæc tempora, ſub Probo Imp. ut ex Zozimo & Panegyricis colligere eſt, cùm aliquot Francicæ gentis captivis circa Propontidem ſedes aſſignatæ eſſent, factâ defectione, & navium idonearum copiâ oblatâ, Græciæ Aſiæque littora prædatorium in modum legentes Syracuſas tandem, ingēti clade edita, ceperunt. Atque inde Africæ portubus adpulſi, ſed à copijs, quæ Carthagine veniebant, poſtremum rejecti Herculeum fretum perruperunt ac denique in Franciam, id eſt, ad Oceanum ſuum & Rheni paludes ſalvis ſignis, per tot tantaque maria reverſi ſunt. Quo & facit vulgoque jam notus eſt verſus Sidonij Apollinar. Carm 7: indicans gentium, qua quæque polleret, proprietatem:

Curſu Herulus, iaculis Hunnus, Francuſque natatu.

Obiectioni occurritur

Verum unum hic quæri poſſe video, quomodo nimirum Oceanum attigerint Franci, cum præſertim illac Friſij, hac Bructeri Chaucique, cum occiduum, tum Boreale omne Oceani Germanici littus occuparint? Quod de Sicambris jam modò indicatum eſt, prævalentibus nimirum eorum rebus, & necdum trans Rhenum maximam partem traductis, parum cognitos Friſios; ſic & hic reſpondendum, clarum Friſiorum nomen Tiberij Imperio aduſque Clodium Albinum fuiſſe, qui, ut refert Capitolinus, *fuſis Friſijs tranſrhenanis* celebrem ſe atque illuſtrē, tam apud Romanos, quàm apud Barbaros fecerat. Ait enim: *Deinde*, Albinus, *per Commodum ad Gallias tranſlatus, in qua, fuſis Friſijs tranſrhenanis, celebre nomen ſuum & apud Romanos & Barbaros fecit.*

Ex-

Exinde veriſimile eſt obfuſcatos aut involutos denuo eoſdem Friſios ſplendori ac potentiæ Sicambrorum, novo tunc atque auſpicabili Francorum vocabulo gaudentium, ac longè lateque vires animumque tanto poſtliminio reſumentium. Certe qui magnopere Friſios, poſt Capitolinum in Albino, nominet, vel inter ævi iſtius panegyricos, vel hiſtoricos, puta Ammianũ, Eutropium, aut Zoſimum, reperio neminem. Charta etiã illa Itineraria, ſuperius nobis citata, Peutingeriana, quam delineatam conſtat antequam Rhenum Frãci tranſiſſent, ſecundum inferiorem fluvij ductum FRANCIAM, & uſque eiuſdem Rheni exitum Oceanique hunc tractum *Chamavos*, quos & *Francos* eſſe monet, ſolùm agnoſcit, Friſios nuſquam nominans, aut ullũ eorũ addens indiciũ. Inter Panegyricos verò ſolus Eumenius, panegyri Conſtantio Cæſari dicta, Friſiorum ità meminit eoſque ſic nominat, ut inter Francos, una cum Chamavis, habitos. Nam cum expeditionibus Conſtantij vindicatam ac purgatam à Francorum populationibus Bataviã ipſoſque Francos deditione acceptos retuliſſet, ſic tandem orationem claudit; *Arat ergo nunc mihi Chamavus & Friſius, & cultor barbarus laxat annonã*. Vbi *Chamavos* & *Friſios* ſigillatim nominat, quos antea uno & generaliori vocabulo barbaros ſeu *Francos* intellexerat. Nam & in ſequentibus eiuſmodi exclamatione orationem finit: *O victoria multiiuga & innumerabilium triumphorum, qua Britanniæ reſtitutæ, qua gentes Frãcorum penitus exciſæ!*

Quibus & hoc accedit Friſiorum nomina appellativa, quæ iam * modò oſtendi propria fuiſſe antiquitus, ante celebratos Friſios, Sicambrorũ; eadẽ quoq. poſtmodum

*Lib. 1. cap. 9.

modum Francis præcipue uſitata exſtitiſſe; quod vel ex Ammiano colligere eſt, cui reges Francorũ *Malorix* ſive *Malorichus* & *Melobaudes* nominantur; cum aliquot jam ante ſeculis Straboni, quomodo indicavimus & poſtea dicemus plenius, Sicambrorum etiam fuerit regulus, *Melo* nomine; & * Tacito, Friſiorum *Malorix* ſeu *Malorichus*. easque nomenclaturas hodieque eſſe Friſijs familiariſſimas, recitareq. eiuſmodi alias plurimas ſcriptores Friſios ſuperius item retuliſſe obiter memini. qui & hoc adjiciunt eas nominationes à ceteris gentibus uſque adeo diverſas, ut, vel eorum ſolo argumento, genuinum Friſium ab aſſcriptitio inſititioque ſoleant diſcernere. Et ne hominum ſolis nominibus agere videar. locorum quoque haud deſunt ipſius Friſiæ certiſſima veſtigia, Francici non modò nominis, ſed & juris illum tunc tractum fuiſſe haud obſcurè indicatia. Quorum alterum in oppido Franico, alterum inſuper in Franshemio vico inviolatum hodieque remanet. Quod autem contendere voluit Becanus minimè ex Sicambris prodijſſe Francos, quia traductos ab Auguſto in Gallias Sicambros referat Svetonius, facile ex ſuperioribus refutabitur, ubi haud traductos omnes ex Strabone monſtravimus. ut ità rectè quoque paludes illas circa Vidrum, Viſurgim & Vahalim, quas incoluiſſe ſuo ævo Francos ſupra dixerat Sidonius, diu ante Sidonium Sicambris attribuerit Propertius, eo verſu:

* Lib. 13. Anal.

Ille paludoſos memoret ſervire Sicambros.

II *A veterum Teſtimoniis.*

Secundo deinde loco adſtipulatur noſtræ ſententiæ, præter recitata Claudiani aliorumque teſtimonia (qui

FRAN-

FRANCIAM, quaſi gentis originem vel eo ſolo innuentes, SICAMBRIAM diſerte reddiderunt) autoritas etiam Remigij Epiſcopi. Cujus verba ſeorſim inſculpta marmori exſtitiſſe Rhemis commemorat Abbas Trithemius, quibus Clodoveum Francorum regem ſacro tingendum lavacro ſic allocutus fuerit: *Mitis deponas colla Sicamber*. Et ne levior fortaſſe videatur Trithemij autoritas, accedit & Gregorij Turonenſis ſuffragium, qui Mauritij Imperatoris temporibus, anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo, Francorum hiſtoriam conſcripſit, idemque deſertis, ſed pluribus verbis, ita profeſſus eſt: *Rex prior popoſcit ſe à pontifice Remigio baptizari, cui ingreſſo ad baptiſmum, ſanctus Dei ſic infit ore facundo; Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendiſti, incende quod adoraſti.* Et, præter Turonenſem, eiuſdem vel anterioris potius ævi Venantius quoque Fortunatus, qui, ut conſtat, circa annum Chriſti DLXX. claruit, Cheribertum Francorum regem Sicambrum appellavit.

Iam gentis utriuſque ingenium ſi attendimus, non ovum ſimilius ovo ſit, quam Sicambris Franci. Sicambris enim Strabo fidem derogat; Vopiſcus Francis, *quibus*, inquiens, *fidem fallere familiare eſt*. Nec aliter Claudianus *fallacem Franciam* dixit, quamvis utrumque de hoſte capiendum proprie, juxta illud; *dolus an virtus quis in hoſte requirit*? Octavius quoque Auguſtus pacato circumquaque terrarum orbe, portas Iani claudere aliquandiu deſtitit, quod intellexiſſet Sicambros Gallijs Rhenoque vicinos bellum etiamnum laceſſere; Adeo ut Romanis, teſtante Tacito, præcipuè formidabile fuerit Sicambrorum nomen: Nec aliter ſequẽtibus III *A gentis utriuſque indole.*

tibus ſeculis Francorum vicinitas, non Saxonibus mo- do & Alemanis ſuſpecta ſemper habita, ſed Romanis quoque Græciſque; ut Eginhardus, Caroli Magni Cancellarius reliquit teſtatum, nato etiam inde proverbio Græco, quod recitat ipſe eiuſmodi: τὸν Φραγκὸν φίλον ἔχοις, γεῖτον' οὐκ ἔχοις, *Francum amicum habeto, vicinum non habeto.* Quibus & Horatianus Character conſonat, qui *Sicambros feroces* dicit ad Iulium Antonium:

Od. 2. lib. 4

Concines maiore poeta plectro
Cæſarem, quandoque trahet feroces
Per ſacrum clivum, merita decorus
Fronde, Sicambros.

Et alio loco Auguſti privignorumque eius, Tiberii ac Druſi, res laudeſque decantans *cæde* ac bello *gaudentes* eoſdem facit, cum inquit:

Ibid. Od. 15.

Te cæde gaudentes Sicambri,
Compoſitis venerantur armis.

Eumque exinde præcipuum & proprium fuiſſe Francorum Characteriſmum oſtendit, præter alios, Nazarius, panegyri ad Conſtantinum, jam ante quoque citata, ubi ait: *Franci ipſi, præter ceteros, truces, quorum vis cum ad bellum efferveſceret, ultra ipſum Oceanum æſtu ferroris evecta &c.* Addemus & alibi de Francorum habitu, deque capillitii apud eoſdem cultura, quæ, uti patebit, Francis cum Sicambris plane communis fuerit. Nunc uno Sidonii Apollinaris loco commonſtraſſe, vel obiter, ſuffecerit. Francum enim ille deſcripturus, ſenis Sicambri perſonam obducit Carmine, quod ad Lampri-

pridium tranſmiſit, eiuſmodi:

Hic tonſo occipiti ſenex Sicamber
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos. Lib. 8. Epiſt. 9.

Quo de ritu, Francorum genti peculiariter uſitato, poſtea, ut dixi, fortaſſe prolixius.

Concludimus ergo *Francos veteres* veteremque illam & primam FRANCIAM, non modo illud omne, quod eſt & ultra & ex adverſo Vbiorum Coloniæ intraque Rhenum & Iſalam veterem, ſpacium, Sicambrorum, ut innuimus, Rhenenſium antiquam olim ſedem, nunc Veſtphaliæ & Cliviæ Ducis non exiguum diſtrictum; ſed omnem etiam Tranſiſalaniam, & quidquid ad ultimos pæne uſq; Chaucos, Tencteri, Tubantes, Bructeri, maiores minoreſque Friſij (quo fere loci *Sicambros maritimos* diximus) terrarum habuerunt; quos hodieque Zutphenos, Drentenos, Tuentenos, Friſios occiduos ortivoſque vocitamus; longum validumque ob invias ſparſim, nō paludes tantum, ſed & ſilvas, qua Viſurgim & ultra protenditur, territorium, præcipue complexam: Nec aliam intellectam *Franciam* alioſque *Francos* Trebellio Pollioni, Vopiſco, Ammiano Marcellino, Eutropio, Auſonio, Claudiano Tabulæque Peutingerianæ authori vetuſtiſſimo, ceteriſque illis, aduſque Valentiani tertij ætatem, Scriptoribus, Chorographis ac Panegyricis: Nam exinde poſt Ætium, rebus ſcilicet humanis exempto Valentiniano, ſeriò invaleſcere etiam intra Gallias cæpit Francorum, de quibus agimus, Imperium nomenque, ut ſuo deinceps loco referetur plenius.

CAP. IV.

RECITATÆ ALIORVM DE PRImis Francorum ſedibus ſententiæ: eæque ad tria præſertim reductæ Capita. & primum quidem primò poſitum ac confutatum.

DEmonſtratis in hunc modum conſtitutiſque Francorum veterum natalibus illis ac primis ſedibus, primiſque cunabulis, eorum nunc obviandũ opinionibus ſupereſt, qui in diverſa omnia abeunt. Horum
1. alij longe vetuſtiora gentis primordia referunt; Alij,
2. etiamſi has incoluiſſe antiquitus ſedes haud diffiteantur, eas tamen genti proprias ac primas negant, ſed in has aliunde profectam deveniſſe volunt; Alij denique
3. alias ſtatuunt.

I. Quod ad primos, ij argumento utuntur perquam plumbeo, Ciceronis videlicet teſtimonio, qui Francos nominaverit. Nam Epiſtolarum lib. XIV, quas ad Pomponium Atticum ſcripſit abſtruſis ſenſis, & veluti ænigmatibus ſparſim plenas, ità vulgo legi conſtat, epiſtola decima: *Redeo ad Thebaſſos, Scævas, Frangonas.* Vnde CAROLVS præſertim MOLINÆVS, vir alias accuratiſſimus, in eo, quem de monarchia Francorum ſcripſit, Commentario, iſta de Germanis transrhenanis dici credidit, ſecutus in hoc, ni fallor, aliorum opinationes. Beatus certe Rhenanus rei abſurditatem animadvertens ita locum reſcribendum maluit: *Redeo ad Bethaſios, Atuas, Vangionas:* Qui Germaniæ ſecundæ, id eſt,

Cic. ad Atticum epiſ. lib. 14. epiſ. 10.

Carolus Molinæus.

Lib. 2. Rerum Ger.

eſt, Belgij populi ſunt. Nam certè quomodo Cicero noviſſe aut nominaſſe Francos potuerit, quos ipſe Cæſar, qui, ut * diximus, tranſrhenanam Germaniæ oram Italiæ primus aperuit, nec novit aut nominat uſpiam? Ea enim Germaniæ magnæ parte, præter Sicambros, Vbios, Svevos alioſque perpaucos, ſuperius nobis indicatos, ad Cæſaris notitiam nulli venerant, nec venire potuerant; utpotè qui Germaniæ tranſrhenanæ primum vix limen attigerat: ut omittam dicere Francos apud idoneum authorem nullibi *Frangones*, ſed *Frãcos* tantum vocatos; cum *Francones* Orientales diſcriminis gratia, recentiores poſtmodum confinxerint, ut ſuo exinde referetur loco. Manifeſtum idcirco ſit Tullij hiſce verbis vim fieri, ſi eo detorqueantur. Sed video quid eos moverit. Idem Cicero Epiſtola hanc proximè præcedente; nona videlicet, de Germanis verba fecerat, quæ repetere hac voluit. Dixerat enim ibi: *Balbus meliora de Gallia; XXI. die literas habebat Germanos illasq. nationes, re audita de Cæſare, legatos miſiſſe ad Aurelium, qui eſt propoſitus ab Hirtio, ſe, quod imperatum eſſet, eſſe facturos.* At quos nam ibi Germanos intelligit Cicero? num tranſrhenanos? nihil minus. ſed Germaniæ ſecundæ, ut etiam Rhenanus animadvertit, id eſt, Belgij Rhemos, qui ad Cæſarem legatos, Iccium & Antebrogium, primos civitatis miſerant, qui dicerent ſe ſuaque omnia in fidem atque poteſtatem populi Romani permittere. quamvis ego de ea legatione miminè accipienda verba Ciceronis, contra Rhenanum, contendam, quia Cicero de re poſt necem Cæſaris geſta loquitur; illam autem Iccij atque Antibrogij legationem, vivente etiamnum ac præſente Cæſare, celebratam conſtat ex ſecundo

* Lib. 1. cap. 8.

ſecundo de bello Gallico Cæſaris ipſius Commentario. interim tamen Belgas Germanoſq;, qui cis Rhenũ colebant, omnino ibi innui, certo certius habeo: Nihil enim abſurdius foret, quam vel cogitare Germanos tranſrhenanos, intellecta cæde Cæſaris, legatos ad Aurelium miſiſſe, ſe quod imperatum eſſet, eſſe facturos; cum ipſemet Cæſar in Belgis adhuc agens, maximoque ac fortiſſimo milite rem gerens, id obtinere ne quidẽ ſperaverit. Quapropter quis modò non videat, etiam ſi concedamus, hac quoque decima epiſtola, eoſdem Germanos innuere voluiſſe Ciceronem, de Frãcis tamen accipi minime poſſe, cum Frãci tranſrhenani ſemper, id eſt, Germaniæ magnæ populi fuerint, & hic de Germanis ciſrhenanis Belgiſq; tantũ loqui voluerit? Quocirca omnino cenſeam neutiquam in verbis iſtis Ciceronis: *Redeo ad Tebaſſos, Scævas, Frangones*, neutiquam, inquam, de Germanis, vel tranſrhenanis vel ciſrhenanis agi, ſed eſſe hæc veteranorũ nomina, qui Cæſaris largitione bona Pompei poſſidebãt. Quorum *Scævæ*, præter Plutarchum in Cæſare, meminit Florus lib. 4. & Dio *Phangonis* ſive *Fangonis*, quæ vera erit apud Ciceronẽ eo loci ſcriptura, Punicæ, non Germanicæ, proſapiæ lib. 48. *Redire* itaq; ſe dicit Cicero *ad Tebaſſos, Scævas, Phãgones*; id eſt, denuo de veteranis ac Cæſaris ſatellitio libertiſq; aliquid ſe loquuturũ indicat, de quibus videlicet epiſtola quinta, eodem hoc 14. Epiſtolarũ ad Atticũ libro, nonnihil, ſed obiter iniecerat.

Cicero explicatur.

His addi & *Oroſius* debet, qui de bello Marſico, quod ante Cæſaris etiam ac Ciceronis ætatem in Italia geſtum, Marij nimirum temporibus, imperatoris cujuſdam Marſici meminiſſe videtur, *Franci* nomine.

Nam

Nam in omnibus, quos vidi Oroſij codicibus conſtanter in hunc modum ſcriptum repperi: *Decem & octo milia Marſorum in ea pugna cum Franco ſuo imperatore caſa ſunt*, ſed manifeſto ſcripturæ vitio, quod ex Appiano fuit colligere, qui non *Francum*, ſed *Afranium* imperatorem eum nuncupat libro de bellis civilibus primo, ubi univerſum hoc ſociale, ſeu Marſicum in Italia bellum, unde ſua Oroſius deſumpſit, accuratius enarratur: idq; adjiciendum monendumq; hîc duxi, ne quis in iſtum fortaſſis Oroſij locum, inq; *Indicem, eidē Oroſio adjectū, incidēs, iſtinc ſimiliter imaginariæ huic Frācorū vetuſtati præſidium aliquod aucupandū præſumeret. Oroſij verba expoſita. * Vbi ſimiliter literà F. Francus hic Marſorum Imperator, occurrit.

CAP. V.

ALTERVM SVPER GENTIS origine opinionum caput ſive ſeries; adiectâ ſingularum refutatione.

QVi deinde non tam de ſede ac ſitu gētis, quam prima ejus origine inq; hæc loca deſcenſu contendunt, HVNNIBALDVM potiſſimū ducem ſequuntur. Verum ille cum ſit author, conſentientibus fere eruditis omnibus, fabuloſus & barbarus, levia etiam ingenia reperiſſe haud mirum eſt, quibus mendaciorum facem præluxerit. Quapropter Trithemius, Abbas Spanhemienſis, ut ſtudium conatuſque ejuſdem in majus tolleret, decem & octo illius Hiſtoriarum libros, in epitomen contractos, coartavit, haud veritus illum ſolidum Francorū hiſtoriographum appellare, II. *Hunibaldus.*

nimirum juxta proverbium Cretenſis Cretenſi palpũ obtrudens,ut facete illum ludit Iunius. Hunibaldum ergo quicunque ſecuti, tam Gallicarum quam Germanicarum rerum ſcriptores,neſcio quæ non ſomnia delìriaque ex altiſſimo atque inexhauſto ſemper uberique Troicarum rerum puteo depromſiſſe comperiantur. Hinc illa remotiſſima Francorum Sicambrorumque, non ante Chriſti tantum, ſed Alexandri quoq; Magni,ætatem, perpetuo ac certo curriculo deducta regum ſeries. Neque barbari ac ſequioris ævi viris eiuſmodi ineptas nugas placere potuiſſe magnopere mirer, ſed homines quoque doctos ac diligentes, interque eos VVolfgangum Lazium,eadem iſta Operi de Migrationibus Gentium, ut certa atque indubitata, intexere voluiſſe mirari haud ſatis potui. Nam ut de Regum illo catalogo, quem producit Lazius, hoc obiter dicam, ſi ille fabulis ac nugivendis poſthabitis, probatæ ac claſſicæ fidei authores in conſilium adhibuiſſet potius, reperiſſet certe veros, non fictitios Frãcorum reges,qui ne per ſomnium quidem iſtis agyrtis in mentem venire potuerunt: Quorum Ammianus Marcellinus, exploratæ fidei ſcriptor, præter alios, *Melobaudem bellicoſum Francorum regem* nominavit; *Sicambrorum* vero *Mellonem* Strabo. Verum oppugnare operoſius ſingula, atque indicare minutatim incõcinnas iſtas chartaceorum regum nænias, degeneris atque otio abutentis animi duco Quo tamen in apertum res veniant, quantumque inſtituti operis ratio feret, de Regibus quoque Francorum ſuo dicetur loco. Nunc quia Troianas has Origines, quod ad Francos præſertim attinet, ABBAS VRSPERGENSIS ab ipſo

veluti

veluti ovo, pauciſque complexus ea ſit, quæ longo alij verborum ambitu contexuerunt, placuit, eius verbis in medium allatis, breviter omnia ob oculos ponere. Ait ergo Vrſpergenſis: *Francorum gentis exordia, de antiqua Troianorum prodiere proſapia. nam eo tempore, quo poſt excidium Troiæ, Æneas in Italiam venit, quidam ex iiſdem Troianis ſimili modo profugi, circa Mæotidas paludes appulerunt; ibique conſidentes, terminos ſuos uſque in Pannoniam dilatauerunt. Conſtruxerunt autem civitatem Sicambriam: ibique permultos habitantes annos in populum multum creverunt, & Sicambri primum dicti ſunt. Hi pro eo quod Alanos, à Mæotide palude expulerunt, Franci à Valētiniano vocati: & pro hac victoria per decennium, remiſſione tributorum donati ſunt. Decennio verò peracto, miſit Valentinianus ad eos quendam ducem pro cogendis tributis; ſed illi ut erant feroces, tributis ulterius ſubiacere dedignati ſunt, miſſoſque ad ſe interfecerunt. Fuerunt autem tunc principes inter eos, antiquiorum vocabulorum præferentes inſignia, Priamus & Antenor. Audiens itaque imperator eorum factionem nimis iratus, juſſit omnem Romanorum exercitum cum pluribus exterioribus gentibus pugnare contra eos,: pugna commiſſa cum ex utraque parte multi caderent, tandem Franci multitudinem tantam ſuſtinere non valentes, fugerunt: ibique mortuus eſt Priamus Rex eorum. Egreſſi autem de Sicambria venerunt in terram Germaniæ, ad gentem ſcilicet Romanis infenſiſſimam: habitaveruntque aliquanto tempore in Thuringia cum Marcomiro filio Priami & Sunnone filio Antenoris.* Hactenus ille. Quæ ipſa & *Aimonio* quoque alijſque eundem fere in modum prodita: Eaque nec ipſos tantum, ſed & *Gaguinum, Æneam Silvium*, omneſque pæne Galliæ hiſtoriographos, &, quod miran: dum maxime, PAVLVM ÆMYLIVM, eloquentiæ alias atque

Vrſpergenſis.

Paulus Æmylius.

atque hiſtoriæ laude inclytum, in ejuſdem erroris ac delirij ſocietatem traxiſſe conſtat. Et, quia ad rem præſentem faciunt, viſum eſt ea ipſa, quatenus huc ſpectant, Æmyliana verba adſcribere: *Franci*, inquit, *ſe Troia oriundos contendunt: ea capta incenſaque nobiliſsimam civium manum, quos ferrum hoſtium ignisque non abſumſiſſet, duce* Francione *ad Mæotim paludem ſe contuliſſe, nec procul ab ea urbem condidiſſe, quam ad Valentinianum uſque Cæſarem Valentiniani filium incoluerunt. ab eo primum honore auctos, ac in decem annos immunitate donatos, quod rebellantes Alanos in deditionem Romani nominis redigiſſent. deinde cum circumacto eo temporis ſpatio ad vectigal penſitandum revocarentur, imperiumque detrectarent, ſedibus pulſos duce Marcomiro in eam Germaniæ regionem, quæ nunc Franconia eſt, conceſſiſſe.*

Ado Vienneņſis. Nec abſimilia ſunt, quæ refert etiam Ado, Viennenſis archiepiſcopus, ad annum trecenteſimū ſeptingenteſimum quintum; niſi quod de loco in quem ſe contulerint Franci, poſtquam ſuis eſſent egreſſi, circa Mæotim, paludibus, diſſentiat. Æmylius enim, cum Vrſpergenſi, in Thuringiam ſive Franconiā conceſſiſſe, Marcomiro duce, refert: at Ado in extremas Rheni partes deveniſſe vult, cum inquit: *Qui poſt paululum, cum tributa Romanis negarent, & Romanorum impetum ferre non poſſent, egreſsi à Sicambria, pervenerunt in extremas partes Rheni fluminis in Germanorum oppida.* Verum de eo poſt dicendum. Nunc ad priora vertamur; eaque in corollam connexa, quam bene vinculo cohæſura ſint, videamus. Nam ut concedatur Ænæam & Antenorem Troia profugos in Italiam veniſſe, quis veterum poetarum præter eoſdem, alios nominavit? Dares quoq; Phrygius, quem militaſſe Troiano bello nonnulli

putant,

putant, omneſque Græcorum hiſtoriæ ſolos hos citant expugnatæ urbis reliquias. Vnde ergo *Priamus* ille junior, unde *Francio*, quem Hectoris filium faciunt, niſi ex commentitio nugivendorum cerebro? Quis enim fide dignis authoribus, Homero videlicet, Colutho, Quinto Calabro, Dicty Cretenſi Higinoque, qui vel ſcripſere res Troianas, vel principum virorum genealogias literis mandarunt, alium Hectoris filium, etiam nothum, docere potuit, præter Aſtyanacten, qui Scamander nuncupatus fuit; & Laomedontem, nominatum eidem Cretenſi? En res egregias & cedro digna locutum Hunibaldum eiuſque admiratores, qui ejuſmodi literis tradiderunt, quorum, non dico hiſtorici, ſed ne poetæ quidem meminerunt? Nam *Priamum*, cujus in Proſperi Chronico Pithœano mentio, *Priarium* potius Ammiani Marcellini eſſe, poſtea & ſuo loco teſtatius reddemus; Et ut hic novos populi duces finxiſſe perfacile illis fuit, ſic & civitatem novam, *Sicambriam* nomine, conſtruxiſſe quis admodum mirabitur? Quis enim unquam probatæ fidei Geographus hujus in limoſis Mæotidis voraginibus conditæ Sicambriæ meminit? Quis etiam extorres Troianos eò loci per coloniam deductos repperit in hiſtorijs? Nam quod Lazius adducit Sicambriæ civitatis prope Budam rudera haberi; inibique repertam inſcriptionem ejuſmodi: LEGIO SICAMBRORVM HIC PRÆSIDIO COLLOCATA CIVITATEM ÆDIFICAVIT, QVAM EX SVO NOMINE SICAMBRIAM VOCAVERVNT,

ecquis tam obeſæ naris eſt, cui fucus non oboleat, cum præſertim antiquitatem non ſapiat? Et, niſi me fallat opinio, videor conjectura non vana adſecutus, unde hæc de *Sicambrorum legione*, deque *Sicambria urbe*, tabella promanaverit. Refert Tacitus *Sicambricam cohortem* in auxilijs fuiſſe Sabini Poppæi, qui, Tiberiô Cæſare imperãte, Mœſicæ provinciæ præfectus bellum adverſus Thraces movebat. Sed verba ipſiuſmet paucula, rei & fidei ergo, addam. *Sabinus*, inquit, *donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus reſponſis, dum Pomponius Labeo è Mœſia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxilijs popularium, qui fidem non mutaverant, veniret: addita præſenti copia, ad hoſtem pergit, compoſitum jam per anguſtias ſaltuum, quidam audentius apertis in collibus viſebantur, quos dux Romanus acie aggreſſus, haud ægre pepulit, ſanguine barbarorum modico, ob propinqua ſuffugia. mox caſtris in loco communitis, valida manu montem occupat, anguſtum, & æquali dorſo continuum uſque ad proximum, quod magna vis armata aut incondita tuebatur. ſimul in ferociſſimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus & tripudijs præſultabant, mittit delectos ſagittariorum. Ii dum eminus graſſabantur, crebra & multa vulnera facere; propius incedentes, eruptione ſubita turbati ſunt, receptique ſubſidio* SVGAMBRÆ COHORTIS, *quam Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuum ac armorum tumultu trucem, haud procul inſtruxerat.* Hanc cohortem ex Gallia Belgica, in quam traductos jam ante ab Auguſto præcipuos Sicambrorum ſuperius meminimus, exinde Poppæo Sabino, ex delectu, auxiliarem acceſſiſſe non exiſtimo quemquam dubitaturum, qui moris Romanorũ gnarus, meminerit delectus ſolere eos agere, ac militiæ ſuæ validiſſimum quemque ex devictis

Lib. 4. Annal.

ad-

adſcribere: quod, præter ceteros, apud Batavos Civilis haud tacuit, cuius inter alia verba ſunt: *Inſtare delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut ſupremum, dividantur.* Lib. 4. hiſt. Tacit. Vnde conſtare cuivis jam puto, Sicambros inferioris tum, id eſt, ciſrhenanæ Germaniæ colonos, nationemque, ſi qua eſſet alia, bellicoſam ac ferocem, præcipue in eum cenſum veniſſe, inque extremam Mœſiam miſſos adverſus Thracas, cum Poppæo, belligeraſſe; atque hinc exortam confictamque ab ævi ſequioris ſciolis fabulam illam iſtamque epigraphen de *legione Sicambrorum* (quam, ut patuit, Tacitus *cohortem* tantum *Sugambram* nominavit) deque *Sicambria civitate* Troianorum colonia, prout eſt in laudem gloriamque ſuæ originis profuſa unaquæque deditaque natio. Et denique, præter iſta, indicio inſuper ſuo ſe ſorex prodit, cum exinde apud Vrſpergenſem atque Æmylium ſubjiciatur, aduſque Valentinianum Valentiniani filium eandem Sicambriam ab ipſis Francis inhabitatam; ab eodemque Valentiniano honore primum auctos; & ob navatam Romano imperio ſtrenuam operam, immunitate donatos; indeque cum ad vectigal penſitandum revocarentur, imperiumque detrectarent, ad interiora Germaniæ penetraſſe. Nam hic iterum quærere libet, quo hæc authore, qui fidem mereri debeat, uſpiam prodita? Si nullum proferre queant, præſertim idoneum ac claſſicum, quis non iſta inter otioſorum potius fabulas, quam res ſerio geſtas referat? Quin imo ſi res rebus conferre ſit animus, inveniemus iſta ab omni temporum ac chronologiæ ſerie directe deflectere. Nam ex Capite tertio præcedente, quivis facile intelligere

gere potuit non uno ſeculo prius, quàm ille Valentiniani filius imperare cœperit, Francos non nominatos modò, ſed circa inferioris Rheni partes, ex adverſo præſertim, atque infra Coloniam Agrippinam, Romanis oppoſitos coluiſſe. Si quis enim ab Imperio Valeriani & Galieni, quando primum innotuiſſe atque inclaruiſſe, aut ſaltem primitus hiſtoricis nominatos indicavimus Francos, ad alterum hunc Valentinianum computet, reperientur elapſi anni plus minus CLXV. Galienus enim anno Chriſti 260, Valentinianus autem, ille minor, 425. imperij habenas cœpit capeſſere; ut tantum mirari ſit viros, ut dixi, egregios ac doctos iſtæc uſqueadeo ab omni Chronologiæ ratione devia chartis illinere non piguiſſe.

Gaguinus. ROBERTVM GAGVINVM, quem ſupra nominavimus, inter præcipuos Gallorum ac Francicæ gentis hiſtoricos celebrem, ſuperioribus quoque paria tradidiſſe ex ijs, quæ ſequuntur, liquere poſſe exiſtimo; ſunt enim eius in hunc ſenſum verba: *Troianam originem habuere Franci, Sicambriamque ad Mæotidas paludes urbem inſignem coluere: unde Valentiniani, juſſu expugnavere Alanos: quę merito per decennium à tributo liberi fuêre; ſed exacto tempore illo, quum cenſum negarent, ab eodem imperatore victi in Germaniam tranſierunt, ubi Franci, id eſt, liberi appellati ſunt.* Et ijs, quidē refutandis ſufficiant quæ attulimus, niſi unum inſuper, ſed obiter, addi poſſit, præſertim quia & hîc Alanos eorum, id eſt, Sicambrorum operâ, ſuis autem auſpicijs, ſuperaſſe memoratur Valentinianus, quomodo & Vrſpergenſis itemq. Æmylius retulerant; Addi, inquã poſſit, Alanos, Valentiniano imperante, haud quaquam circa Mæotidas paludes,

ſed

ſed in penitiori jam Germania conſtitiſſe; atq. inde nõ multo poſt cũ Svevis & Vandalis in Gallias & Hiſpanias, atteſtantibus rerum memorijs, cõmigraſſe; ità ut alterũ altero, & poſterius medio ultimumq. primo æque commentitiũ falſumq. hinc eſſe appareat & juxta quod dici ſolet, *πάντα μία κόνις*, *pulvis idem ſit omnia.*

Profligatis igitur primis commentis, & iſta præſertim Troizantium, ut ſic dicam, ſoricina confoſſa nætia, ſuccedaneus his veniet BECANVS. Nam & ille eodem hoc obhæreſcens cæno a Mæotide quoque palude arceſſendos Francos cenſet; ſed eos fuiſſe, quos Herodotus *liberos Schytas* dixit: Atque hinc eorum, quos jam recenſuimus, coarguit opinionem exiſtimantiũ à Troianis in Mæotide Sicambriam conditã, cum *liberos* iſtos *Schytas*, quos eſſe Francos vult, ante ad Mæotidem habitaſſe, quã Troia obſideretur ex Herodoto dicat elucere. At quonam, inquiet alius, argumento, Herodoti iſti Schytæ Becano fiunt Franci? nullo, quod quidem facere fidem valeat, niſi quod *Francos* ex nominis Germanici, quod more ſuo ſibi fingit, etymo, indicante, *ſe liberè* quovis *extendere* ac *palmitum in modũ propagare*, appellatos aſſerat quaſi verranckẽ vel vyrancken. Interim tamẽ recte ſtatuit, ad Oceanũ & Rhenũ inferiorẽ coluiſſe, cum primũ Romanis innotuerint: Qua verò via, aut quãdo à Mæotide eò demigraverint, cum ipſemet ejus rei nihil ſcriptis veterum proditum referat ſeque ingenue id ignorare profiteatur, facile quivis videat etiam illud, quod de Herodoti Schytis, & vocis notatione attulit, eſſe otioſi ſimiliter animi evanidum commentum; ideoque & titivilitio, ut ille inquit, habendum levius.

Iohan. Goropius Becanus.

Bodinus. Becanum BODINVS excipiet: Qui licet Troianam Francorum originem abnuere videatur, Germanicam tamen ne admittat, varijs argumentorum ambagibus atque involucris utitur. Nam ut eludat primo Taciti teſtimonium aſſerentis indigenas eſſe Germanos minimeque aliarum gentium adventibus hoſpitijſque mixtos, replicat populorum omnium primas origines à Chaldæis Prometheoque fluxiſſe; cum apud eos præſertim, aut illis finitima regione navis ea, quæ humani generis ſeminarium ſervarat, conquieverit. Hinc ad illa, quæ à Moſe Hebræorumque magiſtris diſputata habemus, orationem convertit, docetque fertiliſſimas quaſque regiones ab accolis conterminis eſſe occupatas; poſtea quoque cum hominũ genus cæpiſſet redundare, colonias etiam in extremas ſolitudines, & loca ſterilia fuiſſe deductas. eaque neceſsitate factum ut, Aſia Græciaq; relictis, novi verſus Boream coloni migraverint; atque ità à Græcis Troianiſque originem accepiſſe Gallos; eoſdemque exinde Gallos, propter exuberantem hominum multitudinem agrique inopiam, trans Rhenum in Germaniam coloniam miſiſſe. Concludit itaque verbis ejuſmodi: *Quare cum quæritur de origine Francorum, qui poſtremi Galliarum imperium invaſerunt, non ego illos à Troianis profectos dicam, ut Gregorius Turonenſis & Abbas Vrſpergenſis; aut à Phrygijs ut noſter Bellaius; aut à Cimbris Cimmerijs, ut Lazius. ſed ab incolis Franconiæ Orientalis, ultra Rhenum, Gallijs finitimæ, ubi ſunt ea quæ Cæſar dicit, fertiliſſima Germaniæ loca Gallorum colonijs occupata, circa Herciniam ſilvam.* Verba autem quæ aſpicit Cæſaris, quia ad rem & contra ipſum quodammodo faciant, ſi videlicet in-

Methodo hiſtor.

tegra

tegra atque inviolata perſcribantur, ſimul ſubjiciam: *Fuit tempus*, inquit Cæſar, *quum Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quæ fertiliſſima ſunt Germaniæ loca circum Herciniam ſilvam, quam Eratoſtheni, & quibuſdam Græcis notam eſſe video, quam illi Orciniam appellant, Volcæ Tectoſages occuparunt atque ibi conſederunt.* Lib.6.bel. Gall. Patet enim ex iſtis neutiquam in ſolitudines avias aut hominibus vacuas,ſed vi & armis in loca populis frequẽtata deveniſſe Tectoſages. Nam illud eſt quod ait Cæſar, Germaniam incolentibus ultro bellum intuliſſe Gallos: Si enim bellum intulêre,nequaquam ibi ſolitudines fuêre perpetuæ, & loca populis vacua; quod adſtruere paſſim conatur Bodinus ut Germaniam Gallorum faciat coloniam. Bodini ergo quàm ſit hac parte lubrica dubiaque ſententia, ſatis hinc liquet. Quid autem in univerſum veri falſiq; contineat,nunc ſigillatim videndum. Negat primò, quod ex allatis liquet, ortos à Troianis Francos; Gallos tamen ipſos, originem vult debere Troianis,aut Græcis aut utriſq;; Gallis autem Francos. Quod cum ità habeat, nonne & Francos, quoad primam originem, à Troianis deducit? Si enim à Troianis Galli; à Gallis Franci Germanique; certè Troianorum non minus quam Galli, propagines erunt & Franci. Atque ita hoc ipſum, quod maxime viſus eſt velle negare, quam maximè aſſeruit, Francos nimirum oriundos à Troianis. Nec verius concluſit, quia Gallorum in Germaniam colonias aliquando deductas legamus, ideoque & inde Germanorum repetendas origines.Nam & in Italiam

ac Græciam frequentiſſimas à Gallis colonias tranſla-tas ſcimus, num ergo Græci atque Itali ſuam Gallis tranſcribent originem? Quæ autem in Germaniam Gallorum coloniæ venerint, cum operosè demonſtrare conatur, etiam falſas inferre non erubeſcit, quo lenocinium ac color accederet commēto, ſi frequentes ac plurimæ producerentur. Itaque præter Tectoſages ex Cæſare jam allatos, Helvetios etiam & Boios Gotinoſque ex Tacito adducit; ex Livio Sigoveſum, cui Hercinij ſaltus ſortibus dati fuerint. Sed cum iſtæ coloniæ parum fidei facere viderentur ad probandam ex Gallis Germanorum originem, etiam Polybium in conſenſum trahit, aitque referre eum libro tertio hiſtoriarum, Boios, Eganes, Senones Ananes è Gallia in Germaniam migraſſe: cum certo ex eodem conſtet Polybio in Italiam, non Germaniam, eam factam commigrationem. Ait enim libro ſecundo: *Inter Appenninum & Padum primo Ananes, poſt Boij, inde Eganes, poſtremo Senones, juxta Adriaticum mare extremi omnium Gallorum incoluerunt*. Verum abunde aperit fucum, quod nec Rhenus, ut ante etiam * memini, nec Germania Polybio innotuerint: quod tam accuratè doctum hominem, & methodum inſuper ad facilem hiſtoriarum cognitionem pollicentem, latuiſſe minime debuit. Nec diffitendum interim haud ineleganter ab eodem diſputatum de primis gentium originibus, paulatim videlicet abundante multitudine, in Boream & loca minus culta conceſſiſſe gentes. Quod autem exinde inferre nititur, de Gallis Germaniſque, Gallos ſcilicet à Græcis Troianiſque profectos; atque inde ex Gallis ſucceſſivè paulatim Germanos; cum nullo probari autho-

* Pag. 85. ſupra.

authoris fulciatur teſtimonio, malim ego Ioſephum ſequi, qui Gallos lato modo, ſecundum Græcorum conſvetudinem, ſumptos, *Gomaros* olim & *Gomaritas* à Gomero, Iapheti filio natu maximo, vocitatos ait: Gomeris videlicet & Gomeritis non Gallos tantum, ſed & Theutones Germanos omneſque Cimmerios, utpote Aſiaticis Iaphetique verſus Orientem proſapiæ longe quàm Galli propiores, ſimul comprehendens. Nam uti Celtarum Gallorumque vocabulo, quod & ſuperius ex Dione innui, omnes ij antiquitus intellecti, qui cis ultraque Rhenum colebant; ita & Diodorus Siculus, etiam Iulij Cæſaris temporibus, cunctas juxta Pyrenæos & Alpes ac deinceps ad Schytiam ac Cimmerios uſque gentes, communi Celtarum nomine nuncupatas accipit: Adeo ut Tacitum, cum indigenas dicat Germanos, interpreter quam minima eos aliarum gentium colluvie, ſed certa potius perpetuaque à prima origine ſtirpe ac ſerie proditos; id eſt, ut idem etiam Tacitus alibi de eiſdem repetit, propriam & ſinceram & tantum ſui ſimilem gentem exſtitiſſe. Quod tamen ità acceptum velim, ut Galli ſub eiſdem illis Germanis Iaphetique progenie ſimul intelligantur; præſertim cum etiam Srabo Germanos inde ac[illegible]iſſe nominis auſpicium indicet, quod Gallorum germani fratreſque Romanis viderentur, uti jam ante nobis notatum memini. Nec leve etiam argumentũ ſit, ad oſtendendum utriuſq; gentis, Germanicæ dico Gallicæque, communem unamque fuiſſe antiquitus progeniem, quod ex linguæ veſtigijs ſuo loco deſumſimus. Nam pluribus rationum momentis vocumque certarum teſtimonijs in Gloſſariolo noſtro

Lib de Germania.

ſtro priſco-Gallico monſtratum exiſtimo, dialecto tantum à Theutonibus diſcrepaſſe antiquitus Gallos. Animadverterat quoque Bodinus multum in eo poſitum, ad faciendam origini fidem, præſidij; ideoque in varias ſe verſat partes, ut quænam olim Gallorum lingua fuerit in apertum proferat. Quocirca cum Græcam Gallorum videatur faſſus originem, modò ad Græcos eorundem refert ſermonem, modò diverſum admodum à Germanico aſſerit; ſuique mox oblitus Germanos dixit Celtarum linguam à Gallis hauſiſſe, ejuſque plura quam ipſos Gallos retinuiſſe veſtigia. Verum haud meliori hæc omnia, quam Gallicæ gentis Graiam Troianamque originem, fide ac certitudine demonſtrat. Quàm enim à Græco diſcrepent idiomate eæ omnes, quæ, ſub Gallico titulo, ab authoribus claſſicis citantur Gallorum voculæ, alibi nobis diſputatum eſt; ut taceam refutatam eam opinionem Marco Varroni, quum Maſſilienſes *trilingues* dixerit, id eſt, *Gallice*, *Græcè* & *Latinè* locutos. *Latine* ſcilicet, quia Romanorum erant coloniæ; *Græcè*, quod in iſtum Gallici littoris ſinum, relicta Græcia, Phocenſes jam olim colonias intulerant; *Gallice* denique, quod is communis ijs eſſet cum Gallis reliquis ſermoque vernaculus. Si autem Græcum fuiſſet Gallorum idioma, minimè trilingues dixiſſet Varro Maſſilienſes, tamque diſerte Græcum Latinumque diſcriminaviſſet à Gallico: Gallico dico, quod genti tunc, cum in eam Græci Latinique colonias traducerent proprium fuerit ac vernaculum; qualis hodieque antiquam primamque matricem referens perdurat lingua Germa-

manorum Theutonica; quia nullis exterarum nationum colonijs aut invaſionibus, nec iſti præſertim Romanorum jugo, unquam, uti Gallia, fuerint obnoxij Theutones. Sed & hoc Bodinum refutet; ſi enim à Gallis exortos velit Germanos, etiam linguam hodieque Germanis uſitatam ab illa Gallorum veteri ac primogenia matrice prodijſſe fateri neceſſum habet. Verum id ſi dederit, concidet jam illud de Troiana Gallorum origine commentum. Nam unde gentis, inde & linguæ arceſſendum originem. Verum iſta cum alibi, uti dixi, diſputentur commodius, hic miſſa faciemus; & eò unde abrepti, ad Frācos ſcilicet, orationis velum vertemus. Volebat enim porro Bodinus, quod verba ſuperius poſita loquuntur, ab incolis Franconiæ Orientalis petendam Franciçæ gentis originem; ſed ità ut illi ipſi Franconiæ Orientalis incolæ, coloniæ fuerint Gallorum; quia dixerat Cæſar, circum Hercyniam ſilvam Gallos Tectoſages fertiliſſima Germaniæ loca occupaſſe. Qua in ſententia, primò communis illi error eſt cum nonnullis Germanorum (de quibus mox) qui Franconibus ſimiliter hanc ortus gloriam attribuunt; cum utroſque, & Bodinum & illos, convincat hiſtoria ac temporum ſeries. Francos enim, relictis paludoſis, trans Rhenum inferiorem, locis, longe infra Vbiorum coloniam, ubi Sicambros Cæſari ac Ptolemæo collocatos antea oſtendimus, ſuperaſſe primitus Rheni ripam mox palam faciemus; Atque inde, poſt varios caſus belliquè diſcrimina, cunctis intra Rhenum Moſamque, nec non & Maguntinis atque Argentoratenſibus

una cum Vangionibus Nemetibuſque, oppreſſis aut in poteſtatem redactis, Thuringiam & Franconiam à ſe Orientalem, reſpectu Occiduæ, id eſt, Gallicæ Franciæ, nominatam, invaſiſſe; circumlatis longe lateque armis, quo ſpes & dulcedo victoriæ vocabant. Cum ergo compluribus annis priuſquam Orientalis Franconiæ exſtitiſſet vel appellatio, rebus maximis præclareque geſtis in proprijs ac primis, quas modò deſignavimus, ſedibus, celebratiſſimum fuerit etiam Romano imperio Francorum & nomen & natio, quis Bodinum non admiretur tam ab omni temporum calculo aliena ac devia memoriæ, & iſti præſertim Methodo, quæ vice facis ad verum dirigeret, voluiſſe inſerere? Nam quod de Gallorum deinde colonijs, id eſt, Tectoſagibus adjicit, cauſam nequaquam juvat. Quis enim veterum unquam prodidit tantos fuiſſe animos eò locorum Tectoſages, ut ſedibus ſuis ſe moverint? quos ævo ſuo Cæſar ijſdem, quos occuparant, ſe continuiſſe terminis ſcribit: cum jam Germanorum potentiſſimi Svevi, Tencteri ipſique Sicambri, non finitimis modo, ſed & Romanis eſſent formidabiles. Rectius ergo Beatus Rhenanus, iſtam Tectoſagum gentem arbitratur Nicri præcipuè ripam accoluiſſe, quo loci vetuſta adhuc arx viſitur, quæ Deccenſibus poſtea ducibus nomen reliquerit. Teck enim hodieque nuncupatur, quæ prima Tectoſagum ſyllaba eſt. Quamvis & hoc præterea cogitandum relinquitur, num ſcilicet Tectoſages, quorum meminit Cæſar, exiguæ aliquæ ac pauperes eorum fuerint reliquiæ, quos in Bithyniam ac Græciam cōceſſiſſe authores memorant. Certum enim eſt, ut citat ex primo

Method. Hiſtor.

Gala-

Galaticū Erathoſtenis Stephanus ethnographus, Toliſtobogos, quos nonnulli cum Tectoſagibus confundunt, ex Celtogalatia per uberrima Germaniæ loca tandemq;, tranſmiſſis Alpibus, in media Græcia Gallogræcorum populum & nomen condidiſſe. Vnde & Florus de bello Gallogræco: *Duobus prælijs fuſi fugatique ſunt: quamvis ſub adventu hoſtis, relictis ſedibus, in altiſſimos ſe montes recepiſſent, quos Toloſtobogi Tectoſagique jam inſederant*. Quibus & Plinius accedit; qui poſtquam de *Toloſtobogis* dixiſſet, ita porrò adjicit: *Prætenditur Cappadociæ à Septentrione & Solis ortu, cujus uberrimam partem occupavere Tectoſages ac Teutobodiaci*. Lib 2. Cap. 11. Lib. 5. Cap. 32.

Atque hactenus contra argumenta Bodini ſatis dictum puto; contra ipſum quoque dici atque objici poſſit, quod ipſemet in Germanis plerifque reprehēdendum ſibi ſumit, nimium videlicet in populares ac patriam ſtudium. Dum enim omnia ſuis civibus ambitioſe ſtudet tranſcribere, fit ut ſæpe decipiatur, ſæpe decipiat. Itaque fabuloſum illud apud Ammianū de Troiana Gallorum origine ſequi maluit, quam vel meminiſſe quod refert porro ille idem Ammianus, ut veritati convenientius, & Cæſaris quoque, atteſtantibus ipſis Belgij Rhemis, confirmatum teſtimonio; Gallos nimirum aut indigenam eſſe populum, aut etiam partē eorum, ut* Belgas, ex Germania antiquitus Rhenum traductos, ibi conſediſſe. Verbis* ipſiuſmet fidei ergo hîc poſitis, Caput hoc ſignavero. Ita enim habent: *Draſida memorant*, Gallos *revera fuiſſe populi partem indigenam: ſed alios quoque ab inſulis confluxiſſe & tractibus tranſrhenanis, crebritate bellorum, & alluvione fervidi maris ſedibus ſuis expulſos*. Nunc ad tertiam, quæ reliqua Lib. 15. *Cæſar lib. 2. Bel. Gal. * Ammian. lib. 15.

qua

qua eſt, opinionum claſſem accingamur.

CAP. VII.

TERTIA SEV VLTIMA OPInantium claſſis, cum examine & confutatione ſingulorum.

AD reliquos, & tertio quidem loco poſitos, jam veniendum. Inter eos plerique Germanorum, ut Melanchthon, Peucerus, Grantzius alijque, Franconiam item, ut Bodinus, ſed alio modo, genitalem & primam gentis Francorum ſedem credidêre. Nam in Chronico Carionis, quod MELANCHTHON, atque inde PEVCERVS luculentius edidit, ita ſcriptum invenio: *Interiecti inter Svevos & Noricos & ſilvam Thuringicam ſunt Franci nunc quoque: ſicut & Strabo inquit, Francos eſſe inter Noricos & Vindelicos.* Et ſtatim, *An autem deſcenderint à ripa Mœni quæri poteſt: Strabonis & Hieronymi dicta magis ſignificant deſcendiſſe ad Rhenum, quam primum in littore Friſiaco natos eſſe.* Quibus in verbis animadvertere eſt, quàm facile, quamque levi aura in avia erroremque abripiantur hominum etiam doctiſſimorum animi, cum præſertim favor eò & inclinatio propendeant. Strabo enim quia Βρέγκων meminiſſe in Noricis videtur, ſtatim fuiſſe eos *Francos* ob nominis alluſionem, concluſere optimi illi, inque rem ſuam creduli viri: cum tamen longè ſecius res habeat. Nam apud Strabonem, pro eo, quod exhibent nonnulli codi-

Melanchthon, *Peucerus.* Lib. 3. Chron.

Lib. 4. Geograph.

codices, μετὰ τῶν Βρέγκων καὶ τεναύνων recte obſervatum ab alijs legendum eſſe Βρεόνων καὶ Γεναύνων, juxta lectionem veterem, quæ eſt in Oda iſta Horatiana, ad Cæſarem Auguſtum:

Milite nam tuo,
Druſus Genaunos, implacidum genus,
Breunoſque veloces & arces
Alpibus impoſitas tremendis
Deiecit.

Nec eſt aliter in Alpium trophæo, apud Plinium: ISAARCI, BREVNI, GENAVNES. niſi quod vulgo, pro, *Genaunes*, *Naunes* plerique libri, ſed perperam, præferant. Vnde Alpinum eſſe *Breunos* populum, nihilque ad Francos, cuivis eſſe manifeſtum poteſt; præſertim ſi illa ex Floro verba ſuperioribus accedant; ubi de eodem illo, quod tetigit Horatius, Druſi bello ita loquitur: *Noricis animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non poſſit aſcendere. ſed omnes illius cardinis populos, Breunos, Senones atque Vindelicos per privignum ſuum Claudium Druſum pacavit Auguſtus.* Lib. 4. cap. 12.

Et ſane nuſquam, quod concludit cum Melanchthone Peucerus, Scriptum Straboni, intra Noricos & Vindelicos, collocatos *Breunos*, ſeu, ut illi legerant, *Brencos*: ſed ità habent verba Strabōnis: *Vindelici & Norici montana exteriora tenent magna ex parte cum Breunis & Genaunis, qui iam ad Illyricos pertinent*. Vnde non minus in ſitu eorundem populorũ conſtituendo, quam nomine *Breunos* in *Brencos*, atque inde in *Francos*,

vio-

violentius torquendo exorbitaſſe maximos illos viros colligitur. Nec etiam Hieronymus, quem inde citant, errorem excuſet: quamvis referat ille in vita Hilarionis inter Alemanos & Saxones conſtitutos primitus Francos. eum enim in animo locum habuiſſe eos, nobis quoq; jam ante aliquoties productum, exiſtimo, qui totus, nec repetere piget, ità habet: *Inter Saxones & Alemanos, gens non tam lata quam valida, apud hiſtoricos Germania, nunc Francia vocatur.* At inde velle cõcludere arbitratum Hieronymũ à Mæni ripa ad Rhenum inferiorem deſcendiſſe Francos, quid erit ab omni ratione alienius? præſertim cui conſtiterit quibus antiquitus ſedibus Saxones, quibus Alemani conſederint. Idque cum antea particulatim ac ſeorſum *oſtenſum nobis ſit, addito atque explicato illuſtri illo, & ad noſtram ſententiam proprie pertinente, Hieronymiano loco, hic velle iterare, ſit actum agere.

*Cap. 2. & 3. lib. 1.

Horum an hallucinationes ſecutus ROFINIACVS præſes Burdigalenſis, an verò Rofiniacum illi, incertum habeo. Certè Rofiniacus idem plane commentum Straboni impingit in Opere, quod de Regnorum Origine edidit, ubi in hæc verba, præter cetera, diſſerit: *Porro de Francorum antiquitate id ex Strabone, qui tempore Auguſti ſcripſit, & militiam una cum Romanis ſecutus eſt, colligitur, Francos Vindelicis, hoc eſt, Bavaris conjunctos eſſe.* En quam habent ſimiles labra lacturas!

Rofiniacus de Origine Regnorum.

Sed ut illi antiquitatem opinioni ſuæ præſtruunt, ità alij ſolo nomine moti, quod nimirum veſtigia Francici nominis in Franconia hodieque remaneant, Franconiam eſſe veras & primas Francorum ſedes perſvaſũ voluere. Inter ceteros ALBERTVS CRANTZIVS, haud

Alb. Crãtzius.

haud proletarij aliàs judicij ſcriptor, huc quoq; ſuum adieciſſe calculum videtur, dum in Vandaliâ ità loquatur: *Francos primus Romanorum ducum domuit in patria, olim Francia (Gallis nomen ſurripientibus) Franconia, Conſtantius, Magni Conſtantini filius. Eadem accepta clades effecit, ut uſque ad tempora Arcadij & Honorij imperatorum, fuerint in ſua patria quietiſſimi. Sed eorundem imperatorum anno* VII *mutandi ſoli, & melioris quærendi gratia, patrijs ſedibus relictis, Rhenum tranſmiſerunt: & apud Treviros, Matricorenſes (qui & Metenſes) & Leucos (qui & Tullenſes) Veredunenſeſque conſederant: quos Svevis ob vetuſtas ſimultates inſtigantibus, Vandali, Burgundiones & Alani Rhenum per vim & arma tranſire & in Franconiam ſe recipere compulerunt &c.* Hactenus ille. Quem tamen ceteroſque vel unum id coarguit, quod ex Procopio jam ante retulimus, qui regionem, quam primitus incoluerint Franci, teſtatus eſt fuiſſe circa Rheni fere in Oceanum exitum, ubi crebræ eſſent ac multæ paludes. Quod & Ado Viennenſis epiſcopus, contra quam volebant Vrſpergenſis & Æmylius, diſerte jam modò prolocutus eſt; in eo ſaltē à re & vero aberrās, quod nō ut indigenas, ſed ex fictitia quoq; illa Sicābria, quaſi advenas, eo locorū collocet. His accedit quod & paſſim Panegyrici veteres, piraticam exercuiſſe eoſdem Francos referāt, ut nihil ſit certius, quā fuiſſe non modo Rheno occiduo, quà in mare elebitur, vicinum, ſed & maritimum populum Oceani circiter Borealis littus accolentem, quemadmodum ex ijſdē panegyricis alijſq; iam ante monſtravimus; & iſte etiam Eutropij locus de Carauſio oſtendit, quem ait, apud Bononiā, quæ in Gallijs eſt, per tractum Belgicæ & Aremoricæ,

Cap. 6. Lib. 2.

Lib. 9.

pacandum mare accepiſſe, quod id Franci & Saxones expeditionibus navalibus infeſtum haberent. Idque unico inſuper & tali præſertim teſtimonio, quod ad Francos præcipue, confirmandum hîc judico, quo & originem gentis haud aliunde quærendam ſemel appareat. Exſtat enim panegyrico ad Conſtantinum Magnum IX: *Quid loquar intimas Franciæ nationes, non jam ab his, quæ olim Romani invaſerant, ſed à propriÿs ex origine ſedibus, atque ultimis Barbariæ littoribus avulſas, ut in deſertis Galliæ regionibus collocatæ pacem Romani imperÿ cultu juvarent & arma delectu.* Nam iſtis in verbis, quænam olim propriæ Francorum ſedes fuerint, & quidem avitæ, nonne ſatis oſtenditur, cum haud fruſtra addatur, *à propriÿs ex origine ſuis ſedibus*? caſque ſedes Panegyriſtæ extrema Oceani ac barbariæ littora intellectas ſtatim ac continenter adjiciatur? Adeo ut fatuus iſte plurimorum ſenſus atq; opinatio luce clarius hinc pateat, qui Franconiam, à Rheno inferiori longe diſſitam, longiſſime ab Oceano ejuſque littoribus, imo quæ quid ſit Oceanus penitus neſciat, ideoque & piraticæ ignaram, atque omni à naviculatione alienam, minimè paludoſam, diverſiſſimo à Sicambris, Chamavis, Bructeris, Friſÿs priſciſque ac ultimum Boreæ mare accolentibus Saxonibus poſitu ſecluſam, hîc ingerere ſiniſtrè nimis ſatagunt. Quando autem ea ipſa, ut diceretur Franconia, id nominis acceperit, & quando invaſum primò occupatumque à Francis id ſolum ſit, dicetur ſuo loco poſtea. Crantzianis interim verbis id ſeorſim & ſigillatim hic reponi debere video, haud quaquam verum eſſe, quod ait, primum Romanorum ducum Conſtantium impetiviſſe ac cæcidiſſe Francos.

Nam

Nam ſanè ante eum, ut alios taceam, Aurelianus in ripa Rheni palantes, poſt varia Romanis illata detrimenta, adgreſſus ità adflixit, ut quibuſdam intereptis, plures ſub corona vendiderit: atque inde de Aureliano talis verſus percrebuerit: *Mille Francos, mille Sarmatas ſemel occidimus.* Hoc primo, deinde nec illud concedendum, quod putet in Franconia, quam patriam eorum appellat, ab eodem Conſtantio impetitos, cum certum ſit, Aſcaricum & Radagiſum, Francicos reges, Conſtantianis temporibus, Rhenum frigore congelatum, circa divortia ejus, id eſt, è regione ſoli ſui tranſgreſſos; ibidemque invaſos ac repulſos à Conſtantio, non quidem filio, ſed patre Conſtantini Magni, & Regibus quidem pacem, cum eam peterent, liberaliter tunc conceſſam, ut referunt Panegyrici, & nos ſuo loco memorabimus uberius: ità ut ſequentia quoque de Arcadio & Honorio, deque Francorum quiete aut armis ſub utriuſque imperio, quatenus accipienda; aut Crantzio hîc, qui ſeculo adhuc rudi nec literis aut monumentis ad hanc rem ſpectantibus ſatis inſtructo, ſua perſcripſit, credi debeat, poſt, ubi res gentis ordine ac juxta annorum ſeriem perſtringentur, fiet manifeſtius.

VOLATERRANVS quoque primoribus quaſi labris Agathiæ verba aucupans, ſcribentis, *Francos eſſe nationem Italiæ finitimam*, Franconiam ſimiliter genitalem eorum patriam conſtituit. At Volaterranus ſi integrum locũ expendiſſet, tum & ætatem, qua hiſtoriam ſuam contexuit Agathias, ad calculum revocaſſet, tam turpiter ſcopulo navem haud impegiſſet. Prodit enim Agathias, quibus ſuo ævo finibus continerẽtur Frãci, *Volaterranus.*

ſtro priſco Gallico monſtratum exiſtimo, dialecto tantum à Theutonibus diſcrepaſſe antiquitus Gallos. Animadverterat quoque Bodinus multum in eo poſitum, ad faciendam origini fidem, præſidij; ideoque in varias ſe verſat partes, ut quænam olim Gallorum lingua fuerit in apertum proferat. Quocirca cum Græcam Gallorum videatur faſſus originem, modò ad Græcos eorundem refert ſermonem, modò diverſum admodum à Germanico aſſerit; ſuique mox oblitus Germanos dixit Celtarum linguam à Gallis hauſiſſe, ejuſque plura quam ipſos Gallos retinuiſſe veſtigia. Verum haud meliori hæc omnia, quam Gallicæ gentis Graiam Troïanamque originem, fide ac certitudine demonſtrat. Quàm enim à Græco diſcrepent idiomate eæ omnes, quæ, ſub Gallico titulo, ab authoribus claſſicis citantur Gallorum voculæ, alibi nobis diſputatum eſt; ut taceam refutatam eam opinionem Marco Varroni, quum Maſſilienſes *trilingues* dixerit, id eſt, *Gallice, Græcè* & *Latinè* locutos. *Latine* ſcilicet, quia Romanorum erant coloniæ; *Græcè*, quod in iſtum Gallici littoris ſinum, relicta Græcia, Phocenſes jam olim colonias intulerant; *Gallice* denique, quod is communis ijs eſſet cum Gallis reliquis ſermoque vernaculus. Si autem Græcum fuiſſet Gallorum idioma, minimè trilingues dixiſſet Varro Maſſilienſes, tamque diſerte Græcum Latinumque diſcriminaviſſet à Gallico: Gallico dico, quod genti tunc, cum in eam Græci Latinique colonias traducerent proprium fuerit ac vernaculum; qualis hodieque antiquam primamque matricem referens perdurat lingua Germa-

manorum Theutonica; quia nullis exterarum nationum colonijs aut invaſionibus, nec iſti præſertim Romanorum jugo, unquam, uti Gallia, fuerint obnoxij Theutones. Sed & hoc Bodinum refutet; ſi enim à Gallis exortos velit Germanos, etiam linguam hodieque Germanis uſitatam ab illa Gallorum veteri ac primogenia matrice prodijſſe fateri neceſſum habet. Verum id ſi dederit, concidet jam illud de Troiana Gallorum origine commentum. Nam unde gentis, inde & linguæ arceſſendum originem. Verum iſta cum alibi, uti dixi, diſputentur commodius, hic miſſa faciemus; & eò unde abrepti, ad Frācos ſcilicet, orationis velum vertemus. Volebat enim porro Bodinus, quod verba ſuperius poſita loquuntur, ab incolis Franconiæ Orientalis petendam Francicæ gentis originem; ſed ità ut illi ipſi Franconiæ Orientalis incolæ, coloniæ fuerint Gallorum; quia dixerat Cæſar, circum Hercyniam ſilvam Gallos Tectoſages fertiliſſima Germaniæ loca occupaſſe. Qua in ſententia, primò communis illi error eſt cum nonnullis Germanorum (de quibus mox) qui Franconibus ſimiliter hanc ortus gloriam attribuunt; cum utroſque, & Bodinum & illos, convincat hiſtoria ac temporum ſeries. Francos enim, relictis paludoſis, trans Rhenum inferiorem, locis, longe infra Vbiorum coloniam, ubi Sicambros Cæſari ac Ptolemæo collocatos antea oſtendimus, ſuperaſſe primitus Rheni ripam mox palam faciemus. Atque inde, poſt varios caſus belliqùe diſcrimina, cunctis intra Rhenum Moſamque, nec non & Maguntinis atque Argentoratenſibus

una cum Vangionibus Nemetibuſque, oppreſſis aut in poteſtatem redactis, Thuringiam & Franconiam à ſe Orientalem, reſpectu Occiduæ, id eſt, Gallicæ Franciæ, nominatam, invaſiſſe; circumlatis longe lateque armis, quo ſpes & dulcedo victoriæ vocabant. Cum ergo compluribus annis priuſquam Orientalis Franconiæ exſtitiſſet vel appellatio, rebus maximis præclareque geſtis in proprijs ac primis, quas modò deſignavimus, ſedibus, celebratiſſimum fuerit etiam Romano imperio Francorum & nomen & natio, quis Bodinum non admiretur tam ab omni temporum calculo aliena ac devia memoriæ, & iſti præſertim Methodo, quæ vice facis ad verum dirigeret, voluiſſe inſerere? Nam quod de Gallorum deinde colonijs, id eſt, Tectoſagibus adjicit, cauſam nequaquam juvat. Quis enim veterum unquam prodidit tantos ſumſiſſe animos eò locorum Tectoſages, ut ſedibus ſuis ſe moverint? quos ævo ſuo Cæſar ijſdem, quos occuparant, ſe continuiſſe terminis ſcribit: cum jam Germanorum potentiſſimi Svevi, Tencteri ipſique Sicambri, non finitimis modo, ſed & Romanis eſſent formidabiles. Rectius ergo Beatus Rhenanus, iſtam Tectoſagum gentem arbitratur Nicri præcipuè ripam accoluiſſe, quo loci vetuſta adhuc arx viſitur, quæ Deccenſibus poſtea ducibus nomen reliquerit. **Teck** enim hodieque nuncupatur, quæ prima Tectoſagum ſyllaba eſt. Quamvis & hoc præterea cogitandum relinquitur, num ſcilicet Tectoſages, quorum meminit Cæſar, exiguæ aliquæ ac pauperes eorum fuerint reliquiæ, quos in Bithyniam ac Græciam cõceſſiſſe authores memorant. Certum enim eſt, ut citat ex primo

Method. Hiſtor.

Gala-

Galaticā Erathoſtenis Stephanus ethnographus, Toliſtobogos, quos nonnulli cum Tectoſagibus confundunt, ex Celtogalatia per uberrima Germaniæ loca tandemq;, transmiſſis Alpibus, in media Græcia Gallogræcorum populum & nomen condidiſſe. Vnde & Florus de bello Gallogræco: *Duobus prælijs fuſi fugatique ſunt: quamvis ſub adventu hoſtis, relictis ſedibus, in altiſſimos ſe montes recepiſſent, quos Toloſtobogi Tectoſagique jam inſederant.* Quibus & Plinius accedit; qui poſtquam de *Toloſtobogis* dixiſſet, ità porrò adjicit: *Prætenditur Cappadociæ à Septentrione & Solis ortu, cujus uberrimam partem occupavere Tectoſages ac Teutobodiaci.* Lib 2. Cap. 11. Lib. 5. Cap. 32.

Atque hactenus contra argumenta Bodini ſatis dictum puto; contra ipſum quoque dici atque objici poſſit, quod ipſemet in Germanis plerisque reprehēdendum ſibi ſumit, nimium videlicet in populares ac patriam ſtudium. Dum enim omnia ſuis civibus ambitioſe ſtudet transcribere, fit ut ſæpe decipiatur, ſæpe decipiat. Itaque fabuloſum illud apud Ammianū de Troiana Gallorum origine ſequi maluit, quam vel meminiſſe quod refert porro ille idem Ammianus, ut veritati convenientius, & Cæſaris quoque, atteſtantibus ipſis Belgij Rhemis, confirmatum teſtimonio; Gallos nimirum aut indigenam eſſe populum, aut etiam partē eorum, ut * Belgas, ex Germania antiquitus Rhenum traductos, ibi conſediſſe. Verbis * ipſiuſmet fidei ergo hîc poſitis, Caput hoc ſignavero. Ita enim habent: *Draſidæ memorant,* Gallos *revera fuiſſe populi partem indigenam: ſed alios quoque ab inſulis confluxiſſe & tractibus transrhenanis, crebritate bellorum, & alluvione fervidi maris ſedibus ſuis expulſos.* Nunc ad tertiam, quæ reli- Lib. 15. *Cęſar lib. 2. Bel. Gal. * Ammian. lib. 15.

qua eſt, opinionum claſſem accingamur.

CAP. VII.

TERTIA SEV VLTIMA OPInantium claſſis, cum examine & confutatione ſingulorum.

AD reliquos, & tertio quidem loco poſitos, jam veniendum. Inter eos plerique Germanorum, ut Melanchthon, Peucerus, Grantzius alijque, Franconiam item, ut Bodinus, ſed alio modo, genitalem & primam gentis Francorum ſedem credidêre; Nam in Chronico Carionis, quod MELANCHTHON, atque inde PEVCERVS luculentius edidit, ita ſcriptum invenio: *Interiecti inter Svevos & Noricos & ſilvam Thuringicam ſunt Franci nunc quoque: ſicut & Strabo inquit, Francos eſſe inter Noricos & Vindelicos.* Et ſtatim, *An autem deſcenderint à ripa Mœni quæri poteſt: Strabonis & Hieronymi dicta magis ſignificant deſcendiſſe ad Rhenum, quam primum in littore Friſiaco natos eſſe.* Quibus in verbis animadvertere eſt, quàm facile, quamque levi aura in avia erroremque abripiantur hominum etiam doctiſſimorum animi, cum præſertim favor eò & inclinatio propendeant. Strabo enim quia Βέγκων meminiſſe in Noricis videtur, ſtatim fuiſſe eos *Francos* ob nominis alluſionem, concluſere optimi illi, inque rem ſuam creduli viri: cum tamen longè ſecius res habeat. Nam apud Strabonem, pro eo, quod exhibent nonnulli codi-

Melanchthon, *Peucerus.* Lib. 3. Chron.

Lib. 4. Geograph.

codices, μετὰ τῶν Βρέγκων καὶ τεναΰνων recte obſervatum ab alijs legendum eſſe Βρεόνων καὶ Γεναύνων, juxta lectionem veterem, quæ eſt in Oda iſta Horatiana, ad Cæſarem Auguſtum:

Milite nam tuo,
Druſus Genaunos, implacidum genus,
Breunoſque veloces & arces
Alpibus impoſitas tremendis
Deiecit.

Nec eſt aliter in Alpium trophæo, apud Plinium: ISAARCI, BREVNI, GENAVNES. niſi quod vulgo, pro, *Genaunes*, *Naunes* plerique libri, ſed perperam, præferant. Vnde Alpinum eſſe *Breunos* populum, nihilque ad Francos, cuivis eſſe manifeſtum poteſt; præſertim ſi illa ex Floro verba ſuperioribus accedant; ubi de eodem illo, quod tetigit Horatius, Druſi bello ita loquitur: *Noricis animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non poſſit aſcendere. ſed omnes illius cardinis populos, Breunos, Senones atque Vindelicos per privignum ſuum Claudium Druſum pacavit Auguſtus.* Lib. 4. cap. 12.

Et ſane nuſquam, quod concludit cum Melanchthone Peucerus, Scriptum Straboni, intra Noricos & Vindelicos, collocatos *Breunos*, ſeu, ut illi legerant, *Brencos*: ſed ita habent verba Strabonis: *Vindelici & Norici montana exteriora tenent magna ex parte cum Breunis & Genaunis, qui iam ad Illyricos pertinent.* Vnde non minus in ſitu eorundem populorũ conſtituendo, quam nomine *Breunos* in *Brencos*, atque inde in *Francos*,

vio-

violentius torquendo exorbitaſſe maximos illos viros colligitur. Nec etiam Hieronymus, quem inde citant, errorem excuſet: quamvis referat ille in vita Hilarionis inter Alemanos & Saxones conſtitutos primitus Francos. cum enim in animo locum habuiſſe eos, nobis quoq; jam ante aliquoties productum, exiſtimo, qui totus, nec repetere piget, ità habet: *Inter Saxones & Alemanos, gens non tam lata quam valida, apud hiſtoricos Germania, nunc Francia vocatur.* At inde velle cōcludere arbitratum Hieronymũ à Mæni ripa ad Rhenum inferiorem deſcendiſſe Francos, quid erit ab omni ratione alienius? præſertim cui conſtiterit quibus antiquitus ſedibus Saxones, quibus Alemani conſederint. Idque cum antea particulatim ac ſeorſum *oſtenſum nobis ſit, addito atque explicato illuſtri illo, & ad noſtram ſententiam proprie pertinente, Hieronymiano loco, hic velle iterare, ſit actum agere.

*Cap. 2. & 3. lib. 1.

Horum an hallucinationes ſecutus ROFINIACVS præſes Burdigalenſis, an verò Rofiniacum illi, incertum habeo. Certè Rofiniacus idem plane commentum Straboni impingit in Opere, quod de Regnorum Origine edidit, ubi in hæc verba, præter cetera, diſſerit: *Porro de Francorum antiquitate id ex Strabone, qui tempore Auguſti ſcripſit, & militiam una cum Romanus ſecutus eſt, colligitur, Francos Vindelicis, hoc eſt, Bavaris conjunctos eſſe.* En quam habent ſimiles labra lactucas!

Rofiniacus de Origine Regnorum.

Sed ut illi antiquitatem opinioni ſuæ præſtruunt, ità alij ſolo nomine moti, quod nimirum veſtigia Francici nominis in Franconia hodieque remaneant, Franconiam eſſe veras & primas Francorum ſedes perſvaſũ voluere. Inter ceteros ALBERTVS CRANTZIVS, haud

Alb. Crãtzius.

haud proletarij aliàs judicij ſcriptor, huc quoq; ſuum adieciſſe calculum videtur, dum in Vandaliâ ità loquatur: *Francos primus Romanorum ducum domuit in patria, olim Francia (Gallis nomen ſurripientibus) Franconia, Conſtantius, Magni Conſtantini filius. Eadem accepta clades effecit, ut uſque ad tempora Arcadij & Honorij imperatorum, fuerint in ſua patria quietiſſimi. Sed eorundem imperatorum anno* VII *mutandi ſoli, & melioris quarendi gratia, patrijs ſedibus relictis, Rhenum tranſmiſerunt: & apud Treviros, Matricorenſes (qui & Metenſes) & Leucos (qui & Tullenſes) Veredunenſeſque conſederant: quos Svevis ob vetuſtas ſimultates inſtigantibus, Vandali, Burgundiones & Alani Rhenum per vim & arma tranſire & in Franconiam ſe recipere compulerunt, &c.* Hactenus ille. Quem tamen ceteroſque vel unum id coarguit, quod ex Procopio jam ante retulimus, qui regionem, quam primitus incoluerint Franci, teſtatus eſt fuiſſe circa Rheni fere in Oceanum exitum, ubi crebræ eſſent ac multæ paludes. Quod & Ado Viennenſis epiſcopus, contra quam volebant Vrſpergenſis & Æmylius, diſerte jam modò prolocutus eſt; in eo ſaltē à re & vero aberrās, quod nō ut indigenas, ſed ex fictitia quoq; illa Sicābria, quaſi advenas, eo locorū collocet. His accedit quod & paſſim Panegyrici veteres, piraticam exercuiſſe eoſdem Francos referāt, ut nihil ſit certius, quā fuiſſe non modo Rheno occiduo, quà in mare elebitur, vicinum, ſed & maritimum populum Oceani circiter Borealis littus accolentem, quemadmodum ex ijſdē panegyricis alijſq; iam ante monſtravimus; & iſte etiam Eutropij locus de Carauſio oſtendit, quem ait, apud Bononiā, quæ in Gallijs eſt, per tractum Belgicæ & Aremoricæ,

Cap. 6. Lib. 2.

Lib. 9.

S pacan-

Nam ſanè ante eum, ut alios taceam, Aurelianus in ripa Rheni palantes, poſt varia Romanis illata detrimenta, adgreſſus ità adflixit, ut quibuſdam interēptis, plures ſub corona vendiderit: atque inde de Aureliano talis verſus percrebuerit: *Mille Francos, mille Sarmatas ſemel occidimus.* Hoc primo, deinde nec illud concedendum, quod putet in Franconia, quam patriam eorum appellat, ab eodem Conſtantio impetitos, cum certum ſit, Aſcaricum & Radagiſum, Francicos reges, Conſtantianis temporibus, Rhenum frigore congelatum, circa divortia ejus, id eſt, è regione ſoli ſui tranſgreſſos; ibidemque invaſos ac repulſos à Conſtantio, non quidem filio, ſed patre Conſtantini Magni, & Regibus quidem pacem, cum eam peterent, liberaliter tunc conceſſam, ut referunt Panegyrici, & nos ſuo loco memorabimus uberius: ità ut ſequentia quoque de Arcadio & Honorio, deque Francorum quiete aut armis ſub utriuſque imperio, quatenus accipienda; aut Crantzio hîc, qui ſeculo adhuc rudi nec literis aut monumentis ad hanc rem ſpectantibus ſatis inſtructo, ſua perſcripſit, credi debeat, poſt, ubi res gentis ordine ac juxta annorum ſeriem perſtringentur, fiet manifeſtius.

VOLATERRANVS quoque primoribus quaſi labris Agathiæ verba aucupans, ſcribentis, *Francos eſſe nationem Italiæ finitimam*, Franconiam ſimiliter genitalem eorum patriam conſtituit. At Volaterranus ſi integrum locū expendiſſet, tum & ætatem, qua hiſtoriam ſuam contexuit Agathias, ad calculum revocaſſet, tam turpiter ſcopulo navem haud impegiſſet. Prodit enim Agathias, quibus ſuo ævo finibus continerētur Frāci, *Volaterranus.*

& ait Italiæ propinquos fuiſſe, non de Franconia (ut credidit Volaterranus) procul ab italia diſſita loquēs, ſed de Gallijs, quas tum, Romanis atque inde Gothis diutina regni poſſeſſione exutis, ſibi Franci ſubiecerant. Hoc ità eſſe è Svidæ commentarijs conſtare poteſt, qui floruiſſe Agathiam principatu Iuſtiniani
A.C. 550. ad annum quingenteſimum & quinquageſimum tradidit, cum iam Gallia pæne univerſa Franciæ vocabulum & jura ſuſcepiſſet. Sed ipſa, quæ dixi, Agathiæ verba ſi integra adſcribantur, Volaterrani ſententiam ſatis refutabunt, & id quod innui manifeſtum facient. Ait enim lib. 1: *Sunt Franci Italiæ accolæ & contermini; olim dicti Germani. quod quidem ſatis conſtat. Nam circa Rhenum fluvium habitant, & continentem ei adjacentem maximamque Galliarum partem occupant.* Et iterum lib. 2: *Theodibaldus adoleſcens, qui finitimis Italiæ Francis imperabat, è vivis exceſſerat. Finitimos,* inquit, *Italiæ Francos,* in-
Explicatur Agathias. telligens nimirum alios inſuper, Rhenum & Germaniam verſus porrectos; quibus Clotarius præerat; omnes autem è Germania in Galliam, ut ante commonuerat, profectos.

Nec abſimili ratione *Stephanus* ethnographus Agathia, quod exiſtimāt omnes, poſterior, in eo, quem de populorum regionumque nominibus edidit, Com-
Parthenius Phocenſis. mentario, *Francos* tradidit, atteſtante *Parthenio Phocenſe*, *eſſe gentem Italiæ Alpibus vicinam.* Quod arripiens MICHAEL RITIVS *Neapolitanus*, hiſtoriolæ quoque ſuæ de Regibus Francorum intexuit. Sed utrumque (& Parthenium & Stephanum dico) haud aliter quam de Agathia dixi, temporum ratio, quibus ſua monumenta elucubrarunt, à falſi ſuſpicione excuſat; quandoqui-

ſiquidem ſeptuaginta circiter annis prius *Chlodovæus*, Francorum Rex, Romanis jus & clavum imperij Gallici iam extorſerat, ſuæque id genti aſſeruerat. Quod ſi attendiſſet Ritius, nihil omnino iſtud, ſive Stephani ſive Parthenij, teſtimonium ad gentis initia & originem indicandam momenti adferre perquam facile illi animadvertere fuiſſet. *Michael Ritius.*

Quæ cum ita ſe habeant, omnium maxime miratus ſũ HADRIANI TVRNEBI, doctiſſimi alioquin viri, iudicium. Nam & ille de Franciſ ſuum quoque interponens calculũ ſcripſit ſibi videri Francos ex Scandinavia oriundos; propterea quod apud Ptolemæũ in illa inſula *Phiræſi* collocentur. quam vocem corruptam, & *Franci* reponendum, cenſet. Neque tamen, præter meram divinationẽ, ullam iſtius opinionis ſuæ rationẽ adducit. Nam de myoparonibus Francorũ quod ait, infeſta ab ijs initio habita Belgij & Aremoricæ littora, nequaquam probaverit è Scandinaviâ, ultima in Boreali Oceano Romanis & Ptolemæo cognitâ regione, profectos; cũ ipſos etiam Francos, non Rheni tantum, ſed Oceani quoq; fuiſſe accolas inq. mari dominatos jam ante monſtratũ ſit. Scãdinaviam autẽ dum inſulã facit, ex Ptolemæi potius quam ſuo ſenſu loqui dicendus. nã non inſulã, ſed Europæ continentẽ eſſe, hodie omnibus cõſtat. Eiuſmodi ergo opinio cũ à veterũ omnium authoritatibus aperte diſſideat, nec *Phiraſſi*, ſed *Phiræſij* in tabulis Ptolemæi exaratũ habeatur, voce à Franciſ ſolo & cælo toto diſcrepante, quis non eo loci ludere Turnebum &, quod Græci dicunt, *ἄσκοπα τοξεύειν, abſque ſcopo iaculari* pronunciaverit? *Had. Turnebus. Lib. 24. Adverſ. cap. 37.* *Tab. Europ. 4.*

Longe certiora veroq. propiora protulit conterraneus

Franciſcus Hotomannus. neus ejuſdem Turnebi FRANCISCVS HOTOMANNVS, qui opinionem Beati Rhenani proximè ſecutus Francos ea regione primum ortos profeſſus eſt, quæ inter Albim Rhenumq; interjecta, Oceano alluitur; ubi fere Chauci majores minoreſque collocantur: populus, teſtante Tacito, inter Germanos nobiliſſimus; ſuamque magnitudinem juſtitia protegens, Batavorum regioni finitimus. Verba ipſa ità habent: *Nos ex ea regione Francos primum ortos animadvertimus, quæ inter Albim & Rhenum interiecta, Oceano alluitur: ubi fere Chauci maiores & minores collocantur: populus (ut ait Tacitus) inter Germanos nobiliſſimus: quique magnitudinem ſuam iuſtitia tuetur & Batavorum regioni finitimus erat.* Nec ab ea ſententia multum noſtra diſſidet; niſi quod has aliaſque Rheno præſertim viciniores gentes, in ſocietatem à Sicambris ijs tractas veriſimile dixerim, quas in Rheni ulteriori ripa relictas, nec in Gallias ab Auguſto traductas ex Strabone cōmonuimus: quò ità haud alij, quam Francicæ genti, reſpondeant ea, quæ ab authoribus de Sicābris habemus prodita, proprieq; Strabo retulit & alij exinde de Francis, unanimi conſenſu, affirmarunt, fuiſſe videlicet Francos pugnacem ferocemque populum, fuiſſe & Rheno non tantum inferiori, ſed & mari contiguum: Nam utrumque Sicambris præcipue cōvenire, quos ob animi ferociam Romanis fuiſſe formidabiles, ipſi Romani confeſſi ſunt; & Rhenum non modò, ſed & Oceanum accoluiſſe, Strabo, quem dixi, teſtatus eſt; ut omittam comam etiam atque habitum, aliaque ejuſmodi inter ſe habuiſſe communia; quomodo & ſuperius innuimus. At Chaucis quàm non iſta conveniant idem Tacitus

Francogalliæ Cap. 4.

dicet,

dicet, qui ſine cupiditate ſine impotentia, quietos eos ſecretoſque facit: nulla provocare bella, nullis raptibus aut latrocinijs populari; nec deeſſe tamen arma atque exercitus, ſi impetantur. Sed ipſum audiamus Tacitum: *Chauci*, inquit, *populus inter Germanos nobiliſſimus, quique magnitudinem ſuam malit iuſtitia tueri. ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrocinijs populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, quod ut ſuperiores agant, non per iniurias aſſequuntur. Promta tamen omnibus arma ac, ſi res poſcat, exercitus; plurimum virorum equorumque & quieſcentibus eadem fama.* Quibus accedit, quod tanto ſpatio, tot gentibus intermedijs, à Rheno & Batavis (quibus conterminos fuiſſe Francos ſupra paſſim oſtenſum eſt) ijdem Chauci ſemoti fuerint. Nam quod innuit, imo diſertis verbis aſſeverat Hotomannus, quaſi Tacito atteſtante, *Batavis* fuiſſe *finitimos*, quomodo probaverit? *Friſiis* ſi dixiſſet, veritati convenientius dixiſſet. hoc enim Tacitus habet, ubi ait; *Chaucorum gentem incipere à Friſijs.* In Germania.

Hanc *Hotomanni* ſententiam ſimulque quid in ea deſiderarem, eo libentius retuli, ut una quaſi fidelia plures parietes dealbarem. Nam à pluribus eandem approbari non me præterit. præſertim verò, ut recentiores taceam, BEATVS, quem dixi, RHENANVS, qui rebus Germanicis plurimum lucis primus intulit, idē fere, ſed ante Hotomannum, ſtatuerat, à Chaucis nimirum ortos videri Francos; Batavis autem fuiſſe eoſdem Chaucos finitimos, quod Hotomannus poſuit, non memini tamen apud Rhenanum legere. Quamvis haud temere animadvertit Hotomannus hoc niſi *Beatus Rhenanus.*

demon-

demonſtraretur, fruſtranea nec ſufficientia eſſe, quæ adduci in reliquum poſſent. Itaque nec falſam theſin refugit adjicere, id eſt *Batavos* pro *Friſiis* apud Tacitum interpretari, ut quod peteret, vel eo pacto obtineret. Quin & hoc ſingulare habet Beati ſententia, Francos, relicto Oceano, non tantum ad Rhenum in loca Tencterorum, juxta Chamavos, veteres illas Sicambrorum ſedes; ſed ad Mænum etiam Salamque amnes, Chattorum locis pro parte occupatis, commigraſſe; Idque ſub Conſtantio præcipue contigiſſe. Argumenta interim, quibus id ipſum corroboret, nulla adducit, niſi quod ijs locis propiores promptioreſque crediderit ad vexandas incurſionibus quotidianis Gallias; tum quia & Salam fluviū è Thuringis in Albim; & aliū inſuper Salæ ſimiliter nomine in Mænū labi meminerat, ut inde ſcilicet Franci illi Salij nūcupati fuerint, quos Ammianus nominat. At ego eouſque pertigiſſe id ævi Francos minimè concedo, idque ob gentem Svevorum atque Alemanorum, qui tunc cis ultraque Mænum agebant, & quidquid eſt intra Danubium Rhenumque ſuperiorem, armis adverſum Romanos tutantes, haud minus quàm ipſi Franci circa Rhenum inferiorem, eiſdem Romanis plurimum faceſſebant negotij. Deinde & Auſonius Burdigalenſis, qui ſub Theodoſio & Gratiano Auguſtorum præceptor claruit, FRANCIAM adhuc, in adverſa ſcilicet Galliæ ripa, infra Moſellam collocat, quem Rhenum ingredi circa Confluentes, omnibus conſtat. Ait autem:

Acce-

Accedent vires, quas FRANCIA, quaſque Chamavus,
Germanique tremant, tum verus habebere limes.

Rhenum enim ijs verbis quaſi adhortatur Auſonius, ut Moſellam libenter recipiat; idque quo promptius faciat, ejuſmodi ſvaſoriam, poetico quodam more, confingit; Rhenum nimirum tanti auctum fluminis acceſſione, vere tum fore Romani imperij inſuperabile propugnaculum adverſus Francos, Chamavos omneſque Germanos, qui Rheni occidui & inferioris dextram ripam, Romanis è regione oppoſitam, accolerent. Quin & alio ejuſdem Auſonij loco intelligi idem conceditur, ubi nimirum Edyllio VIII ità canit:

Iane veni novus anne veni, renovate veni Sol.
Hoſtibus edomitis, qua Francia mixta Suevis,
Certat ad obſequium, Latijs ut militet armis.

Vult enim totum Rhenum & præcipue eum Rheni tractum, Romano limiti obiectum, deſignare, quem Franci aduſq; Moſellæ ripā & ultra etiam Svevis jam mixti & proximi aut etiam fæderati occupabāt. Svevos autem eo etiam uſque antiquitus pertigiſſe ex Cæſare ſuperius demonſtratum eſt. Verſus verò qui eodem Auſonij loco continue ſequuntur, iſte ſcilicet;

Qua vaga Sauromates ſibi junxerat agmina Chunis,
Quaque Getis ſocijs Hiſtrum aſſultabat Alanus.

demonſtraretur, fruſtranea nec ſufficientia eſſe, quæ adduci in reliquum poſſent. Itaque nec falſam theſin refugit adjicere, id eſt *Batavos* pro *Friſiis* apud Tacitum interpretari, ut quod peteret, vel eo pacto obtineret. Quin & hoc ſingulare habet Beati ſententia, Francos, relicto Oceano, non tantum ad Rhenum in loca Tencterorum, juxta Chamavos, veteres illas Sicambrorum ſedes; ſed ad Mænum etiam Salamque amnes, Chattorum locis pro parte occupatis, commigraſſe; Idque ſub Conſtantio præcipue contigiſſe. Argumenta interim, quibus id ipſum corroboret, nulla adducit, niſi quod ijs locis propiores promptioreſque crediderit ad vexandas incurſionibus quotidianis Gallias; tum quia & Salam fluviū è Thuringis in Albim; & aliū inſuper Salæ ſimiliter nomine in Mænū labi meminerat, ut inde ſcilicet Franci illi Salij nūcupati fuerint, quos Ammianus nominat. At ego euſque pertigiſſe id ævi Francos minimè concedo, idque ob gentem Svevorum atque Alemanorum, qui tunc cis ultraque Mænum agebant, & quidquid eſt intra Danubium Rhenumque ſuperiorem, armis adverſum Romanos tutantes, haud minus quàm ipſi Franci circa Rhenum inferiorem, eiſdem Romanis plurimum faceſſebant negotij. Deinde & Auſonius Burdigalenſis, qui ſub Theodoſio & Gratiano Auguſtorum præceptor claruit, FRANCIAM adhuc, in adverſa ſcilicet Galliæ ripa, infra Moſellam collocat, quem Rhenum ingredi circa Confluentes, omnibus conſtat. Ait autem:

Acce-

Accedent vires, quas FRANCIA, quaſque Chamavus,
Germanique tremant, tum verus habebere limes.

Rhenum enim ijs verbis quaſi adhortatur Auſonius, ut Moſellam libenter recipiat; idque quo promptius faciat, ejuſmodi ſvaſoriam, poetico quodam more, confingit; Rhenum nimirum tanti auctum fluminis acceſſione, vere tum fore Romani imperij inſuperabile propugnaculum adverſus Francos, Chamavos omneſque Germanos, qui Rheni occidui & inferioris dextram ripam, Romanis è regione oppoſitam, accolerent. Quin & alio ejuſdem Auſonij loco intelligi idem conceditur, ubi nimirum Edyllio VIII ità canit:

Iane veni novus anne veni, renovate veni Sol.
Hoſtibus edomitis, qua Francia mixta Suêvis,
Certat ad obſequium, Latijs ut militet armis.

Vult enim totum Rhenum & præcipue eum Rheni tractum, Romano limiti obiectum, deſignare, quem Franci adusq; Moſellæ ripā & ultra etiam Svevis jam mixti & proximi aut etiam fæderati occupabāt. Svevos autem eo etiam uſque antiquitus pertigiſſe ex Cæſare ſuperius demonſtratum eſt. Verſus verò qui eodem Auſonij loco continue ſequuntur, iſte ſcilicet;

Qua vaga Sauromates ſibi junxerat agmina Chunis,
Quaque Getis ſocijs Hiſtrum aſſultabat Alanus.

Eas maximegentes indicat, quæ Danubium & ea præſidia verſus Vindelicos & Noricos infeſtabant. De Salijs deinde, quod additur, Francos ſcilicet Salios à Salis nimirum fluminibus,quæ Mænum & Albim influunt, fortaſſe repetendos, alibi dicendi opportunior locus erit. quamvis & ante nonnihil indicatum ſit, nec illi ſolo aut tractui, quem nos Frācis aſſignavim⁹, Salæ & Saliorum deeſſe vocabula. Nec denique magnopere video, quomodo ad vexandas Gallias incurſionibuſq; infeſtandas, iſtis in locis accommodatior fuiſſe Francis procinctus potuerit, niſi Alemanis ea loca tenentibus auxiliares fortaſſe veniſſe Francos dicamus. Nam alias quam ſeverè ſuum quiſque tueretur territorium patet ex Ammiano, qui Alemanorum regulum à Melobaude Franciæ rege trucidatum ob id refert. Macrianus enim Alemanorum Rex, ubi ad Rheni ripam, prope Magunciam, pacem cum Valentiniano feciſſet, à Francis poſtea interceptus & occiſus eſt; quia Franciæ, quæ tum, uti ex ſuperioribus patuit, tranſrhenana ſolummodo fuit, vaſtare tētaſſet limites. Ait enim Ammianus: *Perijt autem* Lib.30. (Macrianus) *in* FRANCIA *poſtea; quam dum internecive vaſtando perrumpit avidius, oppetijt Melobaudis bellicoſi regis inſidijs circumventus.* Verum, præter hoc, refellit Rhenanum, quod non circa Magunciam, aut Rheni ſuperiorem limitem, ſicuti Alemani & Burgundiones, ſed ad limitem Rheni inferiorem, tranſitum in Gallias, ut plurimum, moliti ſint, & invenerint quoque Franci; & tum præſertim, cum ultimo inſultu magniſque animis, Romanis ad Galliæ interiora in univerſum fugatis, ſibi & ſedem pedemque ità fixerint,

rint, ut repelli exinde è Gallijs nunquam potuerint, ut ſuo mox loco memorabitur.

Verum, præter alios, veri omnes limites exceſſiſſe videri poteſt VOLFGANGVS LAZIVS, qui ſtudio in Patriam ductus, quidquid in gente Germanica laudabile id pæne univerſum è Pannonijs arceſſere modis omnibus ſatagit. Quocirca etiam Francos, per multiplices nominum anfractus ac metamorphoſes, modo Cimmerios, modò Cimbros, modo Brencos Sicambroſque facit; eoſque per Pannonias è Boſphoro quondam egreſſos, latè per Europam ſe fudiſſe, Beroſo præeunte fabulatur: adeo ut tandem non vereatur tradere Francici nominis originem à *Fracis* illis ortam, quæ poſt diluvium Noæ filijs apparuerunt, utpote diviſiones terrarum, intercurrente mari mediterraneo. Quarum *Fracarum*, quæ ad dextram in Europa diſtincta fuit, *Fracos* illos Hebræis dedit, uti altera ad ſiniſtram *Africos*, *a* litera accedente diſcriminis gratia. Sed ipſa Lazij verba apponam, ſi quis forte & ea deſideret: *Cimmerios, quorum propagines per Europam late quondam diffuſas, alioſque Cimbros, Sicambros alios, Francoſque appellatos, in confeſſo eſt, in Pannonias tranſgreſſos, videlicet, cum ſedibus ad Boſphorum Cimmerium à Gothis fuiſſent exuti, non ſolum ex lib. 4. Herodoti elicitur: ſed perſcripſit hanc, ad plenum, quod aiunt, hiſtoriam, Beroſus Chaldæus: qui duce Meraduco id contigiſſe, anno à creato mundo 3520 advertit.* Et ſtatim his addit: *Illud autem ſilentio involvendum non erit, antiquitatem gentis Francicæ eſſe qui petant à Fracis illis, quæ poſt diluvium filijs Noa in tellure apparuerunt, hoc eſt, diviſiones illæ terrarum intercurrente mediterraneo mari. Quarum quæ ad dextram in Europa diſtincta fuit, Fracos illos*

Volfgãgus Lazius.

Lib. 3. de Gent. Migrãt.

Hebræis dedit, ut altera ad ſiniſtram Africo s a litera accedente, diſcriminis cauſa. Antequam igitur adhuc à Fracis illis Franci cognominati fuiſſent, Cimmerij incolæ hi omnes prope nominabantur; qui itinere terreſtri, non claßibus, per Thracias & Moeſiam, in Pannoniam commigravere. Et cum hanc eandem provinciam reliquißent, multis poſtea ſeculis reverſi, ſed mutato nomine, Cimbri iterum repetivere. Qua iterũ pulſi, diris Apollinis tentati, in Noricum ad Pyrenæum montem penetravere: poſitiſq; in Alpibus Celticis ſedibus, cum latrocinijs inſveſcerẽt, Romana in ſe arma cõcitavere. Sed victores, Aureliũ Scaurum, Manlium Cæpionẽ, & Carbonẽ Papyrium, contra ſe cũ legionibus miſſos fuderũt. Quo ex tẽpore aucti & animo & numero, Ambronibus & Teutonibus in commilitium adſcitis, aperto Italiam marte invadere auſi ſunt: ſed victi ad Atheſim à Mario & Luctatio Catulo, maiore parte exercitus deleta, qui cladi ſuperfuerẽ per Noricũ hinc inde Pannoniaſq; diſperſi, deperdito iam una cũ viribus nomine, Briones quidẽ in alpibus, in Pannonia verò cãpeſtribus Βέγχοι nominati ſunt: Quibus Sicambri cõgentiles à Rheno & Gallijs pulſi procul à Caio Iulio Cæſare, acceſſere: poſteaquã in Romanorũ veniſſet Illyricũ poteſtatẽ, ſub Cæſarum uſque tributo vixere: cõditaq; Sicãbria civitate ad iſtrũ, ſub ſignis Romanis meruere: primũ quidẽ in cohortẽ admiſsi (qua Cor. Tacitus Tiberiũ Cæſarẽ in Thracia fuiſſe uſum libro 4. ſcribit) poſtremo integrã ex his legionẽ conflatã, inclinante iam pæne imperio, Romani Auguſti aluere. De qua & inſcriptio Budæ reperta, &c. Hactenus Lazius; falſa veris & vera falſis commiſcens. Quæ aliaq; talia vel recitaſſe, confutaſſe ſit; præſertim cũ jam ante etiã ſic ſatis inter alia, illud de *Brencis* commentũ ex Strabone & Horatio detexerimus; Et illam præterea de *Sicambria* & *Sicambrorum civitate* ac *legione* inſcriptionẽ, cuius quoq; ſit mentio, confictam

&

& nugigerulã eſſe certis argumentis probaverimus. Suas itaq; res ſibi habeat Lazius. Ab eo proximus eſto FRANCISCVS IRENICVS, qui multa quoq. & cumulata, quæ Francos ſpectēt, Germaniæ ſuæ Exegeſi, ſed abſq. delectu, interſeruit. Ejus notæ, præter alia, eſt, quod exſtat Cap. 34. Lib. 6. ubi inquit: *Francos Germanos palã omnes ſcriptores fuiſſe teſtantur & imprimis Procopius, qui Francos non alio nomine quã Germanos nominavit. Conſederunt antẽ primitus ad Rhenũ fluvium, ubi Hollandiam, Zelandiam ac Brabantiã in ditione ſua tenuerunt.* At Hollandiã, Zelandiamq. & Brabantiã quomodo Franci tenuiſſe dicentur, cũ intra Rhenũ, intraq. Imperij terminũ, illæ ſingulæ fuerint? Inruptionẽ vero & impetũ in illas oras, haud ſemel eoſdẽ vertiſſe, ſed à præſidiario Romani limitis milite repulſos, iterumq. ac tandem regreſſos cũ reliquâ Galliâ ſui juris ſub extremũ eaſdẽ feciſſe, non niſi diſtinctis temporũ intervallis, hoc eſt, ruente & fracta jam imperij potentia, concedi poteſt. Interim Irenicus, ſi nõ alio, ſaltem hoc nomine, laudẽ mereatur, quod à popularibus ſuis ſeorſum ſentiens, non circa Rhenum ſuperiorem, ſed inferiorem, gentis originẽ ac primas ſedes, ſecutus Procopium, veſtigare haud præter rem viſus fuerit. *Franciſcus Irenicus.*

Habetur & nuperrimè à quibuſdã (quos inter ADRIANVS SCRIECKIVS RODORNVS, amicitiæ jure jã pridem nobis devinctus, qui ingenti labore Origines reſque Celticas, inſpectis undique Græcis Latiniſque Commentariis, idiomate vernaculo, ſuperiore anno Ypris Flandrorum evulgavit) excogitata opinio; Francos ſcilicet, haud propriam, ſed promiſcuam Germanorum gentem ac populum eſſe, qui, excuſſo *Adrianus Scrieckius Rodornus.* Lib. 13. Orig. Celt.

quod ſcilicet apud Pliniũ lib. 4. cap. 17. Natur. hiſt. occurrant *Nervij liberi*, *Leuci liberi*, *Treveri liberi*; quia illæ gentes, ut & Batavi, intra Galliam & imperij limitem conſiſtentes, Germanicæ eſſent originis, nec tamen, ut reliqui Gallorum, tributis aut ſimilibus collationibus obnoxij, ſui ſcilicet juris & priſtinæ libertatis compotes: Quod de Francis, aſpectu reliquorum Germanorum, puta Alemanorum, Saxonum aliorumque, nequaquam dici aut intelligi potuit, cum æque omnibus ac ſingulis ſua libertas conſtaret. adeo ut nec *Francus*, quod ad vocis vim aut etymon, magis quam *Saxo*, aut *Alemanus*, *liberum* denotet, quomodo & infra, ubi de voce * dicetur, fiet manifeſtius. *Lib. 3. Cap. 1.

Nam quod idem Rodornus ijſdem in * Originibus alibi Ammiani Marcellini verba, quibus dicitur lib. 17. *Iulianus petiviſſe primos omnium Francos, eos videlicet, quos conſuetudo Salios appellat*, ita accipiat, quaſi ij Francorum primi & veluti aborigines in ſolo Taxandriæ, nunc Brabantiæ dictæ, habendi ſint, erroneum ſimiliter eſt, cum illis verbis ordo tantum expeditionum indicetur: Conſtituerat enim Iulianus ea æſtate, præter Alemanos, etiam alias gentes impetere ac finibus Galliæ exturbare, quod dum agit, Salios Francos, qui in ſolo Romano circa Toxandriam hærebant, omniũ primos aggreſſus invaſit. *Lib. 17. & 18.

At inſtat hic & urget nos Screickius, negans in eum ſenſum eſſe accipiendum Ammianum, quod cum Alemanis inducias jam pepigiſſet Iulianus. Verùm cõtrarium ut certò demonſtretur, advocanda ſunt paulo prolixius Ammiani * ipſius verba, quæ ita habent: *At Cæſar (Iulianus) hyemem apud Pariſios agens, Alemanos* Lib. 18. Pag 429. *Lib. 17.

prave-

prævenire ſtudio maturebat ingenti, nondum in unum coactos, ſed in inſaniam poſt Argentoratum audaces omnes & ſævos: opperienſque Iulium menſem, unde ſumunt Gallicani precinctus exordia, diutius angebatur. Nec enim egredi poterat, antequam ex Aquitania æſtatis remiſſione ſolutis frigoribus & pruinis veheretur annona. Sed ut eſt difficultatum penè omnium diligens ratio victrix, multa mente verſans & varia, id tantum reperit ſolum, ut anni maturitate non expectata, barbaris occurreret inſperatus; firmatoque conſilio XX *dierum frumentum, ex eo quod erat in ſedibus conſumendum, ad uſus diuturnitatem excoctum, buccellatum ut vulgo appellant humeris impoſuit libentium militum: hocque ſubſidio fretus, ſecundis ut ante auſpicijs profectus eſt, intra menſem quintum vel ſextum duas expeditiones conſummari poſſe urgentes & neceſſarias arbitratus.* Hucuſque Ammianus; quibus continuo deinde ſubnectit illa ſuperius nobis citata verba de *Francis Salijs*, hunc in modũ: *Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos conſvetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam locum, habitacula ſibi figere prælicenter*, &c. Atque hos dedentes ſe cum opibus liberiſque ubi ſuſcepiſſe Cæſarem memoraverat, addit porro de expeditione altera, quâ *Chamavos ſimilia auſos* adortus eſt; ac tertio denique loco, quomodo in Alemanorum terras trans Rhenum, navali ponte contexto, progreſſus fuerit, ibique Suomanum & Hortarium reges Alamanorum compeſcuerit. Quibus omnibus eiuſmodi tandem epiphonema adjicit, quaſi jam devicti in totum Alemani Romanorum ſe jugo ſubmiſiſſent; cum halcedonia tantum illa & in breve leves induciæ fuerint. Sed ipſa verba apponam: *Reges illi* (Alemanorum) *tumentes quon-*

quondam immaniter, rapiniſque aiteſcere adſveti noſtrorum, Romanæ potentiæ jugo ſubdere colla iam domita, & velut inter tributarios nati & educati, obſecundabant imperio ingravatè. Vnde manifeſto jam ſatis liquere poteſt, ordinē tantū, ut indicavimus, expeditionū innuere voluiſſe hiſtoriographū, & *Francos Salios omnium primos*, id eſt, ante *Chamavos* & *Alemanos* invaſos, ut jam demonſtratum eſt. Atque hæc hactenus.

Ne itaque curioſius fortaſſe quam par eſt, quæſiviſſe controverſias videar, ſignabo hoc Caput, ſi unū addidero, HADRIANVM videlicet IVNIVM veritati inter omnes quam proxime ſtatuiſſe, Francos illos veteres haud alios fuiſſe, quam quos Cæſar & Tacitus Sicambrorum Germanorumque vocabulo nominarunt: ſi præſertim illos Germanos illamq. Germaniam accipiamus, quæ, Rheno duntaxat intermedio, Bataviæ & Cliviæ ex adverſo pæne contigua eſt: quam & Tacitus innuerit ſecundo annalium, ubi inquit: *Rhenus uno alveo continuus, aut modicas inſulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur, ſervatque nomen & violentiam curſus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior affluens, verſo cognomento Vahalim accolæ dicunt.* Hanc Germaniam idem Iunius ad diſcrimen reliquæ, (quod tacet Iuniomaſtix ille nuper, hanc ſolam fuiſſe Iunio Germaniam ſiniſtrè prodens) Tertiam dicit. Nos Tacitū ſecuti occiduam potius nuncupandā ſuperius cōmonſtravimus: ubi & pluria ad hanc rē pertinentia nō otioſe cumulavimus. Certo itaq. cōiectura cēſuit Iuni' hos Cæſaris Tacitiq. Germanos, adoptato poſtea auſpicabili Francorū vocabulo, inſediſſe quaqua nūc

Hadrianus Junius.

curatore liquet planiſſime, cuius è ſecundo libro verba adſcribam: Rhenus uno alveo continuus, aut modicas inſulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur, ſervatque nomen & violentiam curſus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano miſceatur &c. *Quibus in verbis nec vivam, ſi quid obſcuritatis aut ambiguitatis ſedere videã, quod ſententiæ noſtræ refragari aut aliquo modo eam infringere poſſit, niſi ſi quis in ſcirpo nodum quærat, aut data opera publicæ cauſæ prævaricatorem agere præſumat, aut velut Atlantico in ſpecu poſitus, ſolis ſe jubar oculis inimicum ferre non poſſe cauſetur.* Ac deinde poſt multa addit concluditque: *Certa itaque coniectura auguror Francos inſediſſe, quaqua nunc auditur Tranſiſalanum nomen, quicquid terrarum Tencteri, Tubantes, Chauci, Bructeri, quos nunc Zutphanos, Drentenos, Tuentenos, Embdanos, Bremenſes, Oſnabrugenſes, Monaſterienſes nominamus cum Bhenthemo Linganoque Comitatibus, ad Oceanum uſque Cimbricum poſſederunt. Saxones vero conterminos habuiſſe declarant Ammiani verba ex viceſimo ſeptimo libro: Vbi Gallicanos tractus inquit, Francos, & Saxones iiſdem confines, quo quiſque potuit terra vel mari, prædis acerbis incendiiſque & captivorum funeribus violaſſe,* &c. Hucuſque ille. Quam & nos ſententiam, quantum potuit, ſequuti, hoc inſuper diximus, Rheno præſertim contiguos egiſſe antiquitus, inque Sicambrorum non tantum Rhenenſium, ſed & maritimorum ſedes quàm proximè ſucceſſiſſe; ideoque & Sicambros à Claudiano, Sidonio aliiſque authoribus claſſicis ſæpiſſime pro Frãcis nominatos. Quod tamen Iunius improprie, & lato quidem modo, ab iiſdem factum vult; nec attigiſſe mare Sicambros retur, licet hoc quoque à poetis pro- Ibid. pag. 92.

proditum non diffiteatur. Ita enim porro ait: Sicambros *quidem pro* Franciſ *uſurpat Sidonius Apollinaris, ut & pro iiſdem* Chaucos *accepit Claudianus*, & *ante eum Lucanus, non tantum quia contermini & ſimili ſolo utentes, unde & paludoſi à Propertio dicuntur, ſed quod gentiles ac ὁμοεθνεῖς fuerint: quò ſpectat quod etiam attigiſſe mare Sicambri legantur, id quod falſum eſt, niſi cum Francis poeticæ libertatis lege confunderentur, qui uno totius gentis nomine Germani coniunctim erant.* Hactenus iterum Iunius. Sed fugit eum, quod nos jam ante pluribus * firmavimus, non Rheni modò, ſed Oceani etiam accolas *Sicambros* conſtituere nõ tantum poetas, ſed fidei quoque præclarum geographum Strabonem; ut nihil ſit certius, quam Claudianum non tam poeticæ libertatis lege, quàm hiſtorica & chorographica fide, *maritimos Francos* ſub nomine *Sicambrorum* iſtis verſibus, quos & ſupra citavimus adumbrare voluiſſe:

* ſupra pag. 46. 48.

Lib. 7. Geog.

Germania tota feratur
Navibus, & ſocia comitentur claſſe Sicambri.

Bilibaldus Pirckeimerus. Comes Nievenarius.

Quod ipſum & PIRCKEIMERVS BILIBALDVS, & *Comes* NIEVENARIVS ſi animadvertiſſent, haud multum ſanè à ſcopo aberraviſſent. Vterque enim Sicambros, circa Bructeros, Rheno propinquos ſtatuit: uterque etiam ab illis originem fluxiſſe Francis aſſerit, tantum quod iſtos maritimos neuter agnoverit. Sicuti in eo quoq; hallucinatus Pirckeimerus præſertim, quod è Franconia, quam hodie dicimus, Galliam exinde à Francis invaſam crediderit; cum è contrario, Galliæ nõ minima parte occupata, Franconiæ demũ nomẽ cõdiderint Franci: ut & ante nobis, ſed obiter, indicatũ ſuo aliquando loco reddetur plenius prolixiuſq;.

CAP.

CAP. VIII.

FRANCORVM IN ANSVARIOS & Salios facta diſtributio. deque ſingulis ordine dictum, additumque nonnihil de Ripuarijs *item* Francis. *Vbi & obiter de* urbium Hanſaticarum *origine aliquid.*

ABundè, ut arbitror, relatæ nobis confutatæque ſunt variæ variorum de primis Francorũ ſedibus opiniones. Nũc quod res & ordo poſtulet, de populis deque tribubus, in quas fuiſſe antiquitus diſtinctos colligimus, quam poteſt breviſſime pertractemus. Ammianus Marcellinus, qui inter domeſticos olim Conſtantij Cæſaris protectores (eſt apud eundem Ammianum formularis & dignitatis vox) haud inhonorus vixit; quiq. exinde ſub Valentiniano & Valente miles, ut ipſemet refert, & Græcus res Romanorum à principatu Cæſaris Nervæ exorſus adusq. Valentis interitũ Latinis literis tradidit, duum feciſſe generũ videtur, cum & *Anſuariorum & Saliorum Francorum* primus, quod ſciam, meminerit. *Anſuarios* enim itàdeſcripſit libro 20. *Rheno deinde tranſmiſſo, regionẽ ſubito pervaſit Francorum, quos Anſuarios vocant, incertorum hominum, licentius etiam perſcrutantium extima Galliarum. Quos adortos ſubito nihil metuentes hoſtile, nimiumque ſecuros, quod ſcrupoſa omnium difficultate arcente, nullum ad ſuos pagos introiſſe meminerant principum, ſuperavit negotio levi, captiſque plurimis & occiſis, orantibus alijs, qui ſuperfuere, pacem ex*

arbitrio dedit, hoc prodeſſe poſſeſſoribus finitimis arbitratus. Quæ omnia de *Anſivarijs*, à Iuliano Cæſare impetitis, intelligenda, ſicuti & iſta de *Salijs*, ab eodem Iuliano infeſtatis, lib. 16: *Quibus paratis petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos conſuetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam locum habitacula ſibi figere prælicenter.* Sed de Anſuarijs primum dicam:

Anſuarij Franci. Quorum etiam Taciti ætate videtur celebratum vocabulum. Non quod Tacitum Francos noviſſe aut nominaſſe putandum, ſed quod Anſivarij etiam tum vagum hominum genus, & abſque ſedibus certis collectitius ac Martius populus fuerit, qui ſe Francis exinde, potentia ac gloria nominiſque fama paulatim invaleſcentibus, conſociaverit. Quod dico patebit ex verbis Taciti XIII Annalium, ubi in hunc modum loquitur: *Friſios decedere agris* (limitaneis) *iuſſit* (Nero.) *Atque illis aſpernantibus, auxiliaris eques repente immiſſus, neceſſitatem attulit, captis cæſiſve, qui pervicacius reſtiterant: eoſdem agros Anſivarij occupavere validior gens, non modo ſua copia, ſed adiacentium populorum miſeratione: qui pulſi à Chaucis & ſedis inopes, tutum exilium orabant.* Quibus ex Taciti verbis poſterioribus non tam origo horum eluceſcit Anſivariorum, quam, quod innui, fuiſſe gentem militaribus rebus ſerio operatam: Nam quod â Chaucis pulſos aiat, indicio eſt non quidem inde ortos, ſed laris incerti, & ſedis inopes, ſuſque deque habuiſſe, cui ſe genti iungerent, modò votis adſpiraret aleæ iactus. Adeo ut veriſimile ſit, ex quo Sicambrorum illæ, de quibus ſuperius egimus, reliquiæ ceterique eiuſdem Germaniæ aduſque Oceanum Borealem populi, antiqua ſua prioraque nomina honorifico Franci-

cici nominis titulo commutaſſent; Anſuarios hoſce, utpote homines bellicoſos, eiſdem quoque Francis, ad aſſerendam tutandamque adverſus quoſvis avitam libertatem, libentibus animis aſſociatos. Atque ità in belli fortunæque ſocietatem adſcitos, vocabulum nihilominus prius, celebratum tunc temporis atque auſpicabile, ità retinuiſſe ut junctum cum Francis, *Anſiuarios Francos* effecerit. Nam certe illuſtre clarumque, inter cetera, fuiſſe Anſiuariorum ipſum nomen, non modò tum, cum innoteſcere inciperent Franci; ſed & ante, argumento fuere illa Taciti recitata jam verba, qui Friſijs validiorem gentem agnoſcit. Nec omittendum, hoc præſertim loco, quod adjicit ibidem Tacitus de duce eorundem Anſivariorum Boiocalo; quique apud Romanos olim ſtipendia meruerat: Eum nimirum apud Avitum, Romanorum in ripa Rheni tum Belgicæ præſidem, pro Anſivarijs intercedentem, cum difficilem admodum, reluctantemque ac moroſum in agris concedendis animadvertiſſet ipſum Avitum; *Solem ac ſidera quaſi coram interrogaſſe, vellent ne contueri inane ſolum? potius mare ſuffunderent adverſus Romanos terrarum ereptores:* Avitum vero commotũ reſpondiſſe in genere, *paterentur* (Anſibarij nimirum) *meliorum imperia: Id Dijs, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent*: Boiocalo autem ipſi (quem corrumpere conabatur) ſeorſim promiſiſſe eundem Avitum agros addit exinde Tacitus, ob amicitiæ memoriam: verum Boiocalum, ut proditionis pretium, aſpernatum, magno fortique animo eiuſmodi reſpõſum dediſſe: *Deeſſe nobis terra, in qua vivimus, poteſt; in* Annal. 13.

qua

nuebamus) inter *Auxilia Palatina* Libro enim 2, ubi de Occidentis Imperio agitur, auxiliorumque ennumeratio inſtituitur, quinque & ſexaginta in univerſum ea computantur, & *Ampſivarij*, ſtatim poſt *Petulantes* & *Salios*, *Batavis* & *Bructeris* hunc in modum conjunguntur: BATAVI *iuniores*. BRVCTERI. AMPSIVARII. VVolfgangus Lazius non *Anſibarios* aut *Anſuarios*, ut Tacitus, Ammianus & Alexander Sulpitius Imperijque Notitia, ſed *Anſiburios* nominat; quò ſcil. Svevos faciat, qui hodie appellātur **die Entzbauren** / *Enzam* fluvium, à Pfortzhaimo VVirtenbergam ſecantem, inde Neccarum ingrediētem, accolentes. At errare Lazium, præter nominis rationem, quam ad ſuum ſenſum violēter detorquet, etiam hoc doceat, quod Avitus Belgicæ & inferioris exercitus præſes à parte Germaniæ occiduæ, ubi Tencteri, Bructeri Chamaviq. colunt, Anſibarios adverſarios habuerit; quodque Curtilium Manciam, ſuperioris exercitus legatum; monuerit, ut Rheno tranſmiſſo, ac Tencteros verſus deſcendendo, eoſdem à tergo premeret infeſtaretque. Ita enim loquitur 13 Annal. *Avitus ſcripto ad Curtilium Manciam, ſuperioris exercitus Legatum, ut Rhenum tranſgreſſus, arma à tergo oſtēderet, ipſe legiones in agrum Tencterum induxit, excidium minitans, niſi cauſam ſuam diſſociarent. Igitur abſiſtentibus his, pari metu exterritis Bructeris, & ceteris quoque aliena pericula deſerentibus, ſola Anſibariorum gens retro ad Vſipios & Tubantes cōceſſit.* Et ut intelligatur haud ad Svevos inde, meridiē & ortū verſus, conceſſiſſe, additur continuo: *Quorum terris exacti, cum Chattos dein Cheruſcos petiſſent, errore longo, hoſpites, egeni, hoſtes, in alieno, quod iuventutis erat, cæduntur.*

Quæ autem gentis origo proprie exſtiterit, cum veterum memoriæ hic ſileant, certi aliquid velle concludere ancipitis aleæ fuerit. Si quid tamen conandum ex etymo id vocis debere elici, perſvaſum habeam. Nã *Anſuarios* adiecta adſpirata, quam omittunt ſuo more Græci Latinique, quaſi *Hanſuarios* dictos exiſtimem ex Theuthonum Gothorumq; idiomate, qui *Hanſos* eos intelligebant, qui ceteros mortales fortuna atque opibus antecellerẽt, utpote heroes ac ſemidei humanæq; ſortis terminos egreſſi. Tales erant in Gente Gothica nobilitatis ac dignitatis primariæ homines, quos occaſione certa hoc nominis ſortitos refert Iornandes ex conflictu, quo Romanos ſuperarant. Ait enim lib. 17. de rebus Geticis: *Tum Gothi haud ſegnes reperti, arma capeſſunt, primoque armati conflictu, mox Romanos devincũt, Fuſcoque duce extincto, divitias de caſtris militum deſpoliant, magnaque potiti victoria, iam proceres ſuos quaſi qui fortunam vincebant, non puros homines ſed* ſemideos, *id eſt*, hanſes *vocavere*. Nec hodieque in lingua noſtrati vernacula in totum id vocabuli abolitum. *Anſos* enim ſive *Hanſos*, etiamnum intelligimus proceres communi ſorte maiores. Nomina quoque illa noſtratium appellativa, Hans & *Anſhelmus*, *Anſbrechtus*, *Anſfridus*, *Anſwaldus* aliaque ſimilia ſuam hinc accepiſſe originem credibile iudico: Sicuti & *Hanſam Theutonicam* urbeſque *Hanſiticas*, quaſi fœdere ac ſacramento Anſivariorum nexas ſociataſque. Nam qui hactenus *Anſiticas* ab *Anzee dictas* putavere, quod oceano eſſent appoſitę, redarguuntur cum ex ſitu ipſarum *Hanſiticarũ* urbiũ, quarũ perpaucæ mari ſunt adſitæ: tum nec patitur eiuſmodi flexionem vocabuli indoles. Hanſen enim Verhanſe &

Hanſi.

ſten & Hanſe-ſtadt, addita perpetuo adſpirata, ſolent pronunciare Germani. Græci verò Latinique emollientes vocis ſonum emittunt, ut dixi, adſpirationis literam *h.* utpote quam nec in literis, Græci præſertim, agnoſcunt. Non excutiam hoc loco, quæ adfert pluribus, ſed frivolis conjecturis, Goropius Becanus ad oſtendendum Angrivarios eoſdem eſſe cum Anſivariis; nec etiam, quod comminiſcitur etymon omni nive frigidius, quaſi videlicet ſocietatem Anſe ſignificet, ab anſie, voce Germanica, quod eſt *reſpicio*. Verba tamē ejus non pigebit adjicere vel fidei ergo: ita enim habēt Francicorū lib 2: *Angrivarij proximi Chaucis maioribus olim habitabāt inter Albim & Viſurgī Lōgobardis inferiores, uti Ptolomeum conſulēti liquebit; quo fit ut eoſdem eſſe credam Anſivarios & Angrivarios, & Tacitum diverſitate nominum deceptum diverſos populos putaviſſe.* Et deinde lib. 3: *Frequens fuit inter principes Francorum* Anſegiſi *nomen, qua ſocietatis obſes vernaculis noſtris notatur, quia* Anſe *ſocietatem ſignet, ab* an-ſie, *quod eſt* reſpicio, *vel,* rationem cuiuſpiam in re quapiam gerenda habeo; *unde civitates Germanicæ in mercatu confœderatæ* Anſe-ſteden, id eſt, ſociæ civitates *vocantur.* Gis *verò* vel Giſel obſes *nominatur.* Hactenus Goropius. Sed omiſſis talibus imaginoſis, hoc tantum coronidis vicem addam, ſatis ex allatis probatæ fidei authoribus colligi, fuiſſe initio Anſuarios cum origine inter ſuos, tum militiæ gloria viros primarios, ſed varie ac ſparſim in unā ſocietatē coalitos, ſedis ac laris incerti; ut minime hodieq; temerariū ſit, urbes omnes *Hanſaticas* longe lateq; inter ſe diſſitas jacere. Cum enim ſeptuaginta duæ recenſeantur quatuor ſunt tantum metropoliticæ: *Lubeca* *Vrbes Hāſatica.*

 nimirum,

nimirum, *Dantiſcum*, *Brunſvicum* & *Colonia Agrippina*: quarum *Lubeca* præſidet hodie Vandalicis; *Dantiſcum* Boruſſicis; *Brunſvicum* Saxonicis; Civitatibus denique Veſtphalicis *Colonia*: quæ & Iſalæ ac Salæ-landiis adſitas haud inter poſtremas eiſdem adnumerat, ut ſunt; *Daventria*, *Campi*, *Svolla*: Quibus & *Neomagum*, *Arenacum*, *Hardervicum* aliaſq; proxime confines, Gelriæ claras urbes, accenſeri ac hanſæ communitate ac iure jam olim uſas; & nunc, dum hæc ſcribimus, poſt quadrageſimale adverſus Hiſpanos bellum, quo durãte diſcidium aliquod ac diſtractio fuit, in eandem communionem felicibus auſpiciis ac omnium votis receptas comperio. Huc pertinet, quod apud Meierum occurrit, Rerum Flandricarum Hiſtoriographum, ad annum MCLXIIII; hiſce verbis: *Philippus Elſatius, Flandriæ Comes* XIX, *Zandorienſes*, *hoc eſt*, *Neoportenſes ab omni telonio ac hanſa* (*quam vocant*) *fecit liberos*.

Eſt & inſcriptio, quam indicabat, & arbitrandam nobis dabat Scriverius noſter, in qua *Anſuariorum* memoria & vocabulum exſtare videtur. Sed accuratius eandem introſpiciens dubitare non unâ de cauſa cœpi, an ad noſtros Anſiuarios pertineret. Nam primò Antonini ævo, cum jam inter Germaniæ gentes non ità diu innotuiſſent Anſibarij, publicata ea eſt & celebrata in urbe Romanâ: Deinde non *Anſibarij*, ut edit Tacitus; aut ut Ammianus & Alexander Sulpitius, *Anſuarij* ſeu *Amſivarij* vel, ut Æthicus, *Ampſivarij*, ſed ANSARII habent inſcriptionis apographa; ut opificũ potius aut propolarum certum aliquod collegium aut ſimilem ſocietatem, vel ſocietatis eiuſmodi atq; inſti-

torum vectigal, innui mihi perſvadeam. Inſcriptionem nihilominus ipſam, ut & alii eam examinent atque arbitrentur, adjiciendam hic cenſui. Ita autem habet:

Romæ in viridario Cæſiorum, in Carinis è via Salaria, adducta tabula marmorea.

IMP. CÆSAR. M. AVRELIVS. ANTONINVS. AVG.
GERMANICVS SARMAT. ET.
IMP. CÆSAR. L. AVRELIVS. COMMODVS. AVG.
GERMANICVS. SARMATIC.
HOS. LIMIDES. CONSTITVI. IVSSERVNT. PROPTER.
CONTROVERSIAS: QVÆ INTER. MERCATORES. ET.
* MANCIPES. ORTÆ ERANT. VTI. FINEM. DEMONSTRARENT. VECTIGALI. * FORICVLIARII.
ET. ANSARII. PROMERCALIVM. SECVNDVM
VETEREM LEGEM. SEMEL. DVNTAXAT * EXIGVNT.

* *Municipes* Cittadini ſchedæ.
* *al. Foderarii* *Ansarii* [illegible]
* *exigendum* Cittadin.

Ad lapidem deſcribebat Cittadinus & Gutenſtenius, e quorum hæc autographis Gruterus.

Apud authorem Tabulæ Itinerariæ, qui occurrunt VAPLVARII fortaſſe ſcripturæ vitio depravati, *Amſivarios* quiſpiam ſupicari queat, præſertim cum eos Chaucis jungat, ut patuit ſuperius pag. 102; ubi totum Tabulæ locum expreſſimus, hic non iterandum.

Nunc de *Saliis* attexendum: quos fuiſſe Francorum alterum genus, & apud Toxandriam, id eſt ultra Moſã, Scaldĩ verſus, ſedes fixiſſe, occupatis Romanorũ territoriis, ſed à Iuliano exinde ad propria repulſos retulimus jam modo ex Ammiano. Qui Ammiani locus præcipue hic nobis non expendendus ſolum, ſed & cõtendendus cum aliis venit, ut certo ac ſemel ſtatuatur, quo illi Salii locorum primitus conſederint, qui deni- *Salii Francī.*

proditum non diffiteatur. Ita enim porro ait: Sicambros *quidem pro* Francis *uſurpat Sidonius Apollinaris, ut & pro iiſdem* Chaucos *accepit Claudianus*, & *ante eum Lucanus, non tantum quia contermini & ſimili ſolo utentes, unde & pa*ludoſi *à Propertio dicuntur, ſed quod gentiles ac ὁμοεθνεῖς fuerint: quò ſpectat quod etiam attigiſſe mare Sicambri legantur, id quod falſum eſt, niſi cum Francis poeticæ libertatis lege confunderentur, qui uno totius gentis nomine Germani coniunctim erant.* Hactenus iterum Iunius. Sed fugit eum, quod nos jam ante pluribus* firmavimus, non Rheni modò, ſed Oceani etiam accolas *Sicambros* conſtituere nõ tantum poetas, ſed fidei quoque præclarum geographum Strabonem; ut nihil ſit certius, quam Claudianum non tam poeticæ libertatis lege, quàm hiſtorica & chorographica fide, *maritimos Francos* ſub nomine *Sicambrorum* iſtis verſibus, quos & ſupra citavimus adumbrare voluiſſe:

* ſupra pag. 46. 48.

Lib. 7. Geog.

Germania tota feratur
Navibus, & ſocia comitentur claſſe Sicambri.

Bilibaldus Pirckeimerus. Comes Nievenarius.

Quod ipſum & PIRCKEIMERVS BILIBALDVS, & *Comes* NIEVENARIVS ſi animadvertiſſent, haud multum ſanè à ſcopo aberraviſſent. Vterque enim Sicambros, circa Bructeros, Rheno propinquos ſtatuit: uterque etiam ab illis originem fluxiſſe Francis aſſerit, tantum quod iſtos maritimos neuter agnoverit. Sicuti in eo quoq; hallucinatus Pirckeimerus præſertim, quod è Franconia, quam hodie dicimus, Galliam exinde à Francis invaſam crediderit; cum è contrario, Galliæ nõ minima parte occupata, Franconiæ demũ nomẽ cõdiderint Franci: ut & ante nobis, ſed obiter, indicatũ ſuo aliquando loco reddetur plenius prolixiuſq;.

CAP.

CAP. VIII.

FRANCORVM IN ANSVARIOS & Salios facta diſtributio. deque ſingulis ordine dictum, additumque nonnihil de Ripuarijs *item* Francis. *Vbi & obiter de* urbium Hanſatica-rum *origine aliquid.*

ABundè, ut arbitror, relatæ nobis confutatæque ſunt variæ variorum de primis Francorũ ſedibus opiniones. Nũc quod res & ordo poſtulet, de populis deque tribubus, in quas fuiſſe antiquitus diſtinctos colligimus, quam poteſt breviſſime pertractemus. Ammianus Marcellinus, qui inter domeſticos olim Conſtantij Cæſaris protectores (eſt apud eundem Ammianum formularis & dignitatis vox) haud inhonorus vixit, quiq. exinde ſub Valentiniano & Valente miles, ut ipſemet refert, & Græcus res Romanorum à principatu Cæſaris Nervæ exorſus aduſq. Valentis interitũ Latinis literis tradidit, duum feciſſe generũ videtur, cum & *Anſuariorum* & *Saliorum Francorum* primus, quod ſciam, meminerit. *Anſuarios* enim ità deſcripſit libro 20. *Rheno deinde tranſmiſſo, regionẽ ſubito pervaſit Francorum, quos Anſuarios vocant, incertorum hominum, licentius etiam perſcrutantium extima Galliarum. Quos adortos ſubito nihil metuentes hoſtile, nimiumque ſecuros, quod ſcrupoſa omnium difficultate arcente, nullum ad ſuos pagos introiſſe meminerant principum, ſuperavit negotio levi, captiſque plurimis & occiſis, orantibus alijs, qui ſuperfuere, pacem ex*

 arbi-

arbitrio dedit, hoc prodeſſe poſſeſſoribus finitimis arbitratus. Quæ omnia de *Anſivarijs*, à Iuliano Cæſare impetitis, intelligenda, ſicuti & iſta de *Salijs*, ab eodem Iuliano infeſtatis, lib. 16: *Quibus paratis petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos conſuetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam locum habitacula ſibi figere prælicenter.* Sed de Anſuarijs primum dicam: Quorum etiam Taciti ætate videtur celebratum vocabulum. Non quod Tacitum Francos noviſſe aut nominaſſe putandum, ſed quod Anſivarij etiam tum vagum hominum genus, & abſque ſedibus certis collectitius ac Martius populus fuerit, qui ſe Francis exinde, potentia ac gloria nominiſque fama paulatim invaleſcentibus, conſociaverit. Quod dico patebit ex verbis Taciti XIII Annalium, ubi in hunc modum loquitur: *Friſios decedere agris* (limitaneis) *iuſſit* (Nero.) *Atque illis aſpernantibus, auxiliaris eques repente immiſſus, neceſſitatem attulit, captis cæſiſve, qui pervicacius reſtiterant: eoſdem agros Anſivarij occupavere validior gens, non modo ſua copia, ſed adiacentium populorum miſeratione: qui pulſi à Chaucis & ſedis inopes, tutum exilium orabant.* Quibus ex Taciti verbis poſterioribus non tam origo horum eluceſcit Anſivariorum, quam, quod innui, fuiſſe gentem militaribus rebus ſerio operatam: Nam quod â Chaucis pulſos aiat, indicio eſt non quidem inde ortos, ſed laris incerti, & ſedis inopes, ſuſque deque habuiſſe, cui ſe genti iungerent, modò votis adſpiraret aleæ iactus. Adeo ut veriſimile ſit, ex quo Sicambrorum illæ, de quibus ſuperius egimus, reliquiæ ceterique eiuſdem Germaniæ aduſque Oceanum Borealem populi, antiqua ſua prioraque nomina honorifico Franci-

Anſuarij Franci.

ci

cici nominis titulo commutaſſent; Anſuarios hoſce, utpote homines bellicoſos, eiſdem quoque Francis, ad aſſerendam tutandamque adverſus quoſvis avitam libertatem, libentibus animis aſſociatos. Atque ità in belli fortunæque ſocietatem adſcitos, vocabulum nihilominus prius, celebratum tunc temporis atque auſpicabile, ità retinuiſſe ut junctum cum Francis, *Anſiuarios Francos* effecerit. Nam certe illuſtre clarumque, inter cetera, fuiſſe Anſiuariorum ipſum nomen, non modò tum, cum innoteſcere inciperent Franci; ſed & ante, argumento fuere illa Taciti recitata jam verba, qui Friſijs validiorem gentem agnoſcit. Nec omittendum, hoc præſertim loco, quod adjicit ibidem Tacitus de duce eorundem Anſivariorum Boiocalo; quique apud Romanos olim ſtipendia meruerat: Eum nimirum apud Avitum, Romanorum in ripa Rheni tum Belgicæ præſidem, pro Anſivarijs intercedentem, cum difficilem admodum, reluctantemque ac moroſum in agris concedendis animadvertiſſet ipſum Avitum; *Solem ac ſidera quaſi coram interrogaſſe, vellent ne contueri inane ſolum? potius mare ſuffunderent adverſus Romanos terrarum ereptores*: Avitum vero commotũ reſpondiſſe in genere, *paterentur* (Anſibarij nimirum) *meliorum imperia: Id Dijs, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent*: Boiocalo autem ipſi (quem corrumpere conabatur) ſeorſim promiſiſſe eundem Avitum agros addit exinde Tacitus, ob amicitiæ memoriam: verum Boiocalum, ut proditionis pretium, aſpernatum, magno fortique animo eiuſmodi reſpõſum dediſſe: *Deeſſe nobis terra, in qua vivimus, poteſt; in* Annal. 13.

qua

nuebamus) inter *Auxilia Palatina* Libro enim 2, ubi de Occidentis Imperio agitur, auxiliorumque enumeratio inſtituitur, quinque & ſexaginta in univerſum ea computantur, & *Ampſivarij*, ſtatim poſt *Petulantes* & *Salios*, *Batavis* & *Bructeris* hunc in modum conjunguntur: BATAVI *iuniores*. BRVCTERI. AMPSIVARII. VVolfgangus Lazius non *Anſibarios* aut *Anſuarios*, ut Tacitus, Ammianus & Alexander Sulpitius Imperijque Notitia, ſed *Anſiburios* nominat; quò ſcil. Svevos faciat, qui hodie appellãtur **die Entzbauren** / *Enzam* fluvium, à Pfortzhaimo VVirtenbergam ſecantem, inde Neccarum ingrediẽtem, accolentes. At errare Lazium, præter nominis rationem, quam ad ſuum ſenſum violẽter detorquet, etiam hoc doceat, quod Avitus Belgicæ & inferioris exercitus præſes à parte Germaniæ occiduæ, ubi Tencteri, Bructeri Chamaviq. colunt, Anſibarios adverſarios habuerit; quodque Curtilium Manciam, ſuperioris exercitus legatum; monuerit, ut Rheno tranſmiſſo, ac Tencteros verſus deſcendendo, eoſdem à tergo premeret infeſtaretque. Ita enim loquitur 13 Annal. *Avitus ſcripto ad Curtilium Manciam, ſuperioris exercitus Legatum, ut Rhenum transgreſſus, arma à tergo oſtẽderet, ipſe legiones in agrum Tencterum induxit, excidium minitans, niſi cauſam ſuam diſſociarent. Igitur abſiſtentibus his, pari metu exterritis Bructeris, & ceteris quoque aliena pericula deſerentibus, ſola Anſibariorum gens retro ad Vſipios & Tubantes cõceſſit.* Et ut intelligatur haud ad Svevos inde, meridiẽ & ortũ verſus, conceſſiſſe, additur continuo: *Quorum terris exacti, cum Chattos dein Cheruſcos petiſſent, errore longo, hoſpites, egeni, hoſtes, in alieno, quod iuventutis erat, cæduntur.*

 Quæ

Quæ autem gentis origo proprie exſtiterit, cum veterum memoriæ hic ſileant, certi aliquid velle concludere ancipitis aleæ fuerit. Si quid tamen conandum ex etymo id vocis debere elici, perſvaſum habeam. Nã *Anſuarios* adiecta adſpirata, quam omittunt ſuo more Græci Latinique, quaſi *Hanſuarios* dictos exiſtimem ex Theuthonum Gothorumq; idiomate, qui *Hanſos* eos intelligebant, qui ceteros mortales fortuna atque opibus antecelleret, utpote heroes ac ſemidei humanæq; ſortis terminos egreſſi. Tales erant in Gente Gothica nobilitatis ac dignitatis primariæ homines, quos occaſione certa hoc nominis ſortitos refert Iornandes ex conflictu, quo Romanos ſuperarant. Ait enim lib. 17. de rebus Geticis: *Tum Gothi haud ſegnes reperti, arma capeſſunt, primoque armati conflictu, mox Romanos devincũt, Fuſcoque duce extincto, divitias de caſtris militum deſpoliant, magnaque potiti victoria, iam proceres ſuos quaſi qui fortunam vincebant, non puros homines ſed* ſemideos, *id eſt*, hanſes *vocavere.* Nec hodieque in lingua noſtrati vernacula in totum id vocabuli abolitum. *Anſos* enim ſive *Hanſos*, etiamnum intelligimus procerescommuni ſorte maiores. Nomina quoque illa noſtratium appellativa, Hans & *Anſhelmus*, *Anſbrechtus*, *Anſfridus*, *Anſwaldus* aliaque ſimilia ſuam hinc accepiſſe originem credibile iudico: Sicuti & *Hanſim Theutonicam* urbeſque *Hanſiticas*, quaſi fœdere ac ſacramento Anſivariorum nexas ſociataſque. Nam qui hactenus *Anſiticas* ab *Anzee dictas* putavere, quod oceano eſſent appoſitę, redarguuntur cum ex ſitu ipſarum *Hanſiticarũ* urbiũ, quarũ perpaucæ mari ſunt adſitæ: tum nec patitur eiuſmodi flexionem vocabuli indoles. Hanſen enim Verhan-

Hanſi.

ſten & Hanſe-ſtadt, addita perpetuo adſpirata, ſolent pronunciare Germani. Greci verò Latinique emollientes vocis ſonum emittunt, ut dixi, adſpirationis literam *h.* utpote quam nec in literis, Græci præſertim, agnoſcunt. Non excutiam hoc loco, quæ adfert pluribus, ſed frivolis conjecturis, Goropius Becanus ad oſtendendum Angrivarios eoſdem eſſe cum Anſivariis; nec etiam, quod comminiſcitur etymon omni nive frigidius, quaſi videlicet ſocietatem Anſe ſignificet, ab anſie, voce Germanica, quod eſt *reſpicio*. Verba tamē ejus non pigebit adjicere vel fidei ergo: ita enim habētFrancicorū lib 2: *Angrivarij proximi Chaucis maioribus olim habitabāt inter Albim & Viſurgī Lōgobardis inferiores, uti Ptolomeum conſulēti liquebit; quo fit ut eoſdem eſſe credam Anſivarios & Angrivarios, & Tacitum diverſitate nominum deceptum diverſos populos putaviſſe.* Et deinde lib. 3: *Frequens fuit inter principes Francorum* Anſegiſi *nomen, qua ſocietatis obſes vernaculis noſtris notatur, quia* Anſe ſocietatem *ſignet, ab* an-ſie, *quod eſt* reſpicio, *vel*, rationem cuiuſpiam in re quapiam gerenda habeo; *unde civitates Germanicæ in mercatu confœderatæ* Anſe-ſteden, id eſt, ſociæ civitates *vocantur.* Gis *verò* vel Giſel obſes *nominatur.* Hactenus Goropius. Sed omiſſis talibus imaginoſis, hoc tantum coronidis vicem addam, ſatis ex allatis probatæ fidei authoribus colligi, fuiſſe initio Anſuarios cum origine inter ſuos, tum militiæ gloria viros primarios, ſed varie ac ſparſim in unā ſocietatē coalitos, ſedis ac laris incerti; ut minime hodieq; temerariū ſit, urbes omnes *Hanſaticas* longe lateq; inter ſe diſſitas jacere. Cum enim ſeptuaginta duæ recenſeantur quatuor ſunt tantum metropoliticæ: *Lubeca* *Vrbes Hanſatica.*

 nimirum,

torum vectigal, innui mihi perſvadeam. Inſcriptionem nihilominus ipſam,ut& alii eam examinent atque arbitrentur, adjiciendam hic cenſui. Ita autem habet:

Romæ in viridario Cæſiorum, in Carinis è via Salaria, adducta tabula marmorea.

IMP. CÆSAR. M. AVRELIVS. ANTONINVS. AVG.
GERMANICVS SARMAT. ET.
IMP. CÆSAR. L. AVRELIVS. COMMODVS. AVG.
GERMANICVS. SARMATIC.
HOS. LIMIDES. CONSTITVI. IVSSERVNT. PROPTER.
CONTROVERSIAS: QVÆ INTER. MERCATORES. ET
*MAN.IPES. ORTÆ ERANT. VTI. FINEM. DE-
MONSTRARENT. VECTIGALI. *FORICVLIARII.
ET. ANSARII. PROMERCALIVM. SECVNDVM
VETEREM LEGEM. SEMEL. DVNTA-
XAT *EXIGVNT.

*Mancipes Cittadini ſchedæ. *al. Foderatoris & Anſo *exigendum Cittadin.

Ad lapidem deſcribebat Cittadinus & Gutenſtenius, e quorum hoc autographo Gruterus.

Apud authorem Tabulæ Itinerariæ, qui occurrunt VAPLVARII fortaſſe ſcripturæ vitio depravati, *Amſivarios* quiſpiam ſupicari queat, præſertim cum eos Chaucis jungat,ut patuit ſuperius pag. 102;ubi totum Tabulæ locum expreſſimus,hic non iterandum.

Nunc de *Saliis* attexendum: quos fuiſſe Francorum alterum genus,& apud Toxandriam,id eſt ultra Moſã, Scaldĩ verſus,ſedes fixiſſe,occupatis Romanorũ territoriis,ſed à Iuliano exinde ad propria repulſos retulimus jam modo ex Ammiano. Qui Ammiani locus præcipue hic nobis non expendendus ſolum,ſed &cõtendendus cum aliis venit,ut certo ac ſemel ſtatuatur, quo illi Salii locorum primitus conſederint,qui deni- *Salij Franci.*

que,& unde ſic appellati, in tantam nominis claritudinem, tantamque potentiam evaluerint. Beatus Rhenanus, quem ſequuti plerique Germanorum à Sala fluvio in Mœnum ſe exonerante nominatos credidit. Vnde & Vrſpergenſem magna confidentia reſcribere auſus eſt, qui refert Saxones, quum Carolum Magnum in Hiſpania abſentem & occupatum cognoviſſent, nec Rhenum tranſire potuiſſent, terminos Francorum ingreſſos & quidquid à Duitzo, Moſellam uſque, vicorum villarumque fuit, ferro & igni depopulatos. Hic inquam, pro *Moſella*, *Salam*, qui Mœnũ influit, reſcribendum Rhenanus imperat, quod Rhenum tranſire neceſſe habeat, quicunque ad Moſellam accedere velit: at Saxones, inquit, tranſire Rhenum nequierant. Verum non animadvertit diligentiſſimus alias Rhenanus, é Saxonum terris, Albi Lippiæque tunc vicinis, in veterum Francorum, etiam Caroli adhuc ævo, reſervatos prope Duitzium terminos viam armatis patuiſſe; cumque tranſitus per Rhenum negaretur, ad Rheni uſque Germanicam ripam, Moſellæ & confluentibus objectam, iniuriæ ac repulſæ ignominiam ultos. Qui error Rhenani, licet à * Iunio etiam ante, ſed obiter, notatus, vel ideo nec nunc ſilentio prætereundus fuit, quod Vrſpergenſis typis editi codices ità ad præſcriptum Rhenani paſſim nunc præferant, omiſſa atque abolita penitus veteri & vera lectione *Moſella*. Alii deinde ad Salam, qui Albim ingreditur, referre maluerunt: Quos inter Paulus Æmilius, in vita Caroli Magni, ità aliorum ſententiam videtur interpretatus, ut à Sala potius, qui Albim quã qui Mœnum intrat, dictos exiſtimet; quem & Lazius in

Lib. 1 Rer. German.

* Cap. 9. Bat.

in Gentium migrationibus propriè ſecutus, ex intimis Thuringis acceſſit: quandoquidem amnis illic Sala per medias Thuringiæ ſilvas provolutus in Saxoniam uſque feratur. Quapropter cum tā ſit diverſa de Saliorum origine hiſtoricorum, qui res Francorum tradiderunt, opinio, conſiderandum quouſque Franciæ atque Alemaniæ fines id temporis, quo à Saliis Francis iſta tentata prodidit Marcellinus, pertinuerint. Quod licet ipſum jam ante, ubi de Francorum, Saxonum Alemanorumque ſedibus diſtinctè diſputavimus, indicatum nobis ſit, hîc tamen, adducto ejuſdem Ammiani loco, qui propriè huc ſpectat, ſtrictius preſſiuſq;, obſervata, quam dixi, temporum ſerie, cōficiemus. Ait enim Ammianus, Cæſarem Iulianum, Lib. 17. poſt inſignem contra Alemanos apud Argentoratum victoriam, Maguntiacum petiiſſe, præda captiviſque Mediomatricos prius, ad ſervandum miſsis, ibique (Magunciaci nimirum) ponte compacto, Rhenum tranſiſſe, ut Alemanos in ſuis ipſorum ſedibus invaderet, paria facturus eorum, quæ in Argentoratenſi pugna perpetraſſet. Alemanos autem viribus ſuis non fidentes, trans Mœnum ſe ſurripuiſſe: intereà nemine Romanis reſiſtente, munimentum à Trajano olim in Alemanorum ſolo erectum, & ab Alemanis deſtructum;. Iulianum reparaſſe. Quibus quid quæſo evidentius ad Alemanorum ſedes oſtendendas, quam quod eos Magunciaco ex adverſo oppoſitos faciat, eorumque in ſolo, Trajani caſtrum demonſtret? Eſſe enim hoc munimentum eum locum, qui **Caſtel** hodieque nominatur, in oppoſita Magunciæ ripa, doctioribus, dum certiora adferuntur, non illibenter aſſen-

tiar.

tiar. Videtur autem id ævi ita diviſa fuiſſe Alemania, ut ea pars, quæ Magunciacũ contra ſpectat, Suomarij Regis fuerit, atque inde trans Mœnum Hortarij regnum incœperit. Idque haud obſcure quoque videtur innuere idem Ammianus, cum referat, è regione

Lib. 19. Magunciaci Bucinobantes, gentem Alemanam, habitaſſe. Adeo ut liquere hinc ſatis putem, non modò Franconiam, ut hodie appellatur, ſed & magnam fortaſſis Thuringiæ partem tenuiſſe tunc Alemanos, ità ut necà Sala Thuringiæ, nec á Sala Franconiæ Salij, de quibus quærimus, aut dici, aut deduci ullatenus debeant, cum utrimque excluſiſsimi, Rheno ſcilicet inferiori propinquiores fuerint. Franconiam autem iterum cum dico, non ita intelligi velim, quaſi illo Alemanorum ævo, ſicuti patuit, ulla ibi fuerit Franconia, ſed quod multo poſt tẽpore Alemaniæ ea pars à Francis occupata id nominis acceperit hodieque retineat. Burgundos tamen circa idem hoc, de quo lo-

Burgundi in Alemanis.

quimur, temporis, inter Nicrum & Mœnum Alemanis habitaſſe confines perſvaſum habeam. Fuere verò olim Burgundi verſus Septentrionem, Plinio nominati cap. 14. lib. 4, fere ultimi Germanorum, gente Vandili. quamvis Ioſephus Scaliger ad Euſebium numero MMLX. pap. 174. 175. ignotos Plinio fuiſſe annotarit, quod maximi illius viri mnemonicum peccatum eſſe facile agnoſcam; ſicuti & illud ibidem, de Longobardis quod adfert, eos ſcilicet Ptolemæo tan-

Lib. 2. tum nominatos; cum certum ſit Vellejum Paterculũ in Rebus Tiberij, & Strabonem lib. 4. Tacitumque ſecundo Annalium & in Germania ſua, eorum meminiſſe. Quando autem Burgundiones à vicinis pulſi

peregrina

peregrina atque iſta Alemaniæ loca primum appetere inſtiterint Mamertinus panegyrico ad Maximinianũ ſic indicat: *Gothi Burgúndios penitus excidunt. Rurſum pro victis armantur Alemani, & mox Burgundiones Alemanorum agros occupavere, ſed ſua quoque clade quæſitos in Alemania terras amiſere, ſed repetunt.* Quæ omnia manifeſto declarant hallucinari, quicunque circa ea tempora iſtis in terris aut Francos aut Franconiam imaginantur. Nam Francos neceſſario inferiorem tunc adhuc Rheni ripam, ut innuimus, locaque illa prope Oceanum paluſtria, coluiſſe et oſtenſum eſt, præter iſta, ſuperius; & indicat inſuper loco jam jam allato idem Ammianus, ubi porrò ſubjũgit, dum adverſus Alemanos, de quibus jam dictum, rem gereret Iulianus, Francos occaſione illa capta de propriis, ex adverſo nimirũ Agrippinenſis Coloniæ, ſedibus, Rheno tranſmiſſo, Iuliacum & Rhemos infeſtaſſe. Floruit autem Iulianus anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo quarto; ut merito Hunnibaldum ſuo more ſecutus Trithemius ſuſpectæ per omnia fidei cenſendus, qui refert in Clodomiro Francorum, ut nugantur, Rege trigeſimo ſexto, Franconiæ Orientalis Ducatum conſtitutum ab eodem Clodomiro, anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo ſexto, id eſt, annis ante imperium Iuliani circiter XL, primumque tunc Franconiæ ejuſdem ducem fuiſſe Genebaldum, Clodomiri jam dicti fratrem; cum tamen ibi, ut ſæpius jam indicatum, Alemani in univerſum & ſoli tunc regnaverint. Cum ergo nullos id temporis ijs in locis fuiſſe Francos, niſi Hnnnibaldicis commẽtis, adſtrui ac demonſtrari poſſit, conſequens erit egiſſe ibi *Salios Francos*, ubi ipſimet coluêre

Franci. At *Francos* univerſum illum tractum, qua occidentem ſpectat, ſupra infraque Duitium, atque inde longiſſimo ductu cis ultraque veterem Iſalam Drentenos Tuentenoſque, aduſque Borealem Oceanum Friſioſque, littorales hodie nuncupatos, inhabitaſſe, jam ante oſtendimus. Indicavimus quin etiam, ſed obiter, eodem illo diſtrictu quidquid trans Iſalæ fluvium, ab Oldenzalia Zuollam uſque, terrarum jacet, *Sallandiam* hodieque appellari; *Sal-landiam* autem ideo, quia *Iſala* ipſa antiquitus, omiſſa priori ſyllaba, *Sala* nuncupata exiſtimetur, ut ita *Sallandia* nihil fuerit aliud quam *Sala territorium*, præſertim accedente & vico *Sallic*, in crepidine Iſalæ collocato. Adeo ut, iſtis poſitis, *Salij Franci*, qui & quo olim loci, atque unde dicti fuerint, haud ulterius inquirendum magnopere habeamus. Huius ſi meminiſſet, aut de Iſala accipiendum deducendumque ſi animadvertiſſet *Sala territorium* Goropius Becanus (qui alias de ſede *Saliorum* haud abſona protulit) nequaquam illi opus fuiſſet, tãto apparatu, tamque prolixo fabulæ antilogio, ad illã vanam longèque doctis auribus ridiculam de *Sala*, quod *ephippium* Belgis Germaniſque ſignificet, notationem proceſſiſſe, quaſi nimirum inde nominati fuerint *Salij*, quod ſellas equis atq; ephippia, vernaculis *Sadel* dicta, primi, ut ipſe adfingit, adaptaſſent. Sed illi viro in more id poſitum, imo volupe fuiſſe videtur, magnas nugas magno conatu dare, ſeque ac nomen ſuum joculari aliquo ſchemate poſterorum judiciis proſtituere. Cui & Poldus accedat, quem toto pariter aberrantem cœlo ſuperius coarguimus, utpote revocantem eoſdem Salios à populis Galliæ Narbonenſis,

Lib. 2. Frãcorum.

ſis, quos hodie *Saluſſos* dicimus. Aliquid fortaſſe dixiſſet, ſi à partib⁹ Septētrionalibus, *ubi Sabalingos* in Cimbrica Cherſoneſo, ſeu potius *Salingos* agnoſcit Ptolemæus; aut à Svediæ *Sala*, cui adſidet *Vpſala* oppidum, Germanicæ gentis originem quæſiviſſet. Sed cum Frācos ultra Albim, Boream verſus, nec exſtitiſſe, utpote in propriis ab origine ſedibus, nec inde Rhenū uſq; progreſſos, uſpiam apud probatos authores memoriæ proditum legamus, hujuſmodi etiam opinionem fluxam & evanidam & merè conjecturalem fore, quivis facile intelligat. Quod autem Sidonius Apollinaris aſpectu priſcorum, apud Romanos, Saliorum antiſtitum, à *Saliendo Salios* Francos, latiali notatione deduxerit, poetica tantum alluſione prolatum dicimus, nec uberiori refutatione dignandum; quamvis & doctos nonnullos noſtri ſeculi fuiſſe quoque ejuſdem ſententiæ non ignoremus.

Quapropter ſtatuimus omnium vero ſimillimum videri, à *Sala* flumine (quod veterem Iſalam hodie nūcupamus, quodque in ipſis Francorum veterum finibus fluxiſſe, & próxime accoluiſſe hunc ipſum populum ſatis jam ante demonſtratum eſt) *Saliorum* appellationem promanaſſe antiquitus. Nec aliud eſſe, quod Zoſimus libro tertio de Iuliano verba faciens, inter cetera, diſertè dictum voluit, *Saliorum nationem* à parte Francorum profectam, & Saxonum vi, ſuis è ſedibus, in Inſulam Batavorum, utpote proximè conterminam, rejectam conceſſiſſe: Eique & Claudianum fidem adſtruere, in laudibus Stiliconis, ubi ita loquitur:

Rhenumque minácem

Cornibus infractis adeo miteſcere cogis,
Vt Salius jam rura colat, flexoſq́; Sicambri
In falcem curvent gladios.

Iis enim in verbis quid eſſe manifeſtius poteſt, quam Rhenum accoluiſſe hos Salios? nec id ſimpliciter, ſed illam contra Rheni partem, qua eiuſdem ſunt *cornua*, id eſt, ut loquitur Tacitus, ubi in duos velut amnes dividitur, circa principium nimirum agri Batavi. Vbi etiam ex adverſo, in proximo nimirum territorio, *Salam*, ſeu, ut nunc dicimus, veterem *Iſalam* defluere, nemo chorographiæ vel leviter peritus ignorat. ut ita & hoc ſimul intelligatur, Saliorum tunc regionem, haud intra anguſtos illos, ut hodie, terminos, Sallandiæ nimirum coarctatam, ſed veterem quoque Iſalam verſus protêſam, haud exiguam, ut nunc appellamus, Veſtphaliæ item partem occupaſſe.

De *Ampſivarijs* porro, quod jam relatum modo eſt, in auxilium ſubinde eos, adverſus alias tranſrhenenſium nationes, à Romanis aſſumtos, idem quoq; de *Salijs* memoriæ traditum invenio, atque adeo inter Palatina auxilia ſimiliter habitos. Notitia imperij duplices eos facit, cum nimirum alios ſimpliciter *Salios*, alios *Salios Gallicanos* appellet. Nam lib. 2, ubi *auxilia Palatina* ſexaginta quinque enumerantur, ut ante meminimus, ibidem inquam poſt *Tubantes* & *Salios* indicatos, ſequuntur, aliquot interjectis, SALII *Gallicani*, utpote à prioribus ſejuncti diſtinctique. Ab hac deníque gente Conradum Secundum Imperatorem *Salici* cognomen traxiſſe, quod ad priſcos hos *Francos Salios* originem generis referret, multorum eſt opinio.

Nec

Nec aliunde fluxiſſe *Salicarum legum* natales, plures exiſtimant. Has enim Varamundum (qui decimum circiter principatus Honorii annum Francica in gente regium titulum tenuit) tuliſſe perhibent, & ope quatuor regni procerum ſanxiſſe, quorum nomina Sigebertus, Cuſpinianus aliique ſuis in Chronicis enumerant, omneſque ultimam vocis terminationem in *gaſtus* finiunt; fuiſſe enim produnt *Wiſogaſtum, Loſogaſtum, Huſegaſtum* & *Salogaſtum* : Eoſque Hadrianus Iunius Hornanus philoſophos & ſapientes, à ſcientia rerum & ingenii perſpicuitate *Gaſtos* appellatos, haud abludente à re ipſa etymo, exiſtimat, quaſi Catones quoſdam & excellẽtis ſpiritus viros, qui in id à Varamundo peculiariter delecti fuerint, ut in commune toti Francorum reipublicæ ſalubriter conſulerent. Legi Salicæ qui præfigitur prologus, paulo aliter eoſdem recitat. Ita enim ibi legitur : *Wiſogaſt, Arbogaſt, Salogaſt & Windogaſt per tres mallos* (id eſt, *Comitia*) *convenientes omnes cauſarum origines, ſollicite diſcurrendo tractantes de ſingulis judicium decreverunt, hoc modo &c.* Tres autem iſtos Mallos ſive Comitia in hiſce præſertim tribus Germaniæ locis ſeu territoriis *Salechaim, Bodochaim* & *Wingehaim*, celebrata fuiſſe, ibidem continenter adjicitur. De ipſa autem lege hæc habet, clariſſimus quondam inter Gallos juriſconſultus, Carolus Molinæus Tit. 1. des Fiefs, paragr. 19. Glo. 1 : *Salica lege fœminæ & deſcendentes ex iis omnino à terra Salica (id eſt fiſcali proprie & Regis, quod patrimonium ſeu domanium ipſius coronæ & Maieſtatis regiæ appellatur) exhæredes & incapaces perpetuo eſſe iubentur. Eamque primam & antiquiſſimam Francorum Regum legem, non à Sale, vel à Saliis ſacerdotibus, ſed ab*

ipſius authoris Varamundi Salici nomine (maiores enim Salios il cognominarunt) Salicā eſſe nuncupatam autumat Iohannes Ferrarius Montanus vir doctus & excuſſi iudicij in l. 2. in pr. colū. 4. D. de reg. iuris. addi poteſt Ioh. Tyrrh. in tract. de Lege Salica & reg. ſucceſſ. Hactenus quē dixi, Molinæus. Sed de lege vel legibus potius Salicis ipſis, ſuo aliquādo loco, quæ ſtet ſententia, luculentius ac plenius referetur. Vnum poſtremo hic objici poſſit, cur in *Anſivarios* tantum & *Salios*, Francos diſtribuerim, cū & *Ripuarij* inſuper fuerint, quorū hodieq; *leges*, quas *Ripuarias* appellant, ſunt in manibus? indicandum hic obiter Ripuariorū nomē ità vetuſtum haud eſſe, ut cum Anſivariis aut Saliis componi aut jungi queat. Ripuariorum enim tum demum in hiſtoria Francorum mentio, cum jam Rhenum nō modo trāſiſſent, ſed ita in Galliis præterea pedē ſedemq; fixiſſēt Franci, ut repelli exinde nunquam potuerint. Tum, inquā, Ripuariorum vocabulum auditū primitus, utpote colentium intra præſertim Rheni, Moſæ & Moſellæ ripas. Vt ita Germaniæ inferioris tū populus ſit habitus, qui tribus illis fluviorum ripis quaſi circumcluſus egerit. Quin & inde, à *ripu* puta jā indicatis, *Ripuarios* dictos vero conſonum habeo. quāvis & ſint qui *Ribuarij* per *B* ſcribant. Canalis, ut citat Ortelius, *Ripariolos, Ripuariēſes* & *Riparios* legiſſe videtur, quomodo & Iornādes, apud quē *Riparios* occurrūt. In Notitia imperii āpla eſt mentio *legionum Ripartenſium*, quæ huc nō ſpectāt, niſi quod intelligi inde queat, qui *ripas* inhabitarent, *riparios* appellatos; legiones verò quæ prætendebāt apud eoſdē *riparios* dictas *riparienſes*; ut ita viciſſim *ripenſis* ſit aliud, ut cum *Dacia ripēſis* dicitur; & aliud *riparienſis*. Sed de his hoc loco ſatis.

IOHAN-

IOHANNIS ISACII PONTANI
ORIGINVM FRANCICARVM
LIBER III.

CAP. I.

AD VLTERIORA DICENDA TRANSItum; præmiſſo breviter Francorum etymo.

FRANCI vetuſque illa ac prima FRANCIA necnon & *Salij* & *Anſvarij* item Franci, ecqui fuerint, quibuſque locis egerint, affatim, ut exiſtimo, oſtenſum jam eſt. Reliquum ſit de FRANCIÆ, eiuſdem regibus ac dynaſtis, deq; eorundem imperio, ac rebus domi foriſq; præclarè geſtis, chronologicam inſtituere, id eſt, ejuſmodi enodationem, quæ veritati uberiorem porrò lucem

lucem faciat; procul ab hiſtorica fide amandatis eorũ commentis, qui ſiniſtra ac præpoſtera nimis indagine nimioq; in patriam ſtudio, dum illuſtrare atque eruere gentis natales ſatagunt, longe quam prius, obſcuriores reddidêre: Quod tamen ut debitè perficiatur, præmittendum ſit obiter, ipſius nominis quæ ratio & origo olim fuerit, quod etymō vulgo vocitamus: Quãvis & hoc altiſsimis involutum tenebris, plurimumq. hactenus quæſitum, nec inventum adhuc, nec inveniendum fortaſsis videatur: adeo ut aliorum hac parte refellere opiniones facilius ſit, quam genuinã rectãque notationem certo tradere. Quod ipſum in tanta præſertim gentis antiquitate mirari nequaquam convenit, cum etiam recentiorum tam regionum quã populorum, cuiuſmodi vel in vicino hodieque Belgio noſtro ſunt, Namen / Vlaenderen / Walcheren aliórumque ſimilium nominum vix invenias qui veram etymologiam oſtenderit. Non igitur aut nimĩus, aut operoſior hic ſuero, præcipuè cum exactiſſima quoq; diligentia parum effeceris.

Francici nominis notationes.

Qui itaque à Francione fabuloſo atque ementito Hectoris filio; ſive, vt Hunibaldus, à Franco, I. primo ſcilicet Francorum rege, quique multis ante Chriſtum annis fuerit; inclyti nominis originem deducunt, arguuntur manifeſtæ vanitatis, cum nullo authore idoneo, ſed agyrtis tantum atq; impoſtoribus iſta conſtet prodita; quomodo & mox vbi de regibus II. agemus, dicetur pluribus. Sic Ado quoque, Viennẽſis archiepiſcopus, quemadmodum & alij rerum Francicarum ſcriptores, vt Gregorius Turonẽſis, Abbas Vrſpergẽſis, Godefridus Viterbienſis, Sigebertus,

Francos

Francos ajunt lingua Attica, ab imperatore Valẽtiniano ſic dictos primum à *feritate* vel potius *ferocitate* atque audacia; cum tamen Francorum nomen & natio, quod & ſupra notatum monſtratumque eſt, plurimis ante natum Valentinianum annis celeberrima, etiam apud Romanos, fuerit: vt omittam dicere ac deprædicare etymi atque atticiſmi iſtius elegantiam, Francos à ferocitate deducentis.

III. Recentiores, in quibus & Hotomannus fuit, fictã ex re atq; occaſione appellationẽ exiſtimant; cum ij, qui libertatis recuperandæ principes atque authores exſtitiſſẽt, FRANCOS ſe nominaſſent: qua voce *liberos* & ſervitutis expertes, Germanorũ peculiari idiomate intelligi ac dici putãt: atq; inde ijdem quoque Gallos aiunt hodieque populari lingua *Francum* pro *libero* & immuni, & *Franiſiam* pro *aſylo* uſurpare: & *franciſare* vel *affrancire* pro, *in libertatem aſſerere*. Sed ipſius Hotomanni verba, quia plauſibilia ſunt & veritatis haud levia argumenta continere videantur, adſcribere paulo plenius viſum eſt, ut ab omnibus introſpici accuratius atque examinari queant. Ita autem habent: *Ne diutius teneam, neceſſe eſt vel Francorum gentem tenuem obſcuramque fuiſſe, à quâ tamen tantarum rerum gerendarum initia nata ſunt: quemadmodum in Suitis tenuiſſimo Helvetiorum pago vſu venit, à quo cum recuperandæ libertatis auctores orti primum fuiſſent*, Suitzerorum *nomen in Helvetios omnes propagatum eſt: vel, quod mihi veriſimilius videtur, fictam ex re & occaſione appellationem fuiſſe: cum ij, qui ſe libertatis recuperandæ principes atque authores profiterentur*, FRANCOS *ſe nominaſſent: qua voce*, liberos, & ſervitu- Franco-gall. cap. 5.

tis expertes, *apud Germanos intelligi, ſatis inter eruditos & literatos Germanos conſtare video. indeque* Francum *populari lingua, pro,* libero & immuni : & Franciſiam *pro* aſylo *uſurpamus* : & Franciſare *vel* affrancire *pro,* in libertatem aſſerere. Et paulo poſt ibidem : *Immunitas à Francis in Hiſpania* FRANKITAS *dicta. Francorum enim nationem Germanicam Carolus Magnus Germanis reliquis & Friſiis commodiore immunitatis conditione antetulerat. Item Hieronymus Surita : ſub anno* MCX. *Iulio menſe, ut oppidum* (Barcinonenſium, ni fallor) *frequentiſſime coleretur habitareturque, civibus extraneis Frankitatis (id eſt, ingenuitatis) ornamenta ab imperatore præſtantur. Item Albertus Krantzius lib. 4. metrop. cap. 13.* Franck *Germanica lingua liber dicitur, nulli obnoxius ſervitutis. Antonius Sabellicus* Ennead x. lib. III. Francos, *inquit, Itali* liberos *appellant : quippe cum Itali ex Germanorum eluvionibus promanarint. Eius autem rei primum argumentum eſt, quod Procopius libro Goth. bell. memoriæ prodidit, Francos antiquitus generali nomine Germanos appellatos fuiſſe : poſt verò quam è finibus ſuis exceſſerunt, Francorum nomen obtinuiſſe. Alterum eſt quod Cornelius Tacitus lib. 4. hiſt. ubi de Caninefatibus loquitur (quos Francorum finitimos, vel potius populares, atque adeo Francos ipſos nativos fuiſſe oſtendimus) eorumque primam adverſus Romanos victoriam deſcribit, his utitur verbis: Clara ea victoria in præſens, in poſterum uſui, armaque & naves, quibus indigebant, adepti magna per Germanias Galliaſque fama,* LIBERTATIS AVCTORES *celebrabantur. Germaniæ ſtatim miſere legatos, auxilia offerentes. Valeat igitur omen, ut* FRANCI *verè proprieque dicantur, qui tyrannorum ſervitute depulſa, honeſtam etiam ſub regum auctoritate, libertatem ſibi retinendam putarunt.* Hactenus Hotomanus.

nus. Cui & Aventinus jam olim haud diſſona loquẽs Francorum ſimiliter vocabulum hariolatur deductũ à libertate, quæ lingua Theutonum **Frÿheÿt** & **Freÿdom** dicatur; idque cognominis adhuc Franconibus tribui, cum vulgo **De freÿe Francken**; id eſt, *liberi Franci* vocentur. Sed reſpondendum hic breviter, non magis *Francum*, *liberum* ſignificare, quam *Cretenſem*, *mendacem*; *Sybariticum*, *voluptarium* ac *delitiis operatum*; aut denique *Cimbrum*, *latronem*. Franci enim cum aſſertores libertatis ſemper fuerint, Romanorumque potentiæ & armis præcipuè ſe oppoſuerint, fuſis toties ac fugatis tandem à Rheni ripâ Gallicâ eorundem præſidiis, ob rerum geſtarum famam ac felicitatem; non autem ob vocis etymon aut notionem, *Francus* & **Franck** uſurpari pro *libero*, præſertim apud Gallos, lapſu ſeculorum, cæptus eſt: Idque & ipſa Aventini citata verba, contra ipſum convincant; ubi tum demum *Francus*, *liberum* ſignificet, ſi videlicet addatur epithetum **Freÿ**; quomodo & hodieque Friſios, liberos intelligimus, cum dicere vulgo ſolemus, **De vrÿe Vrieſen**, i. *liberi Friſii*: ubi ſi quis dicere inſtituat, **De Francke-Vrieſen**, facile cuivis idiomatis ac linguæ noſtratis gnaro videre erit, vocabulum **Franck** haud quaquam eandem quam **Vrÿe** notionẽ ac vim obtinere: adeo ut hinc pateat plurimum inter ſe diſsidere, **Freÿ** & *Francus*. Quod verò Hotomannus, inter cetera, addit Procopium memoriæ prodidiſſe, Francos antiquitus generali vocabulo Germanos appellatos, ac poſtmodum, cum jam egreſſi è finibus ſuis eſſent, Francorum nomen obtinuiſſe, haud plane Procopij verbis, à nobis quoque ſuperius capite

ultimo libri primi adductis, reſpondet. Procopius enim à principio & in ſolo Francorum viguiſſe nomẽ, id eſt, antequam Gallias intrarent, haud quaquam negat, licet Germanos antea & Germanorum vocabulo, puta Cæſari, Tacito aliiſque iſtius ſeculi ſcriptoribus, ut plurimum, cenſi fuerint: Ita enim ait: *Franci iſti, Germani quondam vocitabantur, quemadmodum vero à principio fuerint id nomen ſortiti & Gallias deinde invaſerint ac Gothis ſimul hoſtes ſint effecti, exploraturus mox ſum.* Vbi notandum, à principio habuiſſe id nominis, & Gallias poſtea invaſiſſe. Nec aliud etiam Vopiſcus, Trebellius Pollio, Ammianus Marcellinus, Hieronymus, Eutropius, Zozimus, Auſonius & illa præſertim vetuſtiſſima Itineraria Tabula jam ante nobis toties indicata, loquentur. Omnes enim hi res ſui ſeculi tradentes, Francorum & nomen ſedeſque Rhenum ultra, & antequam Gallias occuparent, agnoſcunt adeoq; accurate & perſpicuè, quod ante monſtratum eſt, ob oculos ponunt, ut de iis tam ſit dubitare nefas, quam illis tantis tamque præſentibus authoribus credere manuſque dare fas & æquum requirat. Nam de Caninefatibus quod deinde ab eodem Hotomanno memoratur, hallucinatio ejus eſt: non enim Franci proprie Caninefatũm populares aut natio fuit, utpote cum illi ultra Rhenũ in ſolo continentis Germaniæ; hi Rhenũ intra intraq; imperii limitem comprehenſi, vel potius, vt Plinius habet, in ipſo Rheno cõſtiterint. Nec itaq; mirũ ſit, ſi Tacitus non modo Caninefates, ſed & ſocios eorundem Batavos ipſũq; Civilem, fugatis, qui limitẽ tutabãtur, præſidiariis, utpote inſigni victoriâ elatos, perq. vicinas Germanias Galliaſque, ut liberta-

tis-

tis auctores celebratos referat: vicinos nimirum Germanos(nō autem, vt vult Hotomannus, Caninefates) haud alios intelligēs, quam in proximo trāſrhenanos Vſipios, Bructeros Cattos ceteroſq; illo tractu tūc adhuc, vt ex Procopio indicatū, Germanorū, mox tandē Francorū novo & auſpicabili vocabulo celebres.

Alii, quos inter noſter* Hadrianus Iunius Hornanus, vocis ingenium accuratius ſcrutati, à vero haud alienū credidêre, Francos quaſi frey on cys nominatos à cenſu (quod cys ſonat) & vectigalibus, à quibus præſtarentur immunes: Vel etiā, *Franſi*, vt eſſent fry Anſi: Vocabulum enim *Anſi*, Gothici idiomatis proprium, denotare eos, qui cæteros mortales fortuna atque opibus antecellerent jam ante relatum eſt: vnde & *Anſos* ſive *Hanſos* hodieque intelligi proceres communi ſorte majores, ſimiliter tum dictum memini. Verum nec illa ad examen atque obruſſā vocata probatæ monetæ eſſe quivis intelliget, modo cys/ quod alias, & rectius, cyns ſcribi amat, è Latio non autem Theutonia petitum cogitaverit: nam cyns à *cenſu* eſſe quis ambigat? Sic in altero itidem etymo, vim voci fieri nemo nō videat, cum nominis *Franci* poſterior ſyllaba per cy non ſi/ exarari debeat. IV. *Cap. 9. Bat. pag. 73. V.

Quod autem Goropius Becanus *Frantos* quaſi ver-rancken, ſive vry-rancken ab extenſis nimirum aut libere ſe dilatātibus palmitibus dicendos voluerit, & Lazius, à *fracis* Hebræorum, utrumque ſuperius, illud cap. 6. hoc 7. lib. 2, ut ludicrum ac luxuriantis ingenii commentum, refutatum memini. VI. VII.

Necdefuere qui *Francum*, quaſi frey-anck, id eſt, *liberum ſervum*, dictum putavere, quibus anck pro *ſervo* VIII.

 Theu-

Theutonibus uſurpatum olim, docendum accuratius. Eorum tamen ut liquidius pateat quæ fuerit ſententia adſcribam ipſa verba ex Etymologiis Germanicis Althameri Tacito ſubiectis. Ita enim ibi legitur: *Francus, Franciſcus, Liber, Liberius, Eleutherius, per ſyncopen ſeu ſynolephen, à* Frÿ *&* anck, *quaſi* Frÿanck, frÿ, *Saxonicè,* freÿ *diphtongo Suevica, eſt liber adiective:* Ancke *eſt adoleſcens, iuvenis, nomen hodie Gentile multis familiis. Et* Enckel / Encle *diminutive dicitur adhuc iuvenis arator ſeu aratrum gubernans, ut appareat Francos fuiſſe pubem ſeu iuventutem, quæ ſe forte ſervili bello per ſeditionem in libertatem aſſeruerit,* die freÿen knaben / freÿen geſellen / die freÿẽ bauren. *Franciſcus Græca imitatione diminitivum eſt* Freckel / Frenclin / Frenckle / Frentzle / *Germanice* das freÿ bublin / freÿ knablin. *Et Galli adhuc Vrancum arbitrium,* freÿen willen / *liberum arbitrium dicunt.* Hæc illæ: ſunt & ibidem Etymologiæ aliæ, quæ Cimbricæ dicuntur; in quibus hoc, quod prius poſui, reperio: *Francus* freÿ anck *liber ſervus.*

IX. E Turpino deniq; monacho, ut vel nomẽ indicat, nõ nimis elegãti aut accurato, quiq; Caroli Magni fabulã verius, quã vitã contexuit, de eodẽ hoc Francorum vocabulo, quod adfertur, ut nimirũ, qui primus pecuniam ad Dionyſianum templum exædificandum contuliſſet, *Francus*, id eſt *liber* diceretur: quaſi nomen illud Caroli demum tempore natum eſſet: ne memoratu quidem dignum eſt; non magis quam reliqua ejuſdem pleraque omnia Hiberis næniis ac deliriis anilibus referta.

Mihi inter tot opinionũ fluctus, quarum nullam litaſſe veritati patuit, eiuſmodi ferre ſententiam placeat,

ceat, quæ rei genio & vocis vetuſtati quam maxime reſpondeat. Eam tamen in tantis rerum involucris tantaque caligine quam ſit arduum eruere, quæ iam attulimus, ſatis oſtendunt. Ad ſententiam interim poſt tot taleſque heroes dicendum nūc citatus, & veluti in iiſdem dimicaturus tenebris, cum venia progrediar, præſertim cum apud omnes, & quicunque liberalis ſunt ingenii, in magnis etiam voluntas & conatus laudetur. Et primo quidem loco occurrit, quod iam ante, ubi de Saxonibus verba fecimus, indicatum fuit, idoneis adhibitis teſtimoniis, haud abſimile vero videri dictos eos à teli genere, quo familiariſſime domi militiæque uterentur, *Saxa* vocabulo; an etiam de Francis hoc idem dici debeat, cogitandum videri, præſertim cum innuat haud obſcure Gregorius Turonēſis, Frācicæ gentis veluti inſigne olim fuiſſe haſtæ genus, quod *Franceſcam* nominarunt. Sed verba Turonenſis ipſa adjiciam, qui & reges geſtare ſolitos ac ſemper in promptu, & ad manus habuiſſe ſubindicat, cum ait, de Clodoveo 1. locuturus, ut ſequitur: *Tranſacto anno, Clodoveus exercitum ſuum apto armorum apparatu in campo Martio luſtravit, armorum cuiuſq; nitorem viſurus. Verum ubi rex cunctum exercitum circumivit, venit ad hominem illum: qui ante à urceum percuſſerat, & ait ad illum: nullus tam inculta & ſordida arma habet, quam tu, quia neque clypeus, neque lancea neque bipennis eſt tibi utilis, accepit autem rex franceſcam eius, quæ eſt bipennis, & proiecit in terram, at ille cùm ſe inclinaſſet colligere eam; rex ſtatim elevatis manibus ſuis, franceſcam ſuam in capite eius defixit.* Et iterum idem author in ejuſdem regis hiſtoria: *Tunc proiecit in directum à ſe bipennem ſuam, quod eſt Franceſca.*

Authoris conatus.

principum aliquis, vel pater aut affines armis ac framea juvenes ornabant, ac veluti togâ, ſeu primo juventæ honore, induebant; ita viciſſim eorundem erat, indignos, aut alia re infames, rejicere ac dignitate ſeu frameæ uſu privare, vt jam de Clodoveo Chriſtianorum inter Francos primo rege, & eo qui è templi donariis urceum rapuerat, relatum è Turonenſi, quod ad franceſcam intelleximus. Atque hinc iterum Tacitus: *Exigunt principis ſui liberalitate illum bellatorem equũ, illam cruentam victricemque frameam.* Denotaſſe etiam, ſed longe poſt Tacitum, Agathias videtur, itemque Procopius; quorum ille Ἄγγωνες, *anconas* nominat; iſte gladii brevioris vocabulo circumſcripſit, eodemq; & eminus & cominus pugnatum adiiciens, quomodo de framea quoque Tacitus dixit, & de franceſca ex verbis Gregorii Turonenſis elicere fuit, ſed imprimis ex iſtis Sidonii Apollinaris ad Majorianum: ubi cum formam habitumq. veteris Franci obiter reddidiſſet, ita addit:

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum: clypeoſq. rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas

Agathiæ verba hæc ſunt, proximè Græcanico textui reſpondentia: *Brevia tela, quæ ipſi* anconas *vocant. cuius pars maior ferro obducta eſt, ita ut ex ligno aliquid præter manubrium, vix exſtet &c.* Sed de iis, ubi de gentis armatura, mox uberius. Nunc illud tantum addendum, vel obviandum potius iis, quibus fortaſſe verius videatur, quod etiam Iſiodori allata ſuperius verba videntur innuere, non à *franceſca, Francos*, ſed à *Francis franceſ-*

cas appellatas. Verum dicendum Iſidorum rei & vocis novitate exiſtimaſſe idcirco à Francis nominatam Hiſpanis franceſcam, quia Franci, ut plurimum, eâ uterentur; cum Gregorius, quem dixi, Turonenſis, qui aliquot ante Iſidorum annis claruit Francorumque res literis prodidit, diſerte referat, ipſis etiam Francis franceſcam ſecurim aut bipennem intelligi; & certe nequaquam id novum aut abſque exemplo haberi debet, ſi à telo tantopore uſitato populus nominetur. Nam ut omittam de *Saxonibus* dicere, quos ita dictos à gladiolo *ſax* ſuperius, & ante demonſtratum, nonne a *quiri* Sabinorum, quæ haſta fuit, præferrique perpetuo Romanis cōſulibus ſolita, ipſi *Quirites* Romuluſq. *Quirinus* appellati ſunt? Nonne etiam à *geſis*, *Geſi* & *Geſſatæ*? Itaque nec aliter à *franga* & *frāca* ſive framea Frāci ipſaque franceſca nominationem acceperit. Quæ etiam formatio neutiquam extra loquendi conſvetudinem putanda, cum à *Dacus*, *Daciſcus*; à *Syrus*, *Syriſcus* aliaque ſimilia dicantur. Et ſi quis diligentius etymi notationem examinet, à **frey** & **anck**, obſervato gentis idiomate, haud abſonè fortaſſis deducetur, cū teli hoc genus, tā geſtatum, quā hoſti intortum liberè haberi, id eſt, eminus & cominus, vt dixit Tacitus & Agathias, uſurpari ac hoſti infligi conſverit. Eſt enim **frey**, *liberum*, & **anck** id omne quod infigitur, unde **ancken** & **inancken**, *figere* Belgarum veteri idiomate ſignificatū monet Kilianus. Atque optime id quadret etiam verbis Gregorij Turonēſis, qui Clodoveū defixiſſe in militis caput franceſcam innuit. niſi quis malit pro **frey/fer**, id eſt, *procul* & *eminus*, vt **fer-ancki** primum atque inde per craſim & contractionē quandā *Franki* nomi-

naci

nati fuerint. Idque cum Taciti tũ Turonẽſis deſcriptioni quã proxime videatur accedere. Quod autem alii, & ipſe quoq. olim de framea aliter in Gloſſariolo noſtro priſco Gallico pronunciaverim, id retractare, modo cõmodius occurrat, ingenui animi exiſtimo. Quippe **ſupſthamer**/quod tunc, ſequuti alios, putavimus, etiãſi à Taciti interpretatione non multũ, quod teli uſum ſpectet, abire videatur, tamẽ à voce *framea* multũ diſcrepat: ſicuti & **phziem**, quod aliis viſũ, eſſe Belgarũ **pzijm**, & à *premere*, Latiali verbo, profectũ, minimeq. haſtili, de quo loquitur Tacitus & Agathias, reſpõdere, optimo quoque iure nunc dixerim. Hæc primum. Deinde præter jã dicta, fatear & alias vocis *frameæ* adferri atq; excogitari notationes haud difficulter poſſe, ſi cui hoc cõſtitutum agere. Nam & vocabulum **frendie** & **frenke**, quo hodieq. Dani utuntur, cum *affinitatẽ* aut *cognationẽ* indicare volunt, item **frangie/frengie** & **frenie**/quæ noſtratibus omnibuſq. propemodum Belgis *fimbriæ* aut *peniculamẽta* ſeu *faſciolæ* ſunt extremis veſtium oris aſſutæ, ceteraq. eiuſmodi nõ multum à vocabulo Francorum abludere agnoſcendum. Verum cum antiquitatis hæc iſta exornari teſtimonio nullo, aut alia aliqua veriſimilitudine ad gentẽ aut gẽtis, de qua agimus, vocabulum atq. appellationẽ referri queant, omitti ac ſilẽtio involvi melius cõſultiuſque puto quã in iis conatum noſtrum dubiæ aleæ cõmittere ac ineptè periclitari, bonaſq. horas, quod dici ſolẽt, male collocare. Nunc promiſſum exſolvere tempus monet: Et primo quidẽ de Regibus, cujuſmodi ab Hunibaldo, errãtium atq. erronum duce, proditi ſunt dicemus, exinde ad reliqua certioraque orationem converſuri.

ſam argumenta , quæ proferuntur, vel documenta
otius, quā ſint & illa ab univerſa chronologiæ rati-
ne devia, quam etiam veris originibus ac ſibi repu-
nātia, mox plenius pateſcet. Quapropter, ut ſemel at-
ıe in univerſum Hunibaldinis omnibus os occluda-
r, ipſam genealogiæ ſeriem longoq; exornatas ſan-
ıine fumoſas illas imagines primo ponā; atq; inde
ſdē ex vero repetitis narrationibus diluere ac dif-
re aggrediar, idque tam facile, quam folia ventus.
ec tamen in his omnia, quod faſtidij nimij ſit, ſed
ecipua, &, ut ille inquit, ſūma ſequar faſtigia rerū.
Quò autem evidētiora ſint ſingula, intelligendum
plici claſſe diſtinguendos hos Reges: Priori enu-
erantur Boſphorani & Troianigenæ, ijque veluti
vi adhuc advenæ, Sicambrorū vocabulo inter Ger-
nos intellecti. quorum ſedecim recenſentur: Alt-
claſſe, ſed una tamen, & continua cum præcedente,
e, primus omnium *Francus* occurrit, à quo ſcili-
ſi Dis placet, *Franci* deinceps nominati, antiquato
irum Sicambrorum vocabulo.
I. Prioris itaque claſſis primus omnium , ſecun-
ı, quem dixi, Hunibaldum, MARCOMIRVS fue-
Boſphoranus Rex. Huius imperio ac Principatu
erente Trithemio) habet fabula, Schytas primo
ianos, poſtea Francos deſcendiſſe per Saxonum
torium in Germaniam prope Rheni oſtiā (ubi
hodie occidentales, Gelrenſes & Hollandi.) Id-
nte Chriſti nativitatem, annis CCCC.XII: mor-
verò ab introitu gentis in Germaniam anno
mperii XXVIII.
II. *arcomiro* ſucceſſerit maximus natu filius ANTE-
Aa3 NOR

NOR, anno à condito mundo, vt Funccius numerat, ter milleſimo quingenteſimo: mortuus ante natum Chriſtum cccLxxxII. Connubio ſibi junxerat *Cambrã* Belini Regis Britanniæ filiam, à qua populus exinde *Sicamber* appellatus fuerit.

III. Hunc PRIAMVS ſecutus ante Chriſti nativitatem annis CCCXXXVII.

IV. *Priamum* exceperit HELENVS, qui mortuus ante natum Chriſtum annis CCCXXXVII.

V. Inde DIOCLES ad imperii habenas evectus, poſt varia contra Gothos certamina, reliquum temporis impendit perpetuis modo incurſionibus, modo bello exagitandis Galliis: mortuus ante Chriſtum annis CCXCVIII.

VI. *Dioclem* ſequutus HELENVS eius nominis ſecundus. Sed is nec toga nec ſago ſatis reipublicæ utilis imperio ſe abdicare coactus anno ante Chriſtum natum CCLXXXIV.

VII. Reiecto *Heleno*, BASANVS frater ejus ad Sicambriæ ſceptra adſcitus, multis domi foriſque præclarè geſtis caſtrum Baſamburum in agro Iuliacenſi condiderit, vita functus annis ante Chriſtum CCXLVIII.

VIII. *Baſanum* CLODOMIRVS ſequutus mortuuſque annis ante Chriſtum CCXXX.

IX. Cui ſucceſſerit NICANOR, qui regnum tenuerit annos triginta & quatuor.

X. *Nicanorẽ* ſubſecutus MARCOMIRVS ſecundus; *Mar-*
XI. *comirum* CLODIVS; *Clodium* ANTENOR ſecundus item
XII. ejus appellationis; *Antenorem* CLODOMIRVS iterum;
XIII. *Clodomirum* MERODACVS, *Merodacum* CASSANDER,
XIV. XV. XVI. *Caſſandrum* ANTHARIVS. Hic regnaverit annos triginta &

a & quinque, mortuus anno ante Chriſti natalē ſeptimo & trigeſimo.

Hæc prior ſcilicet claſſis fuerit : alterâ deinde Regum eo nomine primus recenſetur FRANCVS *Antharij* jam dicti filius. Ab hoc *Sicambri* exinde *Franci* nominati. Is anno regni ſui primo perpetuum cum Germanis, Saxonibus ac Doringis fœdus icerit, quo Sicambri ac Germani: Saxones & Doringi ſub diſtinctis licet ac diverſis principibus , tanquam fratres & germani, unus cenſeretur populus : qua fœderatione adeo territi fuerint Romani, vt militum aliquot legiones contra Saxones in Germaniam miſerint, duce Lollio : haud tutum ſcilicet rati cum Francis (quos Germanos appellavere) congredi, Saxonibus ac Doringis nondum perdomitis. Ingreſſi ergo Romani Saxoniam, primo quidem victoria potiti , decem & octo Germanorum millibus interemptis , ſed Clodione filio, valido cum exercitu Saxonibus in auxilium ſubmiſſo, fuſi viciſſim fugatique. Addit Lazius eodem in prælio interfectum à Clodione Lollium. ita enim habet libro 3. de Gentium migrationibus pag. 65. editionis Vechelianæ quæ eſt in *folio*: *Clogio filius Franci Turingorum & Saxonum auxilio M. Lollium adverſus ſe miſſum vicit atq; interfecit. &c.* Nec ab ſimilia Funccius & Roſiniacus. Obierit Francus anno ante Chriſtum IX. regni ſui XXVIII. XVII.

Poſt *Francum* CLODIO, vel, vt alii ſcribunt, CLOGIO, filius imperium ſuſceperit, regnáveritque annos triginta. Quarto autem imperii ſui anno cum Tiberio congreſſus fortiſſime rem geſſerit. Decimo denique anno regni huius naſcitur Chriſtus. XVIII.

Clodione

ſcilicet anno à nato Chriſto CXLVIIII.

Marcomiro ſucceſſerit CLODOMIRVS qui reg. annos XVII. XXVII.

HUNC PHARABERTVS exceperit; *Pharabertum* SVNNO; *Sunnonem* HILDERICVS cuius temporibus, inter alia, proverbiali dicterio iactari primitus cœptum, **das iſt ein gut alt Fränckiſch werck**: quia tunc Franci fabricare atque ædificia primum extruere cœperint. Regnarit annos XL. mortuus anno Dominicæ nativitatis CCLIII. XXVIII. XXIX. XXX.

BARTHERVS hunc ſecutus, qui regnarit annos octodecim, mortuus anno Chriſti CCLXXI. Huius anno decimo, cũ Romani, imperante Galieno, torperent otio, expeditionẽ ſuſceperint Franci in Italiã, omnia ferro flamaque depopulati adusque Ravennam. Deinde iidem, auxilio Saxonum & Bavarorum, in Gallos moverint, à regione Tongrenſibus proxima procedentes atque inde per Bellovacos ultra Sequanam, in Hiſpanias tranſgreſſi. XXXI.

Hinc CLODIO regni ſceptrum acceperit, eoque imperante Franci integrũ ſeptennium magnam Galliæ partem poſſederint, anno Chriſti CCLXXXXVIII. XXXII.

Clodio VVALTHERVM ſucceſſorẽ habuerit: *VValtherus* DAGOBERTVM; *Dagobartus* iterum CLODIONEM quempiam nomine; qui adverſus Romanos dimicans in partib⁹ Ciſmoſahis fortiter occubuerit ãno Chriſti CCCXIX. XXXIII. XXXIV. XXXV.

CLODOMIRVS exinde, Clodionis frater, regno admotus anno Chriſti CCCXX. Quo imperante, Francis dono oblatã fuerit á Thoringis ampla in eadem Thoringia regio, quæ Thoringos & Svevos diſtermi- XXXVI.

 naverit.

naverit. Cauſa & ſcopus donationis exſtiterit; ut eſſet videlicet Franci Thoringis loco defenſionis contra Svevos. Vnde factum, ut Franci cum uxoribus, liberis omnique ſupellectile circiter armatorum hominū triginta millia, agricultorū duo millia ſexcēta octoginta ſex, ad novas has ſedes poſſidendas abierint præfecto, Clodomiri fratre, Genebaldo: iis tamen legibus ut ipſi eiuſque poſteri Francorum imperio ac iuſſis perpetuo audientes atque obnoxij permanerent. Atque itá cœperit Ducatus orientalium Francorum, in quo quatuordecim ſupra quadringentos annos, viginti ducibus ordine ſucceſſivo, ex eadem ſtirpe procedentibus regnatum fuerit.

XXXVII Huic *Clodomiro* ſucceſſerit RICHIMERVS, maior natu filius. quo rerum potiente prælium commiſſum inter Francos & Romanos, duce Romanorum Tiberiano, anno Chriſti CCCXXXVIII. Cæſus poſtea anno CCCL.

XXXVIII. *Richimero* deinde ſucceſſor in imperio fuerit THEODOMIRVS, qui régni ſui anno decimo à Romanis captus cum matre Haſtilla capite fuerit truncatus. His deinde ex eodem Hunibaldo ſubdit Trithemius, habitaſſe tunc temporis Frācorum reges in finibus Tungrorum, trans Moſam fluvium in caſtro, quod *Duyſpergum* antiquitus nuncupatum: á termino autem Francorum, aduſq; Ligerim fluvium, Gallos coluiſſe, Romanis ſubditos; trāsLigirim vero regnaſſe Gothos. obierit anno 360.

XXXIX. Poſt hunc imperij habenas CLODIO, acceperit regnaritque annos octodecim. cuius temporibus imperator Iulianus in finibus Argentinenſium cum Alema-

nis

nis pugnaverit; Franci autem Cameracenſem urbem & Galliā aduſq; Sequanā tenuerint; Romani etiam contra Saxones, duce Valentiniano in finibus Francorum cis Oderam haud procul à mari conflixerint. Mortuus anno 378.

Exinde filius MARCOMIRVS regni ſceptra tenuerit annos 15, quo temporis curriculo Inbalchus, modò recte id nomen proditum memini; Francorum dux, cum quindecim Francornm millibus in Aremoricis Galliæ, occidione occiſus fuerit à Maximo, qui ſe Britanniæ regem ferebat. Ipſe vero Marcomirus à Romanis poſtea, qui duce Valentiniano Francos invaſerint, interemptus anno Chriſti 393. XL.

Marcomiro è vivis ſublato, nec maſcula prole ſuperſtite, interrex creatus fuerit frater Marcomiri DAGOBERTVS, qui annos quinque imperaverit; quo etiā tempore Valentinianus Francos à ferocitate potius, quam à libertate nominaverit. XLI.

Secundus à *Dagoberto* interrex, GENEBALDVS imperium tenuerit annos 21. Mortuus anno Chriſti 419. XLII.

Poſt hunc PHARAMVNDVS filius Marcomiri, magni Ducis Francorum Orientalium, admotus regno ſub annum Chriſti 419. XLIII

Cuius filius CLODIO regnarit exinde annos 20: qui Rheno ac Moſa tranſmiſſis, Gallias invaſerit, mortuus anno Chriſti 446. XLIV.

Exinde *Clodionis* filius MEROVEVS ad regni gubernacula vocatus obierit, rebus in imperio præclare geſtis, anno Chriſti 458. Iornandes & eum ſecutus Sigonius ad annum 455. referunt. Trithemius porro ex eadem, ut opinor, Hunibaldi ſui farragine ſuperiorib⁹ adiicit, XLV.

Francos in vrbe Troiana Troiane, in Schytia Schytice, in Germania Germanice; in Gallia denique Gallice locutos; quemadmodum Æneas Troianus in patria Troiane, in Italia Italice.

XLVI. Huic ſucceſſor contigit HILDERICVS; qui bellum adverſus Alemanos moverit, qui tunc Italiam inter & Svevos habitaverint, ubi iam Curienſes ſunt & Sedunenſes etc. Mortuus anno Chriſti 484. Sigonius
XLVII. habet annum 481. Poſt hunc CLODOVEVS regnaverit annos triginta, Qui Alemanis ſuperatis, a Remigio Baptizatus eſt &c. Mortuus anno Chriſti 514.

Huc uſq;, quantum ex Trithemio fuit colligere, hanc Regum hiſtoriam decem & octo libris diſtinctã contexuit Hunibaldus. Nunc, quod ſumus ſecundo polliciti, ad diſquiſitionem ſingulorum veniendum.

CAP. III.

SVPERIORIS EX HVNIBALDO RECITATAE genealogiæ vanitas oſtenſa. & primo ipſi Hunibaldo antiquitatis latibulum detractum.

QVo demonſtretur liquidius, univerſũ hoc Hunibaldicæ recitationis ſyſtema confictum & fabuloſum opus eſſe, ipſi ante omnia Hunibaldo, utpote narrationum harum archego, perſonam capiti detrahendã neceſſariũ video. Nam dum ævo Clodovei, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo claruiſſe, atque eo uſque res ſuas deduxiſſe, præter Trithemium & Irenicum, Lazius, Bero-

baldus, Roſiniacus & ipſe in hiſtoriæ methodo, quod mirari iure licet, Bodinus ſerio referant, aliquid tribuendum homini crediderint etiam alij, propter mille annos. Atque inde quoque factum comperio, Gregorium Turonenſem, Reginonem, Sigebertum aliosque probatæ fidei authores, illo inferiores vulgo cenſeri. At unde quæſo hanc illi antiquitatem adſtruunt? an quod in Clodovei temporibus fabulari deſiit? Videntur enim hoc ſuæ cauſæ patrocinium quærere. ſed quam illud inane & flocci ſit, cum ex hac, tum ſequenti deductione apparebit. Nam quomodo ille Clodovei ætate vixerit, qui ſtilo tam abiecto, quod ex Trithemio patet, res iſtas Latine balbutierit? Clodovei enim ævo quā adhuc Latij ſermonis uſus ac norma conſtiterit, Sidonius Apollinaris, Boetius aliique iſtorum ſynchroni, ſatis ſignificant. & ut illud non ſit, quis claruiſſe quingenteſimo tantum poſt Chriſtum anno docet eum, qui ea dilaudat & nominat, quæ non dico annis aliquot, ſed ſeculis poſt exiſtere primum, atque eſſe in natura rerum cœperunt? Nam *Roterodamum* (ut vel id ſolum in medium nunc adducam) Hollandiæ hodie non ignobile oppidum, quod à *Rotæ* ſeu *Roteræ* rivo ante trecentorum circiter annorū curriculum, nomen accepiſſe Hadriano Iunio Hornano libenter aſſentior, ille non nominat modo ſed eius quoque conditorem *Ratherum* commemorat, qui in ordine Regum eius, ut ante commonſtratum, vigeſimus tertius habetur, & ibidem, Roterodami inquam, humatus fuerit, anno, ut ſupra notatum, Chriſti octuageſimo nono. Quis hic ſtuporem hominis & aſini aures non agnoſcat? Nam ſi ante quindecim

 ſecula,

ſecula, id eſt annos mille quingentos conditum Rot-erodamum fuerit, opidum non tantum in ſolo Bataviæ, ſed intra quoque imperij Romani limitem poſitum; cur eius Plinius, Tacitus, Dio, Svetonius aliiq; eiuſdem claſſis, non meminerunt hiſtoriographi, qui tam diligenter alias, etiam minutarum Bataviæ rerum meminere? & quod maxime oportuit, cur ijdem Ratherum ipſum, Regem, ut iſti volunt, uſque adeo glorioſum, quique, ut poſitum & enarratum iam antecedente Capite, tot adverſus Gallos Romanoſq; expeditiones ſuſceperit; cur inquam, ne tenui quidem ipſum ſignaverunt indicio? cum tamen aliorum tam maiorum, qnam minorum gentium Germaniæ ac Bataviæ principum illuſtria facta, illi ipſi, quos dixi, & Tacitus præſertim, adeo accurate nec parcè deprædicare ſoleant.

Nec eſt quod obijciatur, fieri tamen potuiſſe, ut ævo Hunibaldi, anno poſt Chriſtum natū quingenteſimo id oppidi, Roterodamum inquam, in Bataviâ fuerit; nam id ſi verum ſit, haud dubio nominatum fuiſſet Gregorio Turonenſi, Adoni Viennenſi, Sigeberto aut denique Reginoni, qui res Francorum accurate in ſuas annorum areolas digeſſit, progreſſus ad annum Chriſti Dccccx. Nam quod in eodem Reginone, à Vechelianis edito, ad annum Caroli 778. legiſſe memini, *Celebraſſe* nimirum *Carolū natalē Domini in Aquis, Paſcha in Roterodamo civitate*, facile colligitur ex alijs, Reginone partim anterioribus, partim coævis authoribus, idipſum quoque referentibus, non *Rotherodamo* ſed *Rothomago* ſive, ut tunc ſcribebant, *Rodomo*, eo loci legendum. Illuſtre eius rei exemplum ſe offert

offert in illo diplomate, quod exſtat apud Aimonium lib. 5 cap. i, Caroli Magni, conſignato ſub annum Chriſti 779. ubi, inter cetera, iſtud reperio, ad noſtrũ propoſitum ſpectans : *Propterea per præſens præceptum decernimus (quod, & perpetualiter manſurum eſſe iubemus) ut per nullos portus, neque per civitates, tam in Rodomo, quam in Vuicus, neque in Ambianis, neque in Traiecto, neque in Dorſtade &c exactetur.* Quibus addit Iacobus de Breul annotator, *Rodamum Rothomagum eſt, atteſtante Flodoardo, preſbytero Remenſi, qui de ea civitate loquens ait : Nordmanni de Rodomo foedus, quod olim pepigerant, rumpentes, pagum Beluacenſem atque Ambianenſem depopulantur. & infra, Rollo princeps, mille Nordmannos, præter ipſius habitatores oppidi, ex Rodomo tranſmiſerat.* Hactenus ille. vnde manifeſto ſimiliter liquet *Rodamo*, non *Roterodama*, apud Reginonem rectam eſſe lectionem. Adeo ut Hunibaldus cum civitatis, haud multum ante trecentos annos, quod modo oſtenſum, conditæ meminerit, quis non videat eſſe fabulatorem nuperum, terræ filium, nec ullo modo cum Gregorio Turonenſi, Reginone, Sigeberto, illuſtribus & noti ſtatus ac conditionis Chronologis, vel obiter comparandum? Certe Gregorius Turonenſis, qui anno Chriſti ſexcenteſimo floruit, quod eſſet, ut iſti putant, anno poſt Hunibaldum, centeſimo, is inquam Gregorius libro hiſtoriæ ſuæ ſecundo cap. 9. perquam ſollicitè quæſiviſſe de Regibus Francorum cognoſcitur, num videlicet ante Clodionem & Meroveum Francia Reges aut duces potius, habuerit; pluresque ob id inſpectos à ſe authores, qui Francica tangerent, interque eos, Alexandrum Sulpitium, Renatum Profuturum alioſq; terſe

Reginonis lectio reſti tuta.

loquentes nec non hiſtoricæ veritati convenićtia pro- proferentes commemorat, nulla Hunibaldi vel leviſſima mentione interpoſitâ. Sed dicet fortaſſe quiſpiã, latviſſe aut ignoratum fuiſſe Gregorio; at latuiſſe quomodo potuit genealogia præſertim regum Francicorum, tam certa ſerie, tot libris deducta? Deinde Gregorio quomodo ea ignorata haberi potuit, rerum iſtarum tam ſedulo ſcrutatori? Quapropter ſi quid in hiſce Hunibaldinis ſupraque poſitis occurrat, quod Gregorio Turonenſi, Adoni Viennenſi conſentiĕter memoretur, id nequaquam ex Hunibaldo illos, ſed hunc ex illis ſumſiſſe ſtatuendum, quomodo & ea ipſa, quæ nunc proferemus, ratum omnibuſque palam facient.

Quibus omnibus generatim præmiſſis, extra controverſiam relinquitur recentis omnino, nec antiquitatis appellationem merentis ſeculi impoſtorem hunc eſſe. Idque ut porro pleniuſque eluceſcat, priuſquam ad cetera & ipſum genealogiæ ſupra poſitæ verum & decretorium examen progrediar, hoc præterea, ſuper eodẽ, Ioſephi Scaligeri, herois noſtri, judiciũ ἐν παρόδῳ adjiciam: *Imperito ſeculo impune fuerit Hunibaldo cuidam & Saxoni Grammatico, naſcentibus autem literis Annio monacho Viterbienſi, fabulas ſuas Marrucinis illorum temporum probare. Sed quot ſunt hodie, quos & Hunibaldus & Annius mirificè capit, in tanta luce literarum!* Hæc ille. Sed ad ipſam nunc rem & reges, qui ordine porro memorantur, veniendum: in quibus quod attinet ad totam non modò hiſtoriã, ſed locorum quoq; ſitum, quam chorographiã dicimus, meræ ſimiliter chimæræ ſe offerunt, &, ut dici ſolet*, τυφλὸν ὄνειρον.

Lib. 6. de Emend. Temp.

* [illegible]

Primo

Primo loco producit ex Schytia Regem *Marcomirum* vocabulo Germanico, cum reliqui fere prioris iſtius claſſis, omnes Græcanicum quiddam præferant, ut, *Antenor, Priamus, Diocles, Nicanor, Antharius* alijque ſimiles: Ex quibus facile fucus appareat. Deinde eundem Marcomirum per Saxonum territoria ad oſtia Rheni uno tractu perducit; quaſi Saxones tum Schytis fuerint contermini; ſi tamen ulli in rerum natura tum exſtitêre nomine Saxones; annos nimirum ante Chriſti nativitatem ultra quadringentos. Sed video unde hæc nata ſit fabula. Ado Viennenſis, quod & Vrſpergenſis pro parte ſecutus eſt, refert, in annis Valentis & Valentiniani, Francos egreſſos è Sicambria Mæotidis, perveniſſe in extremas partes Rheni fluminis, ibique annis aliquod cum principibus ſuis Marcomiro & Sunnone cōſediſſe. Hæc impoſtor ille ut rem ſuam faceret, Marcomiri ſervato vocabulo, ſeculis aliquot ante Chriſtum natum contigiſſe ſerio recitans, fabulam ex fabula confinxit. Nam & illud Adonis ſupra quoque refutatum eſt. Sed in eo perquam ſuavis, quod eoſdem Sicambros prope Rheni oſtia collocet, id eſt, ut additur, ubi nunc Hollandi, Gelrenſes & Friſij occidui: idque á Trithemio ſi adnexum (quod tamen, cum ſequentia conſidero, vix exiſtimo) intelligitur quam nec Trithemio nec iſti, quicumque fuerit, Hunibaldo quidquam de veris & primis Sicambrorum ſedibus conſtiterit. Longe enim aliud dictat rei veritas; quod & nos, ſuo loco, ex Cæſare, Strabone alijſque diſtinctè jam ante* notavimus. Nec minoris eſt elegantiæ, quod ſubijcit exinde, in Antenore Regum ex ordine ſecundo; cum nimirum ducta in uxorem Belini Britanniæ regis filia *Cambra* nomine, *Sicambros* extemplo

*Lib. 1. cap. 8. & 9.

Cc appel-

appellare ſuos cœpiſſe. En quam belle Pſeudo-beroſi hic æmulus non tantum, ut ille, ex oppidorum appellationibus, ſed fictis quoque Regum Reginarumque nominibus, novos nobis populos novaque gentium comminiſcitur vocabula, ipſo pæne Beroſo felicius! Sic & *Francus* Rex XVII. (qui claſſe ſecunda primus eſt) abolita viciſſim iſta Sicambrorum appellatione, *Francis* primum id nominis de ſuo indiderit, idque ante Chriſtum annis 37. At tum præcipue floruiſſe Sicambros eorumque nomen longe lateque celebratum, adusque Auguſti adultum principatum perduraſſe, quis ignorare poteſt, qui modò veteris hiſtoriæ aliquē ſenſum habeat? Nam ab Auguſto demum, duce Tiberio, parte eorum in deditionem accepta, trans Rhenum in Gallias traductos fuiſſe Tacitus, Svetonius alijque accurate annotarunt noſque ex ijſdem ſuperius memoravimus. Verum etiam hic erroris aut fabulæ potius fontem ſubodoratum me exiſtimo. Cicero in epiſtola quadam ad Atticum Francones nominaſſe videtur. At extrema Ciceronis ætas in hoc ipſum tempus coinciderit. Ergo tunc Franci fuerint & Francus Rex nominis iſtud per manus veluti ad poſteros tranſmiſerit. Hæc fortaſſis iſti dixerint. Sed quam vanum & illud ſit initio Capitis quarti libri ſecundi ſuperius, evidentibus argumentis oſtendimus; nihil videlicet in ea epiſtola Ciceronem de Germanis, multo minus de Francis (qui tum in rerum natura, quod ad nomen, nulli) voluiſſe agere: Sed de ſatellitio Cæſaris, deque neſcio quo Punicæ proſapiæ, cui Fangoni nomen fuerit, Dio, ut ſupra poſuimus loco iam indicato, *Phangonem* nuncupat: additque ex milite mercenario factum ſenatorem nec ſatis ex fide adminiſtraſſe

ſtraſſe provinciam. Vide lib. 48. Iam de Lollio, quod proxime ſubijcitur, cum adverſus Saxones in Germaniam miſſum, ut ijs ſubiugatis, commodius Germanos, id eſt, Francos aggrederetur, quam id quoque ridiculum non modo ratione hiſtoriæ priſcæ, quæ multis poſt ſeculis Saxones demum agnoſcit & nominat, ſed etiam ratione chorographiæ. Nam ſi demus tunc exſtitiſſe in Germania Saxones, quomodo eos impetere Lollius potuit, quum ultra Albim, Boream verſus, adhuc ævo Ptolomæi fuerint? quomodo etiam eoſdem aggredi potuit intactis ceteris Rheno viciniſſimis Germanis? Quod ergo deinceps refert eundem Lollium ingreſſum mox Saxoniam, primo quidem potitum victoria, ſed fuſum poſtea fugatumque à Franci filio Clodione, qui auxilio Saxonibus venerat, ipſumque Lollium interfecerit; plane eiuſdem cum prioribus furfuris eſt. Nã Dio, Svetonius alijque Romanæ Hiſtoriæ ſcriptores, qui Lollianæ huius expeditionis meminere, Saxoniam ne per ſomnium quidem nominant, Germaniam tantum agnoſcunt: Deinde nuſquam victoriæ Lollianæ, ſed tantum cladis mentionem faciunt; nec tantæ tamen cladis quâ ipſe Lollius occubuerit, quod hic nugivendus, & eum, quod miramur, ſecutus Lazius commemorant. Ait enim Suetonius duas in Germania clades Auguſtum accepiſſe, Lollianam & Varianam: ſed Lollianam maioris infamiæ, quam detrimenti, amiſſa videlicet, ut annotat diſerte* Velleius Paterculus quintæ legionis aquila. Verba ita habent: *Sed, dum in hac parte imperij omnia geruntur proſperrimè, accepta in Germania clades ſub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ quam rectè faciendi, cupidiore, & inter ſummam vitiorum diſſimula-* Lib. 2. hiſt. Rom.

 tionem

tionem vitioſiſſimo; amiſſaque legionis quintæ aquila votâvit ab urbe in Gallias Cæſarem. Dio Caſſius rem ita narrat, ut facile appareat, quâ parte Germaniæ vel potius, quâ in Germaniâ id geſtum fuerit; deinde vanum etiam eſſe de cæde atque internecione Lollij. Nam ita Dio lib. 54. *Sicambri, Vſipetæ & Tencteri, primum quoſdam in ſuo territorio deprehenſos Romanorum in crucem egerant: deinde, Rheno tranſmiſſo, ex Gallia prædas egerant, equitatum Romanum contra ſe miſſum per inſidias circumvenerant: & à fugientibus uſque ad Lollium præfectum præter opinionem pertracti, hunc quoque vicerant. Quibus cognitis Auguſtus adverſus eos expeditionem quum ſuſcepiſſet, bellum nullum gerendum habuit. Barbari enim cum Lollium arma parare, Auguſtum exercitum adducere audirent, in ſuam terram regreſſi, obſidibus datis, pacem acceperunt.* Vnde patet, tantum abeſſe ut iſta contra Saxones, aut in terra Saxonum à Saxonibus geſta ſint, ut ne quidem in Germania tranſrhenana aut magna, de qua ſuperius egimus, ſed ciſrhenana, id eſt, Gallia Belgica perpetrata adhuc à Sicambris, Rheno tranſmiſſo, fuerint; quin & cladi ſuperfuiſſe Lollium; Lollium dico, qui poſt id, non ad Rhenum, ſed Euphratem, obijt, moderator ab Auguſto datus Caio Cæſari res adverſus Parthum gerenti. Quomodo autem obierit accurate recenſet Velleius Paterculus tum militum tribunus, ſub eodem Cæſare ſtipendia ibidem faciens. Sed verba ipſa prout ea recitantur 2. Hiſtor. libro apponam: *Prior Parthus apud Caium in noſtra ripa; poſterior hic apud regem in hoſtili epulatus eſt. Quo tempore M. Lollij, quem veluti moderatorem iuventæ filij ſui Auguſtus eſſe voluerat, perfida ac plena ſubdoli ac verſuti animi conſilia, per Parthum indicata Cæſari, fama vulgavit: cuius mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fue-*

rit,

rit, *ignoro*. Quam itaque nihil in univerſa illa Hunibaldica recitatione Regumque illa, quam adhuc vidimus, genealogia ſani ſit, hinc, ut puto, ſatis ſuperque poteſt colligi. Sed dices, Euſebium tamen videri idem cũ Hunibaldo dicere, potitum nimirum victoriâ contra Germanos Lollium. Legitur enim numero M M: *Germanos in arma verſos* M. *Lollius ſuperat*. Verum ſciendum accuratè notatum nuper illuſtriſſimo Ioſepho Scaligero, peccatum eo loci ab Euſebio non tantum ratione temporis, ſed etiam hiſtoriæ, ſuperatum ſcilicet à Germanis M. Lollium non autem ſuperaſſe: Idque anno ſequenti L. *Domitio Ahenobarbo*, & *P. Cornelio Scipione* COSS. ut ſimul etiam hinc appareat fons & occaſio cõmenti Hunibaldici. Sed injecta Scaligeri mentio degrediendi hic pauliſper veniam faciet. Dũ enim iſta commentamur, triſtis ejus * obitus ad aures noſtras accidit. Et licet præter ætatem nihil paſſus videri poſſit, utpote qui annorum ſenilium, ſimulq; invidiæ atq; ævi hujus nimbos omnes ac nubes, felici ac læto paſſu, ſuperarit; quanta nihilominus rei literariæ jactura facta ſit; quod ſui reliquerit deſiderium; quæ denique ſtudioſorum ſpes opeſque conciderint, nos poſterique intelligent. Nam de operibus ejus meritorumque gloria, quidquid dixero minus erit. Dicam hoc tamen, ſed poteæ paululum immutatis verbis, fuiſſe illum,

* An. 1609. 12. Kal. Feb.

Opponat olim quem viris prioribus
Ætas recentis temporis,
SOLEM SALEMQVE *doctioris ſeculi*;
EXEMPLAR *unum in literis,*
Quas aut Athenis docta coluit Græcia,

Aut Roma per Latium colit:
Chaldæa vel quas, cultus aut Arabs dedit,
Iudæa nec non & Syri.
Vivent per omnem poſterorum memoriam,
Quos ille famæ tradidit
Plus ille Varroni dediſſe noſcitur,
Quam conſulatus addidit.
Euſebium alta deprimebant ſtigmata,
Nec temporum ſtabat fides:
Abſterſit illum; quin & illam reddidit,
Labore utrumque maximo.
Quanto ergo vivet ipſe poſt rogum magis,
Ejuſq; laus perennior;
Vitale qui tot contulit lumen viris?
Cui Tempus ipſum obnoxium?

Verum ad inſtitutum recurrat oratio, ne quis meritò, quaſi prolixius hæc agentem, arguere poſſit: quamquam Plinium in Naturali hiſtoria frequenter in ejuſmodi locos digredi, vel voluptatis cauſa, video. Me non amænitas aut voluptas, ſed dolor & officium, quod amico & heroi præſertim tanto debebatur juſtè avocavit.

Quod ergo continuo exinde in *Clodione* Franci iſtius, ſi dis placet, filio conſequitur, Rege XVIII; Eum nimirum anno Regni ſui quarto cum Tiberio fortiſſime dimicaſſe; falſum pariter eſſe vel inde liquet, quod certũ ſit ex veteribus ac fide dignis rerum geſtarum memoriis, & verbis præſertim Vellei Paterculi, non Tiberio, ſed fratri ejuſdem Claudio Druſo, poſt Lollium, curam atque onus Germanici belli delegatum; nec ante ne-

goti

gotij iſtius molem in Tiberium tranſlatam quam ibidem, aliquanto poſt tempore defuncto Druſo; ut omittam ejuſmodi Clodionem exſtitiſſe tum in rerum univerſitate nuſquam vel per ſomnium innuere authores veteres. Paterculi quæ reſpexi verba diſertiſſima ſũt hiſtor. Romanæ ad M. Vinicium COS. libro ſecundo, ubi, poſtquam dixiſſet de Marco Lollio, ejuſq; in Germania inferiori accepta ab Vſipetis ac Tencteris clade, quemadmodum ex Dionis quoque addito loco retulimus, hæc ſtatim & continuo adjiciuntur: *Cura deinde atq; onus Germanici belli delegata Druſo Claudio, fratri Neronis Tiberij, adoleſcenti tot tantarumq; virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria percipit; cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt &c.* Atque inde, mortuo in Germania Druſo, de fratre Tiberio, ſucceſſore ejus, ita porro ibidem narrat: *Sed Druſum, magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo eius gentis variis in locis profuſo ſanguine, fatorum iniquitas, conſulem, agentem annum triceſimum, rapuit. Moles deinde eius belli* (Germanici) *tranſlata in Tiberiũ Neronem eſt, quod is ſua & virtute & fortuna adminiſtravit, &c.*

Non hic repetã, quæ de *Rathero* deinceps, Rege XXIII referuntur, oppidi ſcilicet Roterodamenſium primo conditore, utpote jam * modò ſatis confutata: Vnum tamen prætereundum non eſt, quod ait, Ratheri hujus ſucceſſorem regem *Richimerum*, plurimas cum Romanis pugnas pugnaſſe, quas verſibus celebraverit Ruthimicus Francorum vates: nam quærere hîc libet, quis ille Ruthimicus? quando & ubi conſcripti, quos innuit, rhythmi? Hoc enim conſtare ante omnia oportet, ut fides atque authoritas poetæ accedat. Nec alia cautione *Pag. 197.

dictum

dictum voluit Tacitus, antiqua quædam apud Germanos carmina, unum memotiæ & annalium genus fuiſſe: antiqua enim dicit, & quæ per manus veluti tradita ab annis fidē acceperunt, ut ita ſimul poetaſtros omnes ineptoſq; & novitios excludat rerum & hiſtoriæ rudes, qui fabulis tantum ludentes animos otioſos atq; ignavos oblectent ſoliſque, ut ille dicebat, *pueris placeant*; cujuſmodi paſſim atque omni in gente reperiri nemini ignotum eſt.

Iam de *Hilderico*, qui regum trigeſimus erit, vt miſſos faciam inter medios, quam facetum eſt, quod interſerit, ejus demum ævo fabricare Francos atque ædificia conſtruere cœpiſſe; cū antea in Marcomiro rege vigeſimo ſexto, qui centum plus annis hunc Hildericum, ut vult, præceſſerit, Francofurtum conditum retulerit. Quid hoc homine faciendum, niſi vt ad Anticyras amandetur?

Quod porro ſubjungitur, *Barthero* rege regnante, qui in ordine eſt trigeſimus primus, annum circiter Chriſti 207. Romanis ſub Galieno torpentibus otio, expeditionem in Italiam Francos ſuſcepiſſe, omniaq; aduſque Ravennam depopulatos, ſimiliaq; exinde, auxilio Saxonum in Hiſpanijs perpetraſſe, non ſeriem modò hiſtoriæ, ſed gentes cum gentibus confundit: cum id tantum ſuggerant eius ævi annales, occaſione Galieni, veneri & ventri magis, quam imperij rebus intenti, varie vexatum fuiſſe Romanum imperium tam à Gothis, quàm ab Alemanis Germaniſque qui tum, Francorum vocabulo, contra Galienum Poſthumo auxiliares juncti, innoteſcere Romanis cœperant (quomodo jam ante, ſed obiter annotatum, inferius referemus accuratius)

nuſquam

nuſquam interim vel apud Trebellium Pollionem vel Eutropium, vel etiam Euſebium aliosq; , qui proprie hæc tangunt, *Bartheri* regis vel leviſſimo ſe prodente indicio.

Sic nec illud, quod prolixe narratur in *Clodomito*, regum ſcilicet trigeſimo quarto, conſtitutum nimirum, eo ſceptrum tenente, Franciæ Orientalis in Thuringia Ducatum per *Gencbaldum* Clodomiri iſtius fratrem, uſpiam in veterum ſcriptis fide atque autoritate pollentibus eſt reperire. Et quomodo tum Franci ducatum ibi conſtituerint, anno videlicet Chriſti 320, cum totũ illum tractum Alemani adhuc tenerent & Svevi, nec nota etiamnum exiſteret Thoringorum appellatio? Patet enim ex Ammiano Marcellino, qui res ejus ævi accuratè contexuit adusq; Valentinianum & Valentẽ, id eſt, ad annum Chriſti 378, univerſam illam ditionem Alemanorum perpetuo tum intellectam; Francorum verò longè verſus Rhenum occiduum, inferiorem fuiſſe, uti jam ante ſuo loco monſtratum eſt. Poſt id rerum potiente *Richimero* (qui Regum trigeſimus ſeptimus ſit) Romani & Franci, Duce Romanorum Tiberiano, prælium commiſerint: quod unde hauſtum ſit, non invenio. Meminit quidem Euſebius Tiberiani ſub idem hoc ferè temporis, anno videlicet Chriſti 337, ſed de prælio nihil. Et adde variare lectiones in codicibus MSS. Euſebii. Nam reperit in duobus, quẽ modo nominavi, Ioſephus Scaliger, *Titianus* (non *Tiberianus*) *vir diſertus præfectus Prætorio Gallias regit*. Vnde colligas ad ſuum id inſtitutum, licet lectionum varietate dubium atque obſcurum, rapuiſſe agyrtam. Nam quod initio præfationis in Aurelianum Vopiſcus etiam Ti-

beriani meminerit, verum quidem eſt, ſed ut urbis, nõ Galliarum præfecti.

Hujus Richimeri ſucceſſor *Theodomirus* filius fuerit, cujus ſolius mentionem fieri apud unum Gregorium Turonenſem comperior. Qui ita de eo loquitur lib. 2. Cap. 9. *In conſularibus legimus Theodomerem regem Francorum filium Richimeris quondam, & Aſcilam matrem eius, gladio interfectos.* Dicit quidam interfectos, ſed à Romanis interfectos, quod iſte refert, ut ſupra patuit, non additur. Verba Turonenſis ut clarius intelligantur, locum ipſum paulo plenius adſcribam; Ita autem habet, poſt indicata Sulpitij Alexandri, Renati Frigiderij aliorumque Hiſtoriographorum de Francis loca aliquot: *Hanc nobis notitiam de Francis memorati Hiſtorici reliquêre, regibus non nominatis. Tradunt enim multi eoſdem de Pannonia fuiſſe digreſſos. Et primum quidem littora Rheni amnis incoluiſſe: dehinc tranſacto Rheno Thoringiam tranſmeaſſe: ibique iuxta pagos vel civitates, reges crinitos ſuper ſe creaviſſe, de prima, & ut ita dicam, nobiliori ſuorum familia. Quod poſtea probatum Clodovei victoriæ tradidere; idque in ſequenti digeremus. Nam & in conſularibus legimus Theodomerem regem Francorum, filium Richimeris quondam & Aſcilam matrem eius, gladio interfectos. Ferunt etiam tunc Clogionem utilem ac nobiliſſimum in gente ſua regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum, caſtrum habitabat, quod eſt in termino Thoringorum.* Hactenus Turonenſis. In quibus, præter quæ diximus, notandum, quam *Haſtillam* apellat Hunibaldus hic apud Turonenſem *Aſcelam* dici. Quæ autem ſubnectuntur, habitaſſe tunc reges Francorum in finibus Tungorum

rum trans Moſam fluvium, hinc quoque ſine ullo iudicio deſumta ac derivata facile eſt animadvertere. Nam & Gregorius, non quidem Richimerem aut Theodomerem, ſed Clodionem habitaſſe ait apud caſtrum Dyſpargum in termino Thoringorum: Quod & alij, ut ſuo monſtrabitur loco, memorant, tantum quod *Tungorum*, non *Thoringorum* habeant, veriorque ſit lectio. Quis enim ignorat Dyſpargum oppidum non in Thuringis, ſed infra Coloniam Agrippinam in ſolo magnæ Germaniæ Rheno hodieque, adſitum? Vt vel hinc etiam pateat genealogiæ ſuperioris conditorem fuiſſe hominem non tantum omnis hiſtoriæ, ſed locorum etiam præſertim Rheni occidui omnino imperitum, qui non ad Rhenum, cuius nullam mentionem facit, ſed ad Moſam fluvium Dyſpargum videtur voluiſſe referre. Nec alia fere ſunt, quæ deinceps adferuntur; ut pigeat pæne ſigillatim perſequi. Duytsburch.

Nam in *Clodione* trigeſimo-nono quod refert profligatos à Valentiniano Saxones in finibus Francorum cis Oderam, quid dici ineptius aut magis ἄτοπον potuit? Retulerat in Appendice Chronici Euſebiani Hieronymus, cæſos à Valentiniano Saxones in regione Francorum Deuſone, uti pluribus explicavimus ſupra, ille pro libitu, & ſuo captu cis Oderam, qui trans Albim labitur, extra omnem veterum Francorum terminum, id factum confingit: adeo ut magis magiſque appareat authorem huiuſce catalogi fuiſſe bucconem aliquem ingenij bardi, blerini atque ævi plane novitij.

Sic & iterum ſibi pugnantia loquitur in ijs, quæ de Dagoberto rege, ut vult, XLI. commemorat, eo videlicet imperante anno Chriſti 394. Valentinianum Francos à feritate potius quam à libertate nominaſſe, cum ipſe jam ante Francici nominis occaſionem atque originem Franco, eius nominis primo regi, tranſcripſerit. Saltem, quod dici ſolet, mendacem oportuit eſſe memorem. Sed more hoc fit, ut rerum inanium ac falſarum architecti, eorum, quæ prius dixerint, obliti, diverſa à ſuperioribus proferant. Itaque & ille, circa tempora Valentiniani Dagobertum hunc confingens, memorque Adonem Viennenſem iſtud de Francorum feritate ibidem Valentiniano (quamvis falſo, ut & ſupra oſtenſum) tribuere; eo quoque veluti emblemate ſuam exornare fabulam dum nimis avide ſatagit, excidêre, quæ dixi attuliſſe ſuperius iſtis ex diametro ac διὰ πασῶν adverſantia. Denique & hoc notandum, Dagobertum ibidem nõ regem, ſed interregem appellari, utpote ſucceſſorem fratris ſui Marcomiri, quem maſcula prole deſtitutum obijſſe vult; ut ità à Dagoberto in Genebaldum; à Genebaldo in Pharamundum, quaſi duces ij Orientalis Franciæ fuerint, Francorum regium tranſferret titulum ac decus. Vnde ſimul colligere ſit, fuiſſe haud dubio, quicunque iſthæc commentus primum fuerit, aliquem ex Franciș Orientalibus, Franconiam vulgo dicimus, oriundum: quippe qui gentis ſuæ laudes tam effronti atque enormi ſub titulo proſtituere, inſano quodam cacoethe, voluerit. Nam iſta de Dagoberto quod attinet, perſentiſcere quoque ac ſubodorari fere videor, unde profluxerint. Exſtant hodieque nomenclaturæ in ſuperiori iſta Germania, Thuringia præſertim,

quæ

quæ *Dagoberti* mentionem ac memoriam renovant, ut ſunt *Dagobertſleta* prope Ertfurdiam : & *Dagoberthuſa*, prope Marpurgum in Haſſia: & ejuſdem nominis pagus in Rheni ripa, haud procul á Colonia Agrippina: Hinc impoſtor fabulæ ſuæ plauſum ac gentis gratiam aucupans, Dagobertum quoque aliquem ex Orientali iſta quaſi Franconia arceſſendum ſuiſque interſerendũ regibus credidit; quo inde auſpiciũ ſcilicet, ac regiæ ſtirpis, uti innuimus, originem repetendam ſequentibus, quaſi intento digito, oſtenderet; Cum tamen, ut ſæpe jã dictum, atq; infra patebit uberius, nulla tunc temporis, anno nimirum Chriſti 394, ibi fuerit vel Orientalis Francia, vel Franconia. Vocabula autẽ iſta atque appellationes locorum, *Dageberthuſa* & *Dagobertſleta*, ſub *Dagobertis* demum ſeculorum conſequentium & natæ ſimul inditæque. Quorum prior Dagobertus, anno Chriſti 632; alter 716 claruit : iis nimirum temporibus, cum jam Orientalis Franciæ appellatio, ab uſque Clodovei ævo, in uſu atque ore haberi ac eſſe omnium cæpiſſet, Francique univerſæ ditionis Thuringicæ poſſeſſionem inviolatam atque integram tenerent.

Sed ad illa nunc noſtra certiſque authoribus tradita gradum moveamus.

CAP. IV.

DE VERIS SICAMBRORVM FRANCORVM-que veterum, ante & poſt ætatem Pharamundi Regibus, ex probatis relatum authoribus: & quis olim creandorum Regum apud Germanos Francoſque mos fuerit, & quale quoque eorundem imperium, breviter præmiſ-ſum.

NOn diſparent, niſi exorto ſole, tenebræ; ſic nec falſa; niſi rerum ex vero repetitarum oppoſitu compoſituq;, penitus evaneſcunt: Cum itaque ſuperiori Capite, eſſe res illas Hunibaldi totamque ejus de Franciis Sicambriciſque regibus narrationis ſeriem vanam & fabuloſam luculentis probationum argumentis, idque affatim, oſtenſum putem; nunc quod ſequitur cum Sicambrorum, tum Franciæ primæ veros Reges ab auctoribus certis & ævi, de quo loquuntur ſynchronis, nominatim proditos, quantum poteſt, colligere atque illis fictitijs opponere inſtitui; ut certo porroque diluceat, nec veri quidem umbram ullam in iſta Hunibaldica recitatione tota expectandum; cum ea præſertim retulerit eoſque reges citarit, quos illorum nullus, qui tunc vixere quique literis talia apud Græcos Romanoſque prodidere, vel nominet leviter; illa verè eoſque principes, quos verbotenus claſsici nominant, ille ne quidem attigerit. Quis non nugas & næ-nias dicat ſi quis Indica hodie, Indorumque regulos recenſeat, taliaq; narret quæ nullis reperiantur in monumentis

mentis eorum, qui iſta ex profeſto, ac teſtes quodãmodo oculati tractaverint? Et maxime ſi ejuſmodi ea fuerint, quæ ſummam ſtatus ac reipublicæ ſpectent, cujuſmodi ſunt de quibus nunc agimus illuſtria bello paceque regum imperia.

Verum priuſquam rem ipſam aggredior, illud etiãnum præmonendum video, non fuiſſe videlicet apud Germanos atque inde Francos eum jmperij modum, eumque ſtatum, quem ſibi finxiſſe videntur ijdem Hunibaldici, ut certa tantum hæreditatis ſucceſſione reges fierent; ideoque nec merum eorum exſtitiſſe imperiũ. Nam diſerte indicat Tacitus habuiſſe reges Germanorum (quo ex genere Francos prodiiſſe jam ante monſtratum eſt) minime liberam aut infinitam, ſed determinatam potius ac legibus circumſcriptã poteſtatem; ipſos autem reges ex nobilitate aſſumi ſolitos. Verba ejus ſunt libro de moribus Germanorum: *Reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumunt*. Et ſtatim: *Nec Regibus infinita aut libera poteſtas*. Quod ipſum plenius exinde, pluribuſq; verbis repetit, & quaſi interpretatur, ubi de publicis eorundem comitijs loqui inſtituit. Nam ità inter alia refert: *Mox vel Rex vel Princeps, prout ætas cuiq, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur*, AVTORITATE SVA PENDI MAGIS, QVAM IVBENDI POTESTATE. Quin & illud indicio eſt, quanta ſemper libertate ipſe populus ſubditique egerint, quod addit ibidem, non niſi ſerio iterumq; vocatos ad publicos conventus accedere conſueviſſe, quod eleganter, *vitium ex libertate* nominat, cum inquit: *Illud ex libertate vitium, quod non ſimul, nec juſſi conveniunt, ſed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium abſumitur*.

Vnde

menſibus editorem antiquæ Germaniæ, illum de Friſiis inſignem Taciti locum, poſt habitâ, imo rejectâ veteri iſtâ & in archijs Florentinis reſervatâ manuſcriptâ lectione, reſcribere ad ſui cerebri ſenſum, *in qua tum Germani rebellabant*. Quo quid à re aut ratione hiſtoriographi alienius? Nam dicere in Friſica natione Germanos rebellaſſe, quid ſit aliud quam Friſios aliam fuiſſe nationem à Germanis ſtatuere? At ipſi Friſij transrhenana gens, cum ſint fuerintque Germani, quomodo in iis rebellaſſe dicentur Germani? Apage tam inculta atque incondita à cultiſſimo Scriptore Tacito. Et dicendum hoc, vel juventutis cauſa, ſemel fuit, ob effrenem iſtam cum immodeſtiam tum confidentiam hominis, ſub titulo ac ſpecie geographi, paſſim pro animi libidine in optimos authores, & Tacitum præſertim, cum in modum graſſantis; &, quod accedit, ſibi uni judicium omne & cenſionem vindicantis. Sane ſi ſic pergitur, nec fibula talibus imponatur, nonnecũ Domitio Afro tandem habeamus dicere? *Centumviri, hoc artificium perijt*. Sed in viam. Tale ergo Germanorũ imperium fuiſſe hinc liquet; nec aliter obtinuiſſe, cum jam iidem, aſſumto Francorum vocabulo, imperitarẽt, ex eò perſpicuum eſt, quod & tum quoque concilio gentis electio Regum ceteraque permiſſa. Vnde de Childerico Rege Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 12. *Franci, eiecto Childerico, alium ſibi adſciſcunt*. Et, mortuo Pipino, Carolum & Carolomannum conſenſu Francorum reges creatos, dicit Aimonius. Sed de hoc aliiſque huc ſpectantibus, uberius, ubi de rebus atque inſtitutis gentis. Nunc Reges ipſos nominetenus videamus.

CAP. V.

SICAMBRICORVM REGVM CATALOGVS ET ſtemma, eorumque appellationes eſſe Germanicæ originis commonſtratur.

REges Sicambricos, quorum apud veteres mentio, quamvis inſtituti noſtri proprie non ſit, attingemus tamen, quia ſuperius (ubi de Francorum origine & ſedibus dictum) ex iis profectos Francos eorundemq; antiquitus ſedes ac territoria præcipue tenuiſſe commõſtravimus. Quin & Hunibaldinæ genealogiæ ſuperior ſeries id ipſum quoque poſtulare videtur. Cum enim ibi Sicambrorum tot reges, iique Græcis fere nominibus, producantur, oſtendendum quoque obiter, non modo nullum in ijs reperiri, qui à claſſicis fideiq; probatæ ſcriptoribus proditus olim nominatuſq; ſit; verum eos quoque, quos nominavere claſſici, nõ Græcis aut Trojanis vocabulis, ſed Germanicis, & patrium ſolum indicantibus nominibus relatos. Sic Strabo, qui Geographicos commentarios ſuo, id eſt, Græcanico idiomate poſteris reliquit, nullos *Antenoras*, *Priamos*, *Helenos*, *Caſſandros*, *Antharios* ſimileſve recenſet, ſed omnium primò *Melonem* nominat Sicambrorum principem: quam & eſſe nomenclationem planè Germanicam hodieque Friſij recognoſcunt, quibus ejuſmodi appellatio, quod & ſupra monui, hodieque eſt uſitatiſſima. Eique *Meloni* fratrem fuiſſe idem Strabo adjicit

jicit *Batoritum* ſeu *Batorichum*, clari itē apud Sicambros nominis: cujus deinde filium *Deudorichem* iiſdem imperaſſe apparet ex eodem Strabone; Qui hunc in modum hæc vocabula ad poſterorum memoriam perſcripſit: *Belli initium fecere Sicambri Melone duce, Rheno vicini.* Et poſt pauca: *Pœnas univerſi dedere ac Germanico iuniori pulcherrimam triumphi materiam, in quo is illuſtriſſimos viros ac fœminas duxit: de quibus Sigiſmundus, & Segeſti filius Cheruſcorum dux ſororque ejus: & uxor Arminij, qui belli dux fuerat Cheruſcis cum violatis pactis Varum Quintilium invaderent, atque etiamnum bellum fovet, nomine Thuſnelda ac filius tres natus annos Thumelicus: nec non Zæſithacus Zigimeri F. Cheruſcorum ducis, ejuſque uxor Rhamis, filia Vcrcmeri (Tacito Catumeri) Chattorum ducis; & Deudorix Batoritis filius, qui frater erat Melonis, Sicāber.* Quorū poſterius hoc ita Græcè habet, Καὶ Δευδόριξ Βαιτόριτος τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ Σόγαμβρος. Vnde ejuſmodi ſtemma conficitur:

Melo ———————	*Batorix.*	Sicambrorum Reges. quorum *Melo* annum circiter Chriſti IX. claruit.
	| *Deudorix.*	

Quin & hos ipſos gentis Sicambricæ principes, aut certe *Melonem* fuiſſe, ex Strabone atque etiam Dione licet colligere, qui M. Lollium, de quo ſuperiori Capite egimus, cum copiis profligaverint, quintæ legionis aquilâ, quemadmodum ex Paterculo inſuper adjecimus, potiti: poſteaque ab Auguſto & eodem viciſſim Lollio fugati; quod jam ante ex Dione, aliiſq; authoribus patuit; etiam Horatius notaſſe aut eò reſpexiſſe videtur, ijs verſibus:

Lib.4.Od. 2. *Concines maiore poeta plectro*
Cæſarem, quandoque trahet feroces
Per ſacrum clivum, merita decorus
fronde Sicambros.

Et alibi iterum:

Ibid. Od. 15. *Te cæde gaudentes Sicambri*
Compoſitis venerantur armis.

Sed proprie hic facit, quem diximus, Strabo, qui de rebus ſimiliter Auguſti agens, itá inter alia loquitur: *Belli initium fecêre Sicambri, Melone duce, Rheno vicini. atque hinc alij poſt alios ſucceſſêre, potiti imperio, eoque deturbati poſtea: rurſumque inde deficientes fide atque obſidibus proditis.* Nam iis in verbis notandum plures Meloni, præter jam modò nominatos, ſucceſſores fuiſſe: eorũque *Segeſtem* præcipue intelligendum, cum ob ea quæ refert deinde Srabo; tum ob verba Taciti, qui libro 1. Annal. Segeſtem proditorem Germaniæ, & ad Romanos defeciſſe ait ubi de Arminio ipſoque Segeſtē, inter cetera, ſic refert: *Spes inceſſerat diſſidere hoſtem in Arminium ac Segeſtem, inſignem utrumque perfidia in nos aut fide, Arminius turbator Germaniæ; (ex ſententia Romanorum, non autem Germanorum) Segeſtes, parari rebellionem ſæpe alias, & ſupremo convivio poſt quod in arma itum aperuit: ſuaſitque Varo, ut ſe, & Arminium, & ceteros proceres vinciret: nihil auſuram plebem principibus amotis, atque ipſi tempus fore, quo crimina, & innoxios diſcerneret. Sed Varus fato, & vi Arminij cecidit. Segeſtes, quamquam conſenſu gentis in bellum tractus, diſcors manebat, auctis privatim odijs, quod Arminius filiam eius alij pactam rapueret. gener inviſus, inimici ſoceri, quæque apud concordes vincula charitatis, incitamenta*

irarum

irarum apud infenſos erant. Et ipſam defectionem propius tangens Strabo, *Segeſtes*, inquit, *Arminij ſocer, cum initio ſententiæ generi reſtitiſſet, capto tempore ad Romanos transfugerat, tumque triumphum, in quo ducerentur ei chariſſima in honore ipſe habitus à Romanis, ſpectavit*; Occaſionem defectionis, & quomodo ad Romanos tranſierit, ita porro narrat Tacitus: *Neque multo poſt legati à Segeſte venerunt, auxilium orantes adverſus vim popularium à quîs circumſidebatur; validiore apud eos Arminio, quando bellum ſuadebat. Nam barbaris quanta quis audaciæ promptus, tanto magis fidus rebuſque commotis potior habetur. Addiderat Segeſtes legatis filium, nomine* Segimundum. *Sed iuvenis conſcientia contabatur. quippe anno, quo Germaniæ deſcivere, ſacerdos apud Aram Vbiorum creatus rapuerat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in ſpem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneque exceptus, cum præſidio Gallicam in ripam miſſus eſt. Germanico pretium fuit, convertere agmen: pugnatumque in obſidentis, & ereptus* Segeſtes *magna cum propinquorum & clientium manu. Inerant fœminæ nobiles, inter quas uxor Arminij, eademque filia* Segeſtis, *mariti magis, quam parentis animo, neque victa in lacrimas, neque voce ſupplex, compreſſis intra ſinum manibus gravidum uterum intuens. Ferebantur & ſpolia Varianæ cladis, pleriſque eorum, qui tum in deditionem veniebant, prædæ data. Simul Segeſtes ipſe ingens viſu, & memoria bonæ ſocietatis impavidus.* Hactenus Tacitus. Adeo ut ex hiſce quodammodo appareat, hunc præſertim Segeſtem Sicambris quoque aut ſocium aut principem quaſi adfuiſſe, ſed fidem fefelliſſe, quod innuere præſertim Strabo voluerit, loco jam ante recitato. Vocabulum autem purum putum eſſe Theutoniæ, præſertim ſi efferamus, Annal. 1.

Segaſtum , atteſtari poſſunt appellationes non diſſimiles, ut, *Arbogaſtes*, *Salogaſtes* & *Wiſogaſtes* apud eoſdem Theuthones, & Francos præſertim, ævo conſequenti. Nec memini, ſi qui præterea tũc nominati fuerint Sicambrorum principes. Nam alias univerſum illum occiduæ Germaniæ diſtrictum ſingulos & ſeorſim ſuos habuiſſe regulos liquet. Sic Friſij, quos Auguſti adhuc ævo, ſub vocabulo & claritudine Sicambrorum occultatos ſupra oſtendi, *Verritum* & *Malorigem* Reges habuerunt, imperante Nerone, circa annum Chriſti 62. Bructeri *Velledam* reginam; Cheruſci *Arminium*, *Segemerum*, *Italum*; de quo (ut reliquos nunc mittam) operæ eſt audire Tacitum, ob ea, quæ de moribus atque inſtitutis veterum Germanorum in eligendo rege, obiter jam modo retuli. Sic ergo ait: *Eodem anno* (Claudii nimirum) *Cheruſcorum gẽs Regem Roma petivit, amiſſis per interna bella nobilibus & uno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus è Flavio fratre Arminij. Mater ex Catumero principe Cattorum erat. Ipſe forma decorus & armis equiſque in patrium noſtrumque morem exercitus.* Sed eviluiſſe præſentem & arma in ejectũ moviſſe Cheruſcos, addit deinde ibidem Auctor. Chaucorum porro principem *Gennaſcum* reperio, natione Caninefatem: Cattorum verò *Catumerum* præcipue & *Arpum*; Adeo ut ſtultum planeq; rerum Germaniæ veteris ignari fuerit, quod in Hunibaldo ejuſque admiratoribus patuit, ex ultima ac remotiſſima Troja imaginarios falſoſque Germaniæ Sicambriæque Reges velle conquirere, cum domi tam locuples, ſuppetat verorũ copia. Idque in Francicis quoq;, ut ſimili modo, & ad oculũ, quod dicitur, pateat, de ijs nũc dicere incipiam.

CAP.

CAP. VI.

FRANCICI REGES, QVORVM PLERIQVE vulgatis Francorum annalibus hactenus incogniti, nominatim ex veterum memorijs eruti indicantur.

GRegorius Turonenſis, quod & ſupra innui, licet perquam ſollicite de primo Frãcorum rege deque regibus in genere Francorum, qui ante Clodionem fuerint, quæſiviſſe videatur, nullos tamen niſi duces nominatos repperiſſe ſe ait, cum inquit libro. 2 cap. 9, *De Francorum regibus quis fuerit primus à multis ignoratur. Nam cum multa de ijs Sulpitij Alexandri narret hiſtoria, non tamen regem primum eorum ullatenus nominat; ſed duces eos habuiſſe dicit: quæ tamen de eiſdem referat, memorare videtur. Nam cum dicit, Maximum inter Aquileiam, amiſſa omni ſpe imperij quaſi amentem reſidere, adiungit: eo tempore Genebaldo, Marcomere & Sunnone ducibus, Franci in Germaniam prorupere, ac pluribus mortalium limite irrupto cæſis, fertiles maxime pagos depopulati, Agrippinenſi etiam Coloniæ metum incuſſere.* Vnum interea, non quidem ex Sulpitio, ſed è Conſularibus, ut ait, Regis nomine adducit, cum inquit ibidem ſub finem fere capitis jam indicati: *In Conſularibus legimus Theodomerem regem Francorum filium Richimeris quondam, & Aſcilam matrem eius, gladio interfectos.* Qui locus & antea, ſed obiter nobis indicatus. Nec video quo referendus ſit iſte *Theodemeres* cum nec anni æra nec Conſulum nomina laudentur, niſi forte illius Richomeris filius fuerit, cujus honori-

fice

ſice meminit Ammianus in rebus Valentis & Gratiani; ubi non obſcure Francici fuiſſe, imo & Regij generis indicatur, Romaniſque auxiliaris acceſſiſſe adverſus Gothos. Nam & domeſticorum ibidem Comitem appellat, nec ſtrenuum modò, & fortem in adeundis periculis virum; ſed dignitatis quoq; ac natalium ſplē-dore clarum. Eo idcircò, unà cum *Genebaldo*, *Sunnone* ac *Marcomere*, quorum ut ducum Sulpitium meminiſſe jam dictum eſt, ſuo mox ordini ac loco reſervato, quoſcunque præterea à prima gentis origine, quantum id concedetur, Regum titulo inſignes, cum ex Ammiano Marcellino (quem ne legiſſe quidem Turonenſẽ liquet) tum Panegyricis aliiſque præſentibus fere eorũ, quæ ſcribunt, atque oculatis teſtibus, colligere fuit, uno veluti aſpectu, obſervata temporum ſerie, cum nominum atque appellationum notionibus vernaculis apponam, ut ita ad ea ſimul, quæ proximo libro de rebus regum ac gentis domi foriſq; præclare geſtis producemus, quaſi ſemita ac via ſternatur.

Et primo quidem, ab ea nimirum tempeſtate, qua innotuiſſe ſub Galieno Francicum nomen ſupra notatum, Regum appellatione cenſitos authoribus primos omnium reperio *Genebaldum* & *Eſatech*, imperantibus Diocletiano & Maximiano, anno Chriſti 288. Exſtat enim Mamertini Panegyricus iiſdem imperatoribus

A.C. 288. dictus, in quo uterque nominatus; ſed vitio exſcriptorum, aut quod ſermo Latius barbarica vocabula adſequi nequiit, in nonnullis exemplaribus modo *Genneboud* atque *Eſatet*; modò *Genneborde* & *Sathi*; modò *Genebon* atque *Vdeſadech*; ſcriptura admodum variante exaratum reperitur. Sed proxime veritati & gentis ſo-

lemni

ſenni nomenclaturæ videatur quod primo poſitum. Ipſa autem Mamertini verba ſunt iſta: *Ille quidem magnus Alexander jam mihi humilis videatur, Indo regi ſua regna reddendo, cum tam multi reges, veſtri clientes ſint; cum per te regnum receperit Genobondus; Eſatech verò munus acceperit. Quid enim ille aliud expetivit ad conſpectum cum omni gente veniendo, niſi ut tunc demum integra autoritate regnaret, cum te, Maximiane, placaſſet.*

Hos deinde ſecuti *Aſcaricus* & *Radagiſus*, imperante adhuc una cum Maximiano Conſtantini Magni patre Conſtantio, anno Chriſti 292. Qui firmatam cum eodem Conſtantio pacem violaverant, ideoque ab ipſo deinde Conſtantino, ſed nimium crudeli exemplo, teſtante Eutropio, beſtiis objecti ſunt. Quod & panegyrici ejus ævi, quaſi laudantes commemorant: Et maxime Eumenius, cujus verba ſunt: *Affecisti pœna temeritatis* REGES *ipſos* FRANCIÆ, *qui per abſentiam patris tui pacem violaverant.* Et iterum ibidem: *Hæc eſt tua, Conſtantine, de Aſcarici Radagiſique ſupplicio quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam ſecundis prælijs anteponenda.* 292.

Poſt utrumque occurrit, imperante Conſtantio Cõſtantini Magni filio, *Malarichus*: quem licet gentilitium non regem, ſed rectorem duntaxat Ammianus vocet, Regem tamen fuiſſe colligere ſit ex iis quæ de Melobaude libro deinde trigeſimo commemorat. Dum enim in aula Conſtantij ageret rex Melobaudus (de quo mox) non Regis, ſed armaturarum tribuni titulo egit. Sic & iſte Malarichus eodẽ in palatio popularium Rector ductorve ſolummodo nuncupatus eſt. Fuit enim ea mens Conſtantij ut Francos non, ut pater Con-

ſtantinus,ſervili,ſed leni & liberali modo,& quaſi amicos ſocioſque haberet: unde & plurimos eorum non in militiam ſolum, ſed & familiaritatem adſcivit:Quorum haud paucos ad ſummos honores ab eo evectos. conſtat; ut ità beneficiorum vinculo obſtrictis, adverſus trāſrhenanos & Alemanos præſertim,auxiliaribus uteretur.Claruit *Malarichus* anno Chriſti 342.

Malarichum conſecutus eſt *Melobaudus*. hunc enim Ammianus, imperante Valentiniano atque inde Valente & Gratiano,Francos, Romanorum tum fœderatos ac ſocios,Regem hābuiſſe refert : eundemque & domeſticorum Comitem,& bellicoſum virum fuiſſe & fortem,oculatus teſtis idem declarat; ejuſque ductu ingentem Alemanorum multitudinem apud Argentariam,una cum Rege Alemanorum Priario,cæſum addit:. Qua clade fractis hoſtibus, Gratianus Rhenum tranſgreſſus tam inſigni victoria,eodem duce,potitus eſt, ut belli ejus fama totam in pace retinuerit occiduam imperij plagam. Hæc apud ipſos Romanos. In ſuo & proprio ſolo Patriam defendendo non minus ſtrenuū. exſtitiſſe comperio,atteſtante ſimiliter Ammiano, qui ejuſdem occurſu Macrianum Alemanorum regem, Romanis tum fæderatum, Francis vero infeſtum, occubuiſſe memorat verbis fere ejuſmodi: *Perijt Macrianus in Francia poſtea:. quam dum internecive vaſtando perrumpit avidius , oppetijt Melobaudis bellicoſi Regis inſidijs circumventus.*

Proxime ei ſubjungendus *Richomerus*, aut certe filius ejus Theodomerus; quem Franciæ regem ex Turonenſe jam modò laudavimus. Certè *Richomeres*, dum Gratiani domeſticorum,ut dictum ex Ammiano, Comes

meſi pſiſq; Romanis fœdere ac militiæ ſacramẽto ſociatus ageret, plurima præclara pro imperio, cum in Galliis tum Pannonia geſſit: floruitque in eadem tum aula Frigeridus, & Merobaudes; uterque Francicæ originis; ut & nomen indicio eſt. Eorumque Merobaudem bis conſularem Faſti indicant, & eum ſecutum cũ Clearcho Richomerem de quo loquimur. Adeo ut novum non fuerit, dum apud Romanos ſummis perfungitur honoribus pater Richomeres, ſi filius Theodomeres vices patrias domi moderando regno suppleverit. Et quoniam deſtituat nos hic Ammianus, conjectura nõ vana ſuſpicari licebit, aliquid exinde molitũ Theodomerẽ in Romanos captumque aut bello, aut per inſidias, capitis ſupplicium ſubiiſſe. Nam diſerte ſunt verba Turonenſis, quæ & ſuperius attigi, indubie ex authore aliquo probatæ notæ, aut Faſtis denique, qui ad poſteros non pervenerunt, deprompta, quæ habent: *In Conſularibus legimus Theodomerem Regem Francorum, filium Richomeris quondam & Aſcilam matrem ejus, gladio interfectos.* Quamvis & Aventinum quoque eadem propemodum de eodem Theodomere adferre videam, ubi de Conſtantio agit, Conſtantini M. filio: Eò enim refert Theodomerem, nullo tamen certo aut firmo argumento; ſed errore, ut ſuſpicor, deceptus. Turonenſis etenim poſtquã multa ex Alexandro Sulpitio & Renato Profuturo de Francis attuliſſet, inter quæ nonnulla de Conſtantino referuntur ejuſque filio Conſtante, quorum ille in Galliis, hic in Hiſpaniis imperium affectabat Honorij & Arcadij temporibus, Aventinus hæc obiter legens de Conſtãtio aut Conſtantino filio Magni Conſtantini accipienda ſiniſtre credidit:

atque ita Turonenſis locum, qui paulo poſt ſubnectitur de Theodomere, Francorum rege, ad eadem illa à Profuturo narrata exiſtimavit referenda, cum nec eo pertineant. Aventini interim verba, quæ multo fuſius, quam quæ ex Turonenſe attulimus, eandem rem denarrant, non parcam adſcribere: *Franci* inquit, *inter civilia bella, Rege Theodomaro filio Richomari Gallias devaſtarant, & invaſerant: ſedeſque ibidem iam ceperant. Vario eventu belli utrimque pugnatum eſt integro biennio. Theodomarus filius Richomari Rex cum matre Haſtila Saxona gladio perit.* Sed de his ſuo mox loco luculentius. Incidit autem Richomeri conſulatus in ultimum Gratiani annum, qui
384. erit Chriſti 384. ut ita Theodomeres ſupplicio poſtea affectus videatur ſub Theodoſio, aut ad ſummum Ar-
400. cadio, anno Chriſti quadringenteſimo. Vnde iterum vanitatis arguendus Hunibaldus, qui duos Richomeros reges nominat: alterum anno Chriſti 114; alterũ 328: Theodomerum deinde filium Richemeri, trecenteſimo quinquageſimo: ut facile colligere ſit, locum hunc Epiſcopi Turonenſis in mente quidem illi fuiſſe, ſed abſque delectu in ordinem ac ſeriem fictitiorum ſuorum regum, ut & alia omnia, ab eo digeſtum.

His in imperio ſucceſſerit *Marcomirus* & *Sunno* fratres, Nam interempto Gratiano, ſtatim in rebus Valentiniani Iunioris, horum mentio. Gregorius ſanè Turonẽſis ex Sulpitio Alexandro utrumque citat (quomodo & modò patuit) ſed addito tertio, Genebaldo videlicet: de quo, cum Alexandri jã dictj non extet hiſtoria, qui ſolus illius meminiſſe videtur, quod dicam certi non habeo. Marcomirum interea ac Sunnonem omnibus modis non in patriæ modo defenſionem fortiſſimè incubuiſſe

cubuiſſe ac varios Romanorum inſultus avertiſſe, apud plures lego; ſed ipſum quoque Marcomirum (præſertim dū Aquileiæ obſideretur à Theodoſio Maximus) ſuperato Rheni limite Germaniā inferiorem intraſſe ac pluribus cæſis Agrippinæ Coloniæ invadendæ terrorem etiam incuſſiſſe Sulpitius Alexander commemorat. Poſtea denique Stilicone Galliis præfecto, Marcomirum in exilium apud Hetruſcos actum, Sunnonem vero fratrem, cū ſe germani vindicem ferret, à ſuis interfectū ævi iſtius ſynchronus ſubindicat Claudianus. De quibus omnibus accuratius, ubi res geſtas Francorum mox ordine referemus. Atque hiſce ſic conſtitutis iterum ad Hunibaldi nugas reſpiciendum, qui Marcomirum neſcio quem primum Sicambrorū regem imaginatur ſeculis ante Chriſtum quadringentis: atq; iterū alium, circa hoc ipſum quidē tempus, at nulla Sunnonis adjecta mentione. Et ut iterum iterumque palam fiat, quam ſibi conſtent hi nugivendi, vult Hunibaldi fabula, primum illum Marcomirum à Troja & Boſphoro profectum circa Rheni oſtia conſediſſe, tot, uti dixi, ante Chriſtum ſeculis; Aimonius vero reliquique, de quibus ante quoque dictum, ad ævum Valentiniani, & iſtum præcipuè Marcomirū hoc ipſum referunt, eum nimirum una cum Sunnone & Genebaldo, imperante Valentiniano iſto juniore, ad Rheni ripas deduxiſſe Francos Francorumq; nomen condidiſſe primitus. Aimonii verba ipſa, quia * ſupra Vrſpergenſem præcipuè citavimus, hîc addemus. Ita enim habent lib. 1. cap. 3: *Decennio exacto miſit imperator Valentinianus qui conſueta de gēte Francorum, exigerent tributa. Illi pretio ſui ſanguinis eo levatos fatentur: ſeq; vectigal* *Lib. 2. cap 5.

 non

non ſoluturos, pro quo remittendo vi ortis diſcrimen perpeſſi forent. His indignatus Cæſar ſuorum inſtruit aciem: quæ & viribus foret exercita, & tantæ genti obviam ire parata. Nec morati obviam eunt Franci Romanis, pugna in manibus, nec comperendinata, quamvis uni genti, adverſus plures gentes, prælio decertandum foret. Franci ſane robur aliarum nationum Romanis ſubſidio veniſſe conſpicati, cedendum ſibi loco utilius æſtimãtes, Sicambriam egreſſi, ripas Rheni fluminis occupaverunt. Duces autẽ ſibi Marcomirũ, Sunnonẽ & Genebaudum, poſt funus memorati regis Francionis eligentes plurima Germanorum oppida pervaſere. Hæc ille. Quæ haud ſimplici vice cenſura indigeant. Sed quia eam jam ante libro 2. cap. 5. ubi de Vrſpergenſi, Adone Viennenſi aliiſque, qui ſimilia fere de Francorum origine tradiderunt, abſolvimus, hoc tantummodo inpræſentiarum dicendum eſt, nihil iſtis adferri putidius poſſe. Quantum enim prior, Hunibaldus nimirum, in exceſſu; tantum hi, Aimonius inquam, eumque ſecuti in defectu delinquunt. Nam annis, ante Valentinianum illum ſecundum, CLXV. celebratum ac notum Romanis fuiſſe in transrhenana atque occidua Germania Francicum nomen, accuratè jam ante monſtratum eſt: ut omittam, quæ de regibus ſub Conſtantio & Conſtantino ceteriſque nunc modò injecimus, poſteaque deducemus fuſius. Quod autem dubitet Gregorius Turonenſis an reges, iſte inquam uterque Marcomirus & Sunno, fuerint, cum *duces* ſubinde, ſubinde *Regales* itemque *ſubregulos* appellet Alexandri jam ſæpe citata hiſtoria; fruſtra ſit, cum à Regum dignitate minime alienum ſit, ſi Regem, dum exercitum ducit, ab officio Ducem appellemus. Verba ipſa Sulpitij Alexandri, ut ea citat Turonenſis, ità habent.

bent : *Hæc acta, cum duces eſſent, retulit* : & deinceps ait; *Poſt dies pauculos Marcomere & Sunnone Francorum regalibus, tranſacto curſim colloquio imperatiſque ex more obſidibus, ad hiemandum Treviros conceſſit. Cum autem eos* regales *vocet, neſcimus utrum reges fuerint , an vices tenuerint regum.* Et paulo poſt ibidem Turonenſis de eadem Alexandri hiſtoria. : *Dehinc refert , quod eodem anno Arbogaſtes Sunnonem & Marcomerem, ſubregulos Francorum, gentilibus odijs inſectans, Agrippinam rigente maximè hieme , petiit.* Sed Turonenſem ea ſolicitudine atque æſtu liberare Claudianus potuiſſet, qui diſerte utrumque Marcomirum dico & Sunonem, regem fuiſſe innuit, ubi delicta eorum adverſus Romanos REGIA CRIMINA vovat, iſtis verſibus:

Lib.2.cap. 9.

> Regia *Romanus diſquirit* crimina *carcer*:
> MARCOMIRVS SVNNOQVE *docent: quorum alter Hetruſcum*
> *Pertulit exilium; cum ſe promitteret alter*
> *Exulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum.*

Vbi notandus obiter Volffgangus Lazius , qui ut ad Svevos & Marcomannos ſuamque gentem Claudianū traheret, non veritus fuit pro *Marcomirus, Marcomanus*; pro *Sunno, Svevus* reponere, ac legere:

Lib.9. de gentium Migrationib.

> *Marcomanus Svevusque docent* ;

Non tantum adverſus omnium tam manuſcriptorum, quam editorum exemplarium fidem; ſed contra etiam manifeſtam rei veritatem ab Alexandro Sulpitio aliiſque, ut jam innuimus poſteaque uberius dicetur, luculenter

lenter relatam. Ab hoc Marcomiro (ſi tempus notetur, quo in hiſtoriis prima ejus ſub Theodoſio mētio) aduſque Faramundum, anni erunt circiter triginta duo. Vnde fortaſſis conjectura ducti præcipui chronologorum, ut Ado Viennenſis, Sigebertus Gemblacenſis aliique *Pharamundum* Marcomiri filium faciunt, cum nullum tamen ejus rei exactum vetuſtatis adſeratur teſtimonium. Nam nec Epiſcopus Turonenſis Pharamundi meminit, nec Proſperi Chronicon, quod Hieronimo, Euſebiique Chronicorum poſteriori ſubjecit Scaliger Conſulareque nominat. Quod vero à Pythæo editum ejuſdem Proſperi Chronicon prioríque Chronicorum Euſebij libro addidit nuper idem Scaliger, nō modò *Pharamundi*, ſed ante Pharamundum *Priami* quoque Francorum ſub Gratiano, regis mentionem facit. Ita enim ad annum Gratiani quartum in eo legas: *Priamus quidem regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.* Hunibaldi hunc Priamum eſſe non poſſe ex eo liquet, quia ille ante Christi nativitatem annis CCCLV exſtitiſſe memoratur, uti jam ante hoc ipſo libro Capite 2. ſuperius oſtenſum eſt. Nec etiam ad Vrſpergenſis & Pauli Æmilij Priamum, de quo * lib 2. dictum fuit, referri debere temporis ratio demonſtrat, cum uterque & Vrſpergenſis ceteriq; illi, ad avum fere Valentiniani ſecundi cum rejiciant; hic autem Gratiani anno quarto, id eſt ante Valentinianum juniorem annis ad minimum LX. floruerit. Verum fictitios hos Priamos totamque iſtam Troizantium ſcænam ſatis ſuperque locis jam indicatis, detectam refutatamque exiſtimo: Ita ut Proſperi hoc Pithæanum, optimum aliàs, Chronicon, parvum Scaligero dictum, laborare hac

* ſupra lib. 2. cap. 5.

hac parte cenſeam. Niſi hunc eſſe regem Alemanorum *Priarium*, Ammiano etiam Marcellino, ſub Gratiano, nominatum, conijcimus: quem in Francia regnaſſe lato quodam modo *Proſper* dixerit. Ammianus de eo hæc fere habet, agens de pugna Gratiani ad Argentariam: *Repente*, inquit *verſi barbari in terga, reſiſtenteſque interdum, ne quid ultimæ rationis omitterent, ita ſunt cæſi, ut ex prædicto numero non plus quam quinque millia evaderent, denſitate nemorum territi, inter complures alios audaces & fortes, Rege quoque* PRIARIO *interfecto, exitialium concitore turbarum. Hac læti ſucceſſus fiducia Gratianus erectus jamque ad partes tendens Eoas levorſus flexo itinere Rheno tranſito* & *univerſam delere ſtatuit malefidam & turbarum avidam gentem.* Lib. 31. Quibus in verbis quod alij, doctiſſimi licet viri, interque eos Marcus Velſerus, II. vir olim Auguſtanus; eique adſentiens, in obſervationibus ad Ammianum, Fredericus Lindeburgius, exiſtiment reſcribendum ex Proſperi ſuperiore loco Ammianum, legendumque non *Priario*, ſed ut habet Proſper, *Priamo*, quomodo ego aſſentiar non video; præſertim cum Ammiani codices lectioque, ſibi ubique ſimilis, Theutoniſmo ſit propior, & res quoq; ibi tradat, quibus pro parte ipſemet interfuit. Nam quod Sigebertus Gemblacenſis *Priamum* ſimiliter, Francorum regem, agnoſcat, & ad hoc fere ævum referat, cauſam nequaquam juvet; cum ille, Sigebertus, inquam, eandem omnino de *Priamo* & *Antenore* Troianis, jam ante ex Vrſpergenſi & Æmylio memoratam, cantet fabulã, niſi quod in Valentinianũ non juniorẽ, ſed priorẽ, fabulæ initium conijciat. Verba eius, quia jã ante lib. 2. cap. 5. ubi hoc proprie abſolvimus nõ ſũt

recitata, ſed huic præcipue loco & occaſioni reſervata, integra adſcribemus, ut vel cōparari cum * ſupra poſitis poſſint: *Originem*, inquit, *gentis noſtræ regni ſcilicet Francorum notificemus alijs ex relatu fideli maiorum. Poſt illud famoſum & cunctis gentibus & ſeculis notum Troianæ civitatis excidium victoribus Græcis cedentes reliquiæ Troianorum; pars eorum cum AEnea ad fundandum Romanum imperium ad Italiā perrexit; pars una ſcilicet duodecim millia duce Antenore in finitimas Pannoniæ partes ſecus Mæotidas paludes pervenit. Ibique civitatem ædificaverunt, quam ob ſui memoriam Sicambriam vocarunt: in qua multis annis habitaverunt, & in magnā partem coaluerunt, & crebris incurſibus Romanum ſolum inceſſentes, uſque ad Gallias ferocitatis ſuæ veſtigia dilataverunt.* Hos adeo *Romanus infeſtos Conſtans Cæſar, filius Magni Conſtantini, bello oppreſſit, & tandem Romano imperio ſubjectos aliquantulum à ſua feritate manſveſieri coegit. Poſt aliquot annis rebellantibus Alanis contra Valentinianum imperatorem, cum eos non poſſet imperator penitus debellare, eò quod eos tranſibiles Mæotidis paludes tutarentur: propoſuit Valentinianus, quod ſi qua gens has paludes intrare, & rebelles Alanos poſſet cōterere, decem annis eos à tributis liberos redderet. Hac pactione Troiani illecti, & fortitudine & prudentia confiſi, duce Priamo Mæotidas paludes Romanis invias ingreſſi, Alanorum gentem exterminaverunt, & ita Valentiniano ſatiſfecerunt. Valentinianus eorum virtute delectatus, eos qui prius vocati erāt Troiani, deinde Antenoridæ, poſtea etiam Sicambri, Francos Attica lingua appellavit, quod Latina Lingua interpretatur feroces. Alij Francos cognominatos dicunt à quodam eorum rege Francione, qui in bello fortiſſimus, dum cum multis gentibus dimicaſſet, in Europam iter direxit, & inter Danubium & Rhenum conſedit, ibique progenies eius coaluit, nulliuſq; iugum uſq; ad id tempus*

* Lib. 2. cap. 5.

tempus ſuſcipere voluit. Vnde cunq; ergo denominati ſunt Franci: quantum altius colligere potuerunt hiſtoriographi, hic Priamus regnabat ſuper eos tempore prioris Valentiniani. Nam ex ipſo regio nomine recolentes nobilitatem illius Priami, ſub quo euerſa eſt Troia: inde gloriabantur gentis ſuæ manaſſe primordia. Exacto decennio, cum exactores repeterent tributa à Francis, Franci pro ſuperiori victoria inſoleſcentes, & de viribus ſuis præſumẽtes, non ſolum tributa negare, ſed etiam Romanis præſumunt rebellare. Romani collecto exercitu ſuper Francos irruunt, & victos uſque ad internecionem proterunt. Hæc Sigebertus in procemio de regnorum originibus; quibus deinde in Chronico ad annum 385, adjicitur: *Francis poſt Priamum Priami filius Marcomirus & Sunno filius Antenoris, principantur annis 34. Quorum ducatu Franci Sicambria egreſſi conſedere ſecus Rhenum in oppidis Germaniæ.* Quorũ omnium, ut dixi, confutationem videre eſt ſupra lib. 2. cap. 5.

Chlodionis denique, quem à Pharamundo ſecundum Franciæ regem & rectè conſtituunt, præter Proſperum jam indicatum, non tantum Gregorius Turonenſis, Ado Viennenſis, Sigebertus & alij, ſed ipſe quoque Sidonius Apollinaris, Clodioni ipſi propemodũ ſynchronus, accuratam mentionem facit, verſibus iſtis Panegyrici ad Maiorianum Auguſtum:

> *Poſt tempore parvo*
> *Pugnaſtis pariter Francis, quà Cloio patentes*
> *Atrebatum terras pervaſerat.*

Quo loci *Cloio* poſitum verſus cauſa, pro, quod habet, Proſper *Chlodius*, Caſſiodorus *Hludwinus*; alij ut Gre-

 gorius

gorius Turonenſis *Chlogio*, quod proxime accedit ad ſcripturam Sidonii; quemadmodum & Aimonius, qui cum *Clodionem* nominat lib. 1. cap. 5. his verbis: *Rex Clodio, anguſtos regni fines dilatare cupiens, exploratores a Dyſpargo trans Rhenum dirigit &c.* Ab hoc alius eſt, qui Chriſtianus primus Rex fuit, *Clodoveus* I. ab omnibus nuncupatus. Quæ poſtea vocabula in *Lodovicus*, & *Hlodovicus*, & *Hludovicus* mutaſſe videntur. De quo uberius jam mox.

CAP. VII.

SVPERIVS POSITI REGES REGVMQVE vocabula ex nomenclaturarum notationibus oſtenduntur eſſe Theutonicæ ſeu Germanicæ proſapiæ.

HActenus Francorum ad Clodionem uſq;, Pharamundi ſucceſſorem, Reges: Deinceps qui referuntur, cum de eorũ ſerie ac certitudine dubium nullum ſit, hîc omittemus, illud tantum addidiſſe cõtenti; ſerio nos mirari viros eruditione alioqui, inſignes, quique de Regni Francici ac Regum antiquitate ex profeſſo quæſtionem aggreſſi, nullos ante Pharamundum, niſi Hunibaldicis ac Græcanicis involutos, fabulis, atq; ex imo Mæotis cæno erutos, invenire potuiſſe. Nam ut hoc quoque, ſed obiter, explicatum adjiciamus, quis non meridiana luce clarius perſpiciat, nihil omnino peregrinum aut exoticum redolere Re-

gum,quos jam retulimus,nomina? Quis Sicambricos illos priores tres, *Melonem, Baitorichem,* & *Deuderichum* è Strabone relatos, non agnoſcat, ſi nomenclaturæ earumque notationes conſulantur, eſſe merè Germanicæ originis ac proſapiæ? Nam *Melonem*, ut & *ſupra indicatum, Friſii hodieque agnoſcunt, *Melo* ſimiliter aut *Melle* dicẽtes. Et *Barorichus*, licet accedere videatur ad vocabulum *Verriti*, cujus ut Friſici regis Tacitus meminit, tamen veriorem utrobique lectionem exiſtimem *Baitoricem*, præſertim quia Straboni caſu recto dicatur *Baitorix*, quaſi **bait rich**; quod *fructu* atque *emolumentis* ſuos *beare* atque ornare ſtudio habuerit. Sic *Deudericis* vocabulo hodieque paſſim apud Germanos omneſque noſtrates nihil uſitatius; **deucht** enim, ſive, ut Boreaiores ac Dani efferunt, **thud**/ *virtutem* & **rich**/ *divitem* notat. Hodieque vulgo **Dietrich** & **Dietrick** ſolemus dicere. Quod tamen à **diet**/ *populum nationemque* ſignificante, ſi quis deducendum maluerit, ei me nequaquam reluctantem oppoſuero; cum & apud Otfridum, qui ante annos ſeptingentos, ſub Lodovico, Francorũ Rege, Evangelia Germanice ſeu veteri lingua Francica reddidit, inveniam, **fremidemo thiote**, quod valet, *peregrinas gentes*. Quam etiam ad formam idem hoc vocabuli, nõ *Deudericus* aut *Theudericus*, ſed *Thiadericus* VVitichindo dicitur atque effertur hiſtor. Saxon. lib. 1.

*Lib. 1. cap. 9.

Baitorix.

Deuderix.

Deinde in reliquis, quos regum Francicorum titulo recenſuimus, uti ſunt, *Gunebaldus, Aſcaricus, Radagiſus, Malarichus, Melobandes, Rhicomerus, Theodomerus, Marcomerus, Sunno, Varamundus, Clodio*, quis, inquam, Germanus in iſtis non exaudiat ſibi hodieque uſitata vocabula? Nam omnia in *Baldus* terminantia Theutonum ſunt

propria. quæ tamen ipſa pro dialecti ſubinde varietate mutantur in *baudus*. Sic *Gunebaldus* & *Gunebaudus*; *Malabaldus* & *Malobaudus*; *Tibaldus* & *Tibaudus* indifferenter efferuntur. In quibus omnibus idem eſt *baldus* ſive *baudus*, quod *audax* & *animoſus*; vt *Gunebaldus*, nihil ſit aliud quam, *favore præfidens* & *animoſus* : Gun enim & gunſt *favor* eſt. Vnde & gunnen, *favere bene alicui velle*. In ricus vero deſinentia hodieque plurima in uſu ſunt, ut, *Henricus*, *Fredericus*; *Vlricus* & cetera: ſic & hoc loco Francorum reges *Aſcaricus* & *Malarichus*, ſeu *Malorix*, qui & Friſiorum rex * Tacito, eadem terminatione dicuntur. Quorum *Malaricus*, non ut Iunius, *molarum divitem*, ſed *eloquij*, & *ſermonis* copia *prædivitem fecundumque* potius notaverit. Eſt enim Mael hodieque borealioribus Germanis, Danis nimirum, quod & alibi obſervavimus, idem quod *ſermo* ſeu *idioma*. Vnde Daenſck maal Spaenſck maal/ Thuſck maal/ illis valet, *idioma* ſeu *ſermo Danicus*, *Hiſpanicus*, *Theutonicus*. Et ipſis olim Theutonibus *Malthen* erat, *dicere* ac *ſermocinari*, ut patet ex libello quem dedit aliquando Vulcanius de literis & lingua Getarum, ubi, Ich malthata/ explicatur, *ego dico*. Hodieque non penitus quoque abolitum eius uſum indicio ſit, quod & Belgæ Theutoneſque, Melden & Vermelden pro, *memorare*, *prodere* & *recitare* adhuc retinent frequentantque. Sic & *Mallus*, in legibus Caroli Magni, pro gentis publico colloquio ac conventu accipitur, quod *Parlamentum* nunc vulgo Galli dicunt, á *parlando*, id eſt, *colloquendo*, quod ibi de ſummis reipublicæ negotiis inter ſe regni proceres conferant. Verba Caroli ſunt lib. 7. cap. 96 : *Ad* MALLVM *venire nemo tardet, unum circa æſtatem, & alterum circa autumnum.* Vbi,

Lib. 13. Annal.

Malarichus.

ad mallum venire, eſt, ad Regni publicum *colloquium* ſeu *parlamentum* venire. Nec aliunde noſtratium reliquorumque Germanorum, **mael** / pro, *convivio* dimanaverit: quod ibi præſertim Germani veteres de maximis etiam rebus conſultare ac conferre ſoleant, ut notat hiſce verbis Tacitus: *Sed & de reconciliandis invicem inimicis & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace denique & bello plerumque in convivijs conſultant: tanquam nullo magis tempore, aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat.* Atque inde quoque hæſiſſe exiſtimandum, quod Germani eiuſmodi *Mallum*, non ut Galli, *colloquium*, ſeu *Parlamentum*, ſed *imperij Diatam*, formulari fere locutione & olim & hodieque, in Latinis præſertim diplomatibus, interpretentur ac nuncupent. Andreas Præsbyter in Chronico Bavariæ ad annum 1434: *Ambaſiatores ſacri concilij Baſileenſis in diæta Ratiſpona conveniunt.* Quâ voce quomodo etiam Græci uſi ſiat, liquet ex Gloſſis Philoxeni, in quibus eſt; *δίαιτα, diæta*: Item; *δίαιτα, τὸ ὑπερῷον, cænaculum.* Et deinde ſtatim; *διαιτητής, diſceptator, arbiter, interventor, διαιτῶ, intervenio, diſcepto.* Vt ita & ijs *diæta* non tantum *cænaculum* fuerit, in quo cænetur; ſed locus etiam, ubi lites & cauſæ fuerunt agitatæ. *Malarichus* ergo quid denotaverit, ſatis ex jam memoratis intelligi exiſtimo. Vt ita pariter *Malobaudes*, quod præceſsit ab eodem **mael** / quod dictum eſt, *eloquium* notare; & *baudus*, ſeu *baldus, confidens*; ſit *eloquio & ſermone confidens & audax.* *Aſcaricus* deinde, ſimili terminatione cum *Malarich* conſtans, erit, **aſch** ſive / **eſch rich**: quorum illud, *fraxinum* ſive *ornum*; hoc *divitem*, uti jam dictum ſignificat, quaſi dicas, *fraxinorum divitem.* Eodem modo & *Hilpericus*, Aſcaricus.

ricus,

ricus, Francorum item Rex, eſt Hilfrick/vel, Hilprick/ *auxilijs potens* ſeu *dives*. Quod etiam animadvertit, ſcriptor Francici ſeculi, Venantius Honorius Fortunatus, qui ità de eo:

> *Hilperice* POTENS, *ſi interpres barbarus extet,*
> ADIVTOR, *fortis hoc quoque nomen habet.*

Quo loci ſi legas, *Hilper.rice* pro *Hilperice*, & verſus habebit rectius, & mens quoque Venantij. Nam ut Hilp & Hilpe/barbara quam dicit dialecto, id eſt, Theutonofrancica, eſt *adiutorium* ſeu *auxilium*; ſic Hilper pro-
Hilpericus prie quod poſuit, *adiutor*. Ergo *Hilpericus* erit, *adiutor potens*, ut *potens* nimirum pro, *dives* accipiatur. Hilpericum autem cum intelligit Fortunatus, qui fuit maritus Fredegundæ, filius Hlotarij Clodovei F. Sveſſonum rex: cuius regni initium incidit in annnm Chriſti 560, quo obijt Lotharius. Vt ſimul conſtet, ijſdem temporibus, hæc ſcripſiſſe, Venantium, qui nimirum claruit circa annum DLXX.

Marcomerus. Quæ porro ſequuntur in *merus* exeuntia, ut, *Richomerus*, *Theodomerus*, *Marcomerus*, à *meren* eſſe deducta manifeſtum eſt, quod *dilatare* atque *extendere* ſignificet. *Marcomerus* ergo, quaſi *limitis prolator augmentatorque* intelligendus. Nam *marca* limitem notat, unde & *Marchio* & *Marckgravij*, de quibus alibi diximus dicemuſque.
Richomerus. Sic & *Richomerus* & *Richimerus* idem erit ac ſi dicas, meerder des rijcks/ hoc eſt, *regni ampliator*, *Auguſtus*.
Theodomerus. *Theodomerus*, *populi ampliator*, à *Thiot* ſive Diet/quod ex Otfrido *populum* ſeu *gentem* notare modò oſtenſum eſt. Hodie mollius efferimus, *diedericus*, *thiodoricus* & *diericus*

ricus, **Dietrijck**. Quin & *Liedericus*, quod in Chronicis ſæpenumero occurrit, idem valet; cum L. & T. non raro ſoleant alternare: ut **liet** pro **thiet** ſive **diet** accipiatur. Nam hodie non **diet** & **diethen** / ſed **lieden** / & **luyden** / pro, *populo* & *gente* vulgo *uſurpamus*. De quo præclara & obſervatu digna Lipſius. I. Poliorcet. cap. 2. agens de etymo & ſcriptura urbis *Leodici*. Quibus ſi accedat, quem indicavimus, Otfridi locus, quod deſideretur eâ parte magnopere non erit.

Et porro non tantum in *mer* & *merus*, ſed etiam in *mirus*, & *marus* item *meres* & *marius*, prout variabant dialecti, hæc extulerunt maiores. Vnde non tantum *Marcomerus*, ſed & *Marcomirus* & *Marcomeres* occurrit. Quò & pertinet Strabonis *Sigimerus* & Propertij *Virdomarus*, & Marcellini *Suomarius*. De quibus alibi olim nobis dictum.

Sunnonis vocabulum rarum apud noſtrates; apud Holſatos & Cimbricæ Cherſoneſi nec non Selandiæ ac Scādinaviæ in Danis incolas, nihil eo frequentius. *Sune* enim & *Sunel* appellativa nomina ſæpiſsime ibi occurrunt. Eſt autem *Sonen* & *Suonen* noſtratibus, *ſuaviari, oſculari*: item *reconciliare, conciliare, pacificare, pacare, propitiari, expiare*: Quin & *judicare* ſignificaſſe olim, & ità uſurpaſſe veteres illos Germanos liquet ex Symbolo Apoſtolorum Alemanico, in quo hæc legas: **Thana chuin fich iſt ſonen qhuekhe enti tote**: Id eſt, *unde venturus eſt judicare vivos & mortuos*. Ad quæ, iſta quondam cōmentatus eſt V. C. Marquardus Freherus, Palatini principis conſiliarius: *Sonen*, eſt, *judicare*, vox germane Germanica, ſi qua alia. Gloſſæ veteres: *iudex ad requirendum, ſoneore ſonene*. *Diiudicavit, Kaſonit*. *Præiudicet, forasuanne*.

raſuanne. Videſis & Keronem in *iudicet*. Inde *Suonotag*, *dies iudicij*: qua voce verè extrema illa & magna Domini dies Notgero ſubinde deſignatur. Sed & Marner

Sunno & Suonomarius. verſic. 4. Es nahet gegen der Suonotage/ das Got will ſuonen alle klage. Inde forte SYNNO, a quo & *Suonomarius*, regia nomina, Francis judicium magiſtratumque denotantia. Hactenus Freherus.

Radegiſus. *Radegiſi* nomenclaturæ gemina occurrit in *Anſegiſo*: qui in Gallijs olim abbas leges Regum Francorum in unum volumen collegit; itemque in *Langogiſo*; cuius meminit Ammianus, & Victor. Quamvis ille *Laniogiſum*, hic, ſyllabis prioribus omiſsis, *Gaiſonem* videtur

*Lib. 15. nominaſſe. *Ammianus ita: *Sed Laniogaiſo vetante, tunc tribuno, quem, dum militare candidatus, ſolum adfuiſſe morituro Conſtanti ſupra ſcripſimus, docenteque, Francos, unde oriebatur, interfecturos eum &c.* Vnde ſatis liquet Francum fuiſſe, Victor hæc habet: *Conſtans fugere conatus, apud Helenam oppidum Peirenæo proximum, à Gaiſone cum lectiſſimis miſſo, interficitur.* Vbi *Gaiſo* erit, quod vulgo noſtratibus Geys & Geysbert: Geys verò an *obſidem*, an vero *caprum* ſeu *capellã* notat nondum omnibus liquet. Si *obſidem* dicas, non Geys/ ſed Giſel dicendum eſſet; Geys vero Germanis eſt *caper*. Vt ita *Radegaiſus* à velocitate nomen habuerit: rad enim & ras eſt, *celer* ſeu *velox*. Radegays itaque, *celer caper*. Quod autem alij hic rade pro, rode accipiant, ut ſit *ruber* & *Hiſpidus caper*, minus placet.

Clodionis nomen pronunciationis quodam incommodo corruptum videatur ex *Clodoveo*, aut *Ludovico*.

Lops & Lowijs. Nam & Sidonio, ut ſupra patuit, adhuc multo contractius *Cloio* nuncupatur; quod vulgo fortaſſe diceretur,

Clops/

Clops/aut Lops ſeu Lowijs. Cæſar ſine ulla titubatione *Ludovicum* noſtrum, *Lutavicum* dixit: Qui enim hoc negaverint, ij in rebus & lingua præſertim Theutonica, lolio victitent. Erit itaque luyt & wijs genuina & vera vocis notatio; ut nihil aliud *Lodoveus*, ſeu rectius *Lutavicus*, ſignificaverit, quam *populi refugium*. Luyt enim hodieque noſtratibus *populus*, wijck *refugium*. Qui autem non *Lodovicus*, ſed ut Caſſiodorus. *Ludwin* aut Hlodwin olim ſcripſerunt extuleruntque, aliud vocabuli etimon, ſi poſteriorem præſertim ſyllabam ſpectemus, fortaſſe reſpexerint: quod tamẽ, ad rem quod attinet, eòdem fere reciderit. Nam lod & luydt, idem, quod ante dictum, *populum* notabit; win autem, non, quod vulgus & inter doctos etiam quidam putarunt, *vincens* ſit, aut à *vincendo* repetendum, ut fuerit Ludwin quaſi, *populos vincens*: ſed proprie, *pulchrum* quid & *venuſtatem*, *delitias* inquam & *amorem* ſignificaverit: ut Hlodwin hoc pacto intellectus fuerit *populi amor*, *delitiæ* & *venuſtas*. Nam & apud VVileramum Abbatem, Merſburgenſem qui canticum canticorum non Latino tantum carmine, ſed lingua quoque ſua vernacula, id eſt, Theutonica reddidit, Wine min/ poſitum pro, dilectemi venuſtas mea. Totus locus ita habet: Sage mir wine min war thu thine Scaaps weythenes. Nos hodie diceremus, Segt mi mijn lief waer du dijn Scapen weideſte. *Indica mihi, dilecte mi ubi paſcas*. Nec aliter olim *Bonifacius*, Epiſcopus Moguntinus qui anno Chriſti D.CCLV. Pipini tempoporibus, in Friſia perijt, *Winefridus* ſua lingua dict⁹ fuit, ut Beda notavit. Vbi Wine in *bonum* mutatum apparet. Porro ut Ludwin/ ſic & Baldwin/ Ditwin/

Hlodwin

Ebertwin &c. noſtratibus omnibuſque Germanis hodieque ſunt uſitatiſſima.

Faramundus. *Pharamundũ* loco penultimo, & ante Clodionẽ, de quo jam dictũ eſt, collocatum, alij verius *Waramundũ* ſcribẽdũ exiſtimãt, quaſi ab *oris* veritate ita nominatũ; *mund* enim *os* & waar, *verum*. At Scaliger noſter negat veriſimile videri *W* in *F* degeneraſſe. Qui, inter alia de hoc vocabulo ità diſſerit lib. 6. de Emend. Temp;. *Quod* Faramũdus, *non* VVaramundus *ſcribendũ ſit, non monerẽ, niſi viderẽ Germanos quoſdã doctos viros ità cenſuiſſe quod in illis ferendũ nõ eſt.* Nã *quomodo W. potuit in F. degenerare? Quid ſit* FARA, *unde nomen* Faramund *cõpoſitũ, pete ex Paulo Longobardo. Francorũ enim, Gottorũ, Longobardorũ, Vandalorũ eadẽ dialectus fuit, nẽpe Teutonica.* Hactenus ille. Verba vero Pauli Longobardi, quæ aſpicit, hęc ſunt, lib. 2. cap. 9, de Geſt. Longobardorum: *Qui Giſulphus non prius ſe regimen eiuſdẽ civitatis & populi ſuſcepturũ edixit, niſi ei, quas ipſe eligere voluiſſet Longobardorũ* Faras, *hoc eſt*, generationes *vel* lineas *tribueret. Factũq́; eſt, & annuente ſibi rege, quas optaverat Longobardorũ præcipuas* proſapias, *ut cũ eo habitarent, accepit*. Quæ lucẽ plenius accipiant, ſi addas legẽ Longobardicã regis Rotharij, quæ exſtat lib. 3. titul. 14. Legg. Longobard. hiſce verbis: *Si quis liber homo migrare voluerit aliquo, poteſtatẽ habeat intra Dominiũ regni noſtri cũ* Fara *ſua migrare, quo voluerit. Sic tamen ſi à Rege ei data fuerit licẽtia*. Nec abs re ſit, ad uberiorẽ vocis intellectum, etiam hoc addidiſſe, Danos hodieq; diverſos regni ac regionũ ſuarum indigenas ac veluti tribus, adiecta hac voce *Fara* ſolere diſcriminare; Sic ſcilicet *Selandum*, Selandſfar; cimbrum Julandſfar; Hallandũ, Hallandſfar populariter appellantes. Vt ità vocabuli huius *Fara* aſpectu

Faramundus

Faramundus ſit, gentium ac *generationum proſapiarumq́,* velut *os* quoddam ac *fons*. Ni ſi fortaſſe ad tutelam ac defenſionem ſubditorum id altius referre malit, ut fuerit quaſi *os* ſeu *tutor* defenſorque ſuorum.

Et eſt ſyllabarum hæc ultima, *mundus* inquam, hodieque adhuc obvia atque uſitatiſſima, ut *Sigemundus*, *Raimundus*, *Roſemundus*, &c.

Faramundum porro & Clodionem qui proxime ſequuntur, hiſtoricis vulgo hoc ordine & nominibus recenſentur; *Meroveus*, *Hildericus*, *Clodoveus*. Quorum *Clodoveus*, *Hlodovicus*, Remigio; χλωδοαῖος Agathiæ, *Hilderici* filius, *Merovei* nepos, *Clodionis* ſive *Hlodovici* primi pronepos, *Faramundi* abnepos, primus Rex Francorũ Chriſtianus, maritus Clotildis, regis Burgundionum filiæ. Huius filij quatuor: *Hlotarius* ſive *Clotarius*, Agathiæ λωτάριος, Sueſſonum Rex. *Theudericus*, θεοδερίχος Agathiæ, Metenſium & Remorũ Rex. *Hlodomir* χλωτομῆρος Agathiæ, Aurelianorum Rex. *Hildebertus*, Χιλδίβερτος Agathiæ, Pariſiorum Rex.

Theodobertus, θευδίβερτος Agathiæ, *Theodorici* filius, *Hlodovei* nepos. *Theudewaldus*, θευδίβαλδος Agathiæ, *Theodeberti* filius, *Theodorici* nepos, *Clodovei* pronepos.

Clotarij quatuor filij: *Hilpericus*, maritus Fredegundis Sueſſonum Rex; *Haribertus*, Pariſiorum: *Gunthchramnus*, Aurelianorum: *Sigebertus*, vir Brunichildis, Metenſiũ. Cuius filius *Hildebertus*. Quæ omnia relata ad antecedentia ex ijs, quæ cuiuſque vocabuli notatio ſit, quodque etiam hæc Theutoniſmum ſapiant, intelligi facili negotio poterit. Nunc ad res ſingulorum dicendas ut gradum moveamus, ordo poſtulat.

IOHANNIS ISACII PONTANI,

ORIGINVM FRANCICARVM,

LIB. IV.

CAP. I.

QVANDIV CVM ROMANIS EORVMQVE IN ripa Rheni præſidijs luctati Franci, deque ſucceſſibus eorundem. Et obiter ſimul reſponſum nonnihil hodiernis & noſtri ſeculi, qui res Francorum tradiderunt, Hiſtoricis.

FRANCI, dum adhuc trans Rhenum agerent, quo præſertim loci conſederint, quos cuiuſque gentis ac proſapiæ Reges, & quale quoque imperium habuerint, adfatim declaratum eſt: Nunc illud adijcere conſentaneum, quas ijdem domi militiæque res geſſerint; quam diu cum imperio Romano, circa Rheni ripam, colluctati, totam denique, ſuperato Rheno, non Galliam modò, atque Italiam Germa-

maniamque, bellis victorijſque, peragrarint; ſed Byzantinum quoque imperium ad fœdus commoverint ſecum iciendum. Nam ſi quis à *Valeriano* & *Gallieno imperatoribus*, aduſque *Clodionem*, Faramundi filium, cōputet, anni invenientur circiter centum & ſeptuaginta octo. Quibus ſi addatur ad *Carolum* uſque *Magnum*, temporis intervallum, vix ſexcētorum annorum ſumma complebitur. At illo arctato licet temporis puncto tam latè potenterque ſua arma circumtulêre; tamque varijs laboribus periculiſque iactati ſunt, ut ad eorum conſtituendum, & peſſundandum Romanorū imperium, contendiſſe virtus, & fatalis quædam neceſſitas videatur. Cum enim annos totos quingentos in unâ domandâ Italiâ laboraverit Romanus populus; Frācinon illam ſolū, ſed univerſum pæne imperium, intra ſexcentorum, quos dixi, annorum ſpacium, ſui juris fecêre. Quocirca præcipue hoc quoque, ſicut cetera, dignum ſit cognoſcere. Sed, cum obſtet magnitudo rerumque diverſitas operis ſuſcepti modo, primos centum ac ſeptuaginta annos ab eo nimirum tempore quo primum auditum Francorum vocabulum aduſq; *Clodionem*, de quo dixi, quarto hoc Libro ſtrictim percurram: ijs enim annis ad Rheni tutandum limitem conſtituti Romani Francos modò hoſtes, modò fœderatos habuêre, donec tandem, felici alea, ſuperato Rheno præſidijſque Romanorum fugatis, ſibi in Gallico ſolo ſedem pedemque fixerint. Quibus poſitis ad reliqua quoque, ſed ea præcipue accingar, quæ in ipſis Gallijs trans acta; quæque regionum immutatarum & novas nomenclaturas aliaque controverſa cōcernunt. Tum enim in Alemannis conſtituta Franconia, quæ Orien-

Orientalis quaſi Francia fuit, reſpectu Occiduæ, quæ ſtatim poſt tranſitum in Gallias evaluerat, ſub Auſtraſiæ Veſtraſiæque diſtributione novitia; nec Romanis aut Græcis ſcriptoribus cognita. Audita tum etiam Brachbantum, Hesbanum, Carabantum, Teſtrebantum, Ripuaria, aliaque quæ ſponte & plurifariam ſe offerent, ubi eo locorum, Deo ac Muſis propitijs, perventum fuerit.

Dum autem illud, quod indicatum eſt, annorum centum & ſeptuaginta ſpatium in capita ac veluti claſſes digero; notandum aſſidue, illâ adhuc tempeſtate, ubicumque Francorum in Romanos; Romanorumq; viciſſim atque aliorum in Francos, cum jncurſiones tum expeditiones cômemorantur, eas perpetuo circa Rhenum inferiorem celebratas: adeo ut ſuperior noſtræ de primis Francorum ſedibus ſententiæ, non minimum quoque lucis ac firmamenti collatum hinc iri certum habeam. Nec illud modò, ſed & rerum Francicarum ſcriptores occaſionem hinc ſumpturos ſpes ſit, ut ulteriora &, ante Faramundum, iſtud ſimul ævũ reſpiciant, quo tam præclara maiorum ſuorum certis ſub regibus non modò geſta reperient, ſed præcipua tanti mox imperij jacta fundamina. Sed dicent forte, non in Gallijs iſta, aut hodiernâ Franciâ, ſed ab hominibus extra ſuum ſolum, trans Rhenum in occidua Germania tunc colentibus, geſta. Quod ſi locum habeat nec Faramundi, nec eius filij Clodionis atque inde Merovei & aliquot denique conſequentium regũ res ad Francos hodiernos pertinebunt, cum illorum vires virtuſque adhuc circa Rheni inferiorem limitem ac Moſam cõſtiterit maximiſque ſudoribus effecerint,

ut

ut Romanis primo ſecundoque Belgio eiectis (quod demum poſt Ætij necem contigit) ut, inquam, tunc Galliæ penitiora vel ſpe aliquando ſibi polliceri auſi fuerint. Sed ad ipſam nunc rem propius veniamus.

CAP. II.

PRIMÆ FRANCORVM RES ET MENTIO in Romana Hiſtoria, Valeriano, Gallieno & Aureliano imperatoribus Augg.

FRancorum nomen cum primum Orbi capit innoteſcere annus agebatur Christi, quo modo & ſupra notatum, duceteſimus & quinquageſimus tertius, imperante apud Romanos Gallieno: Nec tantum innoteſcere tum nomen cæptum, ſed in ſocietatē quoque, & quaſi auxilium, eorundem copiæ ab ipſis Romanorum in ripa Rheni præſidijs invitatæ fuerunt. Cuius rei eiuſmodi occaſio fuit: Gallienus cum ludibrijs & helluationi vacaret, neque aliter rempublicam regeret, quàm cum pueri fingunt per ludicra poteſtates, Galli, quibus inſitum eſt, ità habet Trebellius, luxurioſos principes ferre non poſſe, Poſthumium (qui tum Gallieni legatus Galliæ præerat) ad imperium vocarunt, exercitibus circumquaque conſentientibus, qui ſimiliter occupatum imperatorem libidinibus alijſq; delitijs ſentiebant querebanturque. Vbi autem

A. Chr. 253.

Videndus Trebellius Pollio.

contra Poſthumium Gallienus arma moviſſet, multis auxilijs adiutus eſt Poſthumus, quæ Celtica nimirum & FRANCICA Trebellius nominat;atque ita in bellum cum Victorino,viro Principe,quem in patriciatũ imperij vocarat Poſthumus, proceſſit, ac contra Gallienum animoſe conflixit. Hæc eadem auxilia, non Celtica aut Francica,ſed unico Germanorum vocabulo mox idem Trebellius exprimit in Victorino, his verbis: *Quumque adhibitis ingentibus Germanorum auxilijs diu bella traxiſſent, victi ſunt Victorinus & Poſthumius.* Et retinuiſſe exinde hæc eadem auxilia Victorinum, qui Poſthumio,à ſuis interempto,ſuperfuit,& eaſdem porro adverſus Gallienum partes fovit, vero quidem conſentaneum dixerim niſi in Lolliano diverſum referri videretur. Ibi enim Trebellius ſubmonet,interfecto Poſthumio, ſubita irruptione Germanorum (hos iam ante Francos dixerat) & direpta & incenſa fuiſſe caſtra,quæ ſeptem per annos in ſolo Barbarico, trans Rhenum ſcilicet, ædificaverat Poſthumius: ita enim ait: *Lollianus pleraſque Galliæ civitates, nonnulla etiã caſtra,quæ Poſthumius per ſeptem annos in ſolo Barbarico ædificaverat, quæque interfecto Poſthumio ſubita irruptione Germanorum & direpta fuerant & incenſa, in ſtatum veterem reformavit: deinde à ſuis militibus, quod in labore nimius eſſet,occiſus eſt.* Victorinus denique ſimili cum Poſthumio fato à quodam actuario, cuius uxorem ſtupraverat,Coloniæ Agrippinæ interfectus eſt. Atque hæc pro Poſthumio Franci adverſus Gallienum. Sub Valeriano haud minoris moliminis expeditio ab ijſdem, Rheno tranſmiſſo, ſuſcepta. Sed Aurelianus apud Maguncíacũ tunc adhuc tribunus ſextæ legionis Gallicanæ

lícanæ in ripa Rheni palantes vagantesſque, poſt varia Romanis illata detrimenta, ſic adflixit, ut ſeptingētos ex ijs interemptos, trecentos ſub corona venditos, ab autoribus memoretur: interque milites eiuſmodi tum de Aureliano cantilenam increbuiſſe Vopiſcus adijcit.

Mille Francos, mille Sarmatas ſemel occidimus;
Mille, mille, mille, mille, mille Perſas quærimus.

Qui quoque Vopiſcus ex literis Valeriani comme-morat Aurelianum, cum vicarius eſſet ad Orientem datus Vlpio Crinito, Germanos Francoſque, quod vel nomina indicant, auxiliares ac duces habuiſſe ſe-cum; ijſque plurimum tributum eædem Valeriani ad Aurelianum literæ loquuntur, in quibus, præter alia, hæc exſtant: *Habes legionem tertiam Felicem, & equites cataphractarios octingentos. Tecum erit* HARTOMVNDVS, HALDEGASTES, HILDEMVNDVS, CARIOVISTVS. Eâque Romanorum principum à Rheni limite abſen-tiâ audaciores, ut videtur, facti Franci, ſuperatis Gallijs, aduſque Hiſpanias penetraverunt vaſtato diruto-que Tarraconenſium oppido: Sed imperator mox declaratus Aurelianus è Gallijs in totum expulit ac limiti ſecuritatē ac pacem reſtituit.

CAP. III.

GENEBAVDVS ET ESATECH FRANCORVM Reges, imperantibus Probo, Diocletiano & Maximiano Augg.

VErum ea quies in haud longũ fuit. Nam Taciti Florianique imperio repetitas mox ab iiſdem acrius Gallias conſtat: donec Probus calamitatem Galliarum ingentibus expiare victorijs, omnique Germanorum gente Rhenum, tam ſuperiorem quam inferiorem, purgare inſtituit. Vnde & Proculo & A. C. 276. Bonoſo, apud Coloniam Agrippinam imperio per vim potitis, auxiliares additos Francos magna contentione perſecutus traditur. Quorum Proculum fugatum uſque ad ultimas terras & cupientem in Francorum venire àuxilium, utpote à quibus originem ſe trahere dicebat, ut refert Vopiſcus, ipſis indicantibus Francis, vicit & interemit. Circa id ipſum fere tempus paucorum ex iiſdem Francis captivorum memoranda eluxit virtus. Nam poſt acceptas à Probo, circa Propontidem, ſedes, defectione facta, magnam navium prædatoriarum copiã uſque à Ponti faucibus corripuerunt; quibus Græciæ Aſiæque oras depopulati, Syracuſas navalibus victorijs inclytas, magnâ clade editâ, ceperunt. Atque inde pleriſque Libyæ littoribus ac portubus non impune adpulſi; tandemque reiecti à copijs, quæ Carthagine veniebant, Gaditani freti anguſtias perruperunt; ac ſine ullo ſuorum detrimento in Franciam (quæ à nobis ſuperius deſcripta fuit, alterâ ſui

ſui parte Rheno, alterâ Britannico ac Boreali Oceano, ubi cis ac tranſrhenani Friſij, contermina) navibus reverſi fuêre. Quod ex Zozimi ac Panegyrici Maximiano dicti locis in unum collatis accuratius hîc referendum præcipue putavi, ut iam tum maritima huius populi potentia rerumque navalium peritia, & ſimul ad oceanum accolatus luculentius cognoſceretur. Zozimi ſuper hac re verba ita habent: *Quum Franci ad imperatorem* (Probum) *acceſſiſſent & ab eo ſedes obtinuiſſent: pars eorum defectionem molita magnamque navium copiam nacta, totam Græciam conturbavit. In Siciliam quoque, & urbem Syracuſanam adorta, magnam in eâ cædem edidit.* Tandem quum & *in Africam adpuliſſent ac reiecti fuiſſent, adductis Carthagine copijs, nihilo minus domum redire, nullum paſſi detrimentum, potuère.* Hactenus Zozimus. A militibus poſtea interfectus *Probus* animos haud leviter Frãcis auxit; & Saxones, licet à Rheno remotiores, Albis tamen & Oceani accolæ, nonnihil hinc quoque polliceri ſibi videbantur, ut proxima quæque maritimis excurſionibus prærepta Romanis, in poſſeſsionem, aut ſaltem prædam ſuã, converterent. Ad eos ergo utrimq; coercendos miſſus à *Diocletiano* Carauſius, humili quidem loco natus, ſed ſtrenvus bello, & iam parandæ claſſi ac propulſandis clancularijs deprædationibus præfectus infelicius dicam, aut ſegnius, ſe adverſus utroſq; à parte Romanorum geſſit, quum rapinis potius & lucro quam prælijs intentus prædã atque omnia hoc pacto parta ipſamque Britanniam, ſumpto imperio, ſibi retineret. Dumque turbatiſſimus in hunc modum eſſet circumquaque imperij ſtatus, & Franci terrâ marique Romanis infeſtiſsimi, firmas in aquoſa ac portuoſa Ba-

Lib. 1, Hiſt.

tavia ſedes fixiſſent adſcitus eſt à Diocletiano in partẽ curarum Maximianus. Qui ſuſcepta circa Bataviam expeditione locaque aditu difficillima, à Francis vicinis jam pridem occupata, iterum iterumque eoſdẽ aggreſſus varijſque commiſſis prælijs ad deditionem tandem compulit. Rex ipſe fortiſsimæ gentis (quem *Genebaudum* nominatum ex Panegyrico Mamertini ſupra monitum) captuſne à Romanis in illa ipſa expeditione ſit; an ſponte ad petendam pacem cum ſuis ad Maximianum acceſſerit, haud affirmarim, nam utrumque ex verbis Panegyrici jam citati elicias. Certe *Genebaudum* regem non pacem tantum, ſed regnum recepiſſe, & *Eſatech* (ita corruptè eum regem producit Mamertinus) etiam munus accepiſſe conſtat; quaſi tum demum (ut referunt adulãtes eius ævi ijdem Panegyrici) integra ſe autoritate regnare exiſtimaverint, ubi Maximiano pacato regnarent. Ita enim habet Mamertinus: *Ille magnus Alexander iam mihi humilis videtur Indo regi ſua regna reddendo, cum tam multi reges veſtri, clientes ſint, cum per te regnum receperit Genebaudus, Eſatech vero munus acceperit. Quid enim ille aliud expetivit ad conſpectum cum omni ſua gente veniendo, niſi ut tunc demum integra auctoritate regnaret, cum te Maximiane placaſſet.* Quæ licet pax aut reconciliatio cum duobus illis Francorum Principibus tum inita, magnum nihilominus captivorum populum cum coniugibus ac liberis in Galliæ deſerta idem Maximianus traduxit; partim ut quæ ante deprædando vaſtaverat, culta redderent, ut loquuntur Panegyrici, ſerviendo; partim ut terram ipſorum incolis exhaurirent; & propriam, quæ inculta ſquallebat, habitatoribus ac novis colonis replerent: Vel, quod verius

rius

rius puto, quia animadverterent Romani difficultatem, citra frumenti copiam, retinendi adverſus Francorũ potentiam ſecundam Germaniam, rebus ſuis vel ità conſultum voluêre, ut agri ab ipſis Francis culti annonam laxarent; atque ità Franci denique Francis opponerentur, dum bellicoſa paulatim eorum juventute ſuas replerent copias.

CAP. IV.

FRANCIÆ REGES ASCARICUS ET Radagiſus eorumque res, Conſtantio & Conſtantino Magno Augg.

BEllum jam cum Francis videbatur confectum; ſed incendit ea res potius, quam fregit magnos animos. Quippe haud multo poſt; nacti tempus anni ad furta belli peridoneum (cum hiems aſpera atque ſæva Rhenum gelu duraſſet) haud mediocris Frãcorum populus cum regibus ſuis *Aſcarico* & *Radagiſo* iteratò Bataviam intravit. Hoc tempore Maximianus Conſtantio Chloro, qui pater fuit Magni Conſtãtini, Gallias occiduamque imperij plagam commiſerat. Et rebellare jam ante adverſus Romanos cæperat occupata Britannia Carauſius; eumque octavum poſt annum Allectus & diademate & vita per dolum exuit, ſimulque Britannici regni jus totumque Carauſij exercitum, A. C. 291.

ercitum, qui potiſſima parte ex Francis conſtabat, in ſeſe tranſtulit inſulamque pæne triennium tenuit. Sed Alectum viciſſim, cum ad recuperandam Britanniam mitteretur Conſtantius, Aſclepiodatus Prætorianis præfectus juxta Londinum juſto prælio occidit, & Francos in urbe reliquos fudit ac fugavit. Narrat hæc fere eum in modum ævi iſtius Panegyricus Eumenius, ut facile intelligere ſit, Francorum tranſmarina ſocietate atque armis nobiliſſimam illam inſulam adverſus Romanos tunc fuiſſe tot annos defenſam. Sed quid vetat ipſius Panegyrici verba adjicere? quæ ita habent;

Eumenius Paneg. ad Conſtantium Chlorum.

Enim vero, Cæſar invicte, tanto Deorum immortalium tibi eſt addicta conſenſu victoria omnium quidem quos adortus fueris hoſtium; ſed præcipue internecio Francorum, ut illi quoque milites veſtri, qui per errorem nebuloſi maris abiuncti ad oppidum Londinenſe pervenerant, quicquid ex mercenaria illa multitudine Barbarorum prælio ſuperfuerat, cum direpta civitate fugã capeſſere cogitarent, paſſim tota urbe confecerint; & non ſolum provincialibus veſtris in cæde hoſtium dederint ſalutem, ſed etiam in ſpectaculo voluptatem. O victoria multiiuga, & innumerabilium triumphorum, quâ Britanniæ reſtitutæ, quâ gentes Francorum penitus exciſæ, quam multis præterea gentibus in coniuratione illius ſceleris deprehenſis impoſita eſt neceſſitas obſequendi, denique ad perpetuam quietem maria turbata ſunt!

Poſt hæc adjutus Conſtantius cæli clementia, dum nimirum laxaretur derepente fluminum Vahalis & Rheni glacies, aquis undique intra Bataviam obvallatos Francorum populos, ità exercitu quoque circumquaque cinxit, ut dum navigia ad manum ſubito non eſſet quaſi obſeſſos interceperit. Sed regibus pax cum eam peterent, liberaliter eſt conceſſa: gentes interim ipſas numero

numero haud paucas in deſertis Galliæ regionibus, ut ante Maximinus, ſimiliter collocavit, ſperans ibi non arma ſolum, ſed & feritatem, armorum oblivione depoſituras, uti amant interpretari panegyrici. Verum ipſi mox reges, ubi ad imperij ac militiæ rudimenta, mortuo Chloro, admotus jam eſt filius Conſtantinus, contempta ipſius quaſi adoleſcentia, pacem & fœdus, quod cum patre pepigerant, abrumpunt ripamque ciſrhenanam, iuxta Vahalis & Rheni divortia, rurſus invadunt. Conſtantinus, re intellecta, exercitum ſine mora obvium miſit captaque occaſione invadendi incurioſos, late ferro & igne graſſatus, immenſam ſtragem edidit. Inter captivos uterque Regum *Aſcaricus* & *Radagiſus* fuêre. Pepercerat iam ante captis, imo & pacem indulſerat, ut modo dictum, pater Conſtantius; at filius in ipſo freto & fervore adhuc adoleſcentiæ cõſtitutus, adeo impotenti ac pluſquam regia ira vindictam exercuit, adeoque à parentis illa degeneravit laudata lenitate, ut quibus vitam pacemque pater donaverat, ille etiam mortem, quæ quidem uſitata eſſet, inviderit. Nam & ipſos & puberes, quotquot in manus venerant, affectos ultimus cruciatibus, beſtijſque ad ſuâm & ſpectantium voluptatem obiectos miſere trucidavit: quod & panegyrici eius ævi laudare non erubeſcunt, tanquam crudelitati tam immani detracturi invidiam, ſi publico inſuper præconio & factum & auctorem extollerent. Quod cum ex verbis Nazarij ad ipſum Conſtantinum pateat, tum etiam quàm hi reges Romanis formidabiles exſtiterint, cum eos geminis draconibus ab Hercule adhuc lactente necatis compararet, ipſa Nazarij verba omnino ſubijcienda cenſui; *Tu*,

inquit, *ferociſſimis regibus Aſcarico & Comite eius capto, tanta laude res bellicas auſpicatus es, ut iam inauditæ magnitudinis obſides teneremus. Vt Herculem ferunt tenerum adhuc atque lactentem duos angues manu eliſiſſe (ut iam infantulo indoles futuri roboris immicaret) ſic tu, imperator, in ipſis imperij tui incunabulis, quaſi* GEMINOS DRACONES *necares per ſæviſſimorum Regum famoſa ſupplicia ludebas.* Quibus addenda hæc quoque Eumenij ad eundem Conſtantinum ex panegyri IX. *Affeciſti pœna temeritatis reges ipſos Franciæ, qui per abſentiam patris tui pacem violaverant; non dubitaſti ultimis punire cruciatibus, nihil veritus gentis illius odia perpetua & inexpiabiles iras.* Conſtantinus, his peractis, Treviros in hiberna conceſſit, ubi ludos VICTORIÆ FRANCICÆ regiâ magnificentiâ edidit. Quibus in ludis celebratum hoc famoſum, de quo diximus, regum reliquorumque ſupplicium ex Mamertino quodammodo colligere ſit, ubi ait: *Quid hoc triumpho pulchrius? quod cædibus hoſtium utitur etiam ad noſtram omnium voluptatem; & pompam munerum de reliquijs barbaricæ cladis exaggerat ac tantam captivorum multitudinem beſtijs obijcit, qui, cum exitum differre liceat, perire feſtinant, ſeſeque letalibus vulneribus & mortibus offerunt. Ex quo apparet, trucem Francum, qui vitam contemnit, quantæ molis ſit ſuperare vel capere.* De re enim præſenti & tanquam Treviris, ubi degebat, acta Mamertinus loquitur. Quod vero Sigonius* ob eandem hanc victoriam Ticini templum ſancto Michaeli dicaviſſe Conſtantinum, inter alia, commemorat, quàm vanum & à vanis hauſtum ſit, vel munerum & ſpectaculorum illæ in morem gentium crudeles atque infames editiones, tum

*De occid. Imp.

tum Euſebius arguat, qui multo poſt Chriſto nomen dediſſe Conſtantinum, & anno demum vitæ ultimo baptiſatum referat; quum & Zoſimus inſuper, adulto adhuc imperio, id eſt, poſt necem Licinij, patrijs uſum ſacris diſerte tradat. Poſt Regum *Aſcarici* & *Radagiſi* ſupplicia, traiecto cum exercitu Rheno, progreſſum in territoria Francorum adusque Bructeros, memorant panegyrici & præſertim Eumenius his verbis: *Vt omnibus modis Barbarorum immanitas frangeretur, nec ſola hoſtes Regum ſuorum ſupplicia mærerent, etiam immiſſa Bructeris vaſtatione feciſti, imperator invicte. In quo prima conſilij tui fuit ratio, quod exercitu repente traiecto inopinantes adortus es, non quo aperto Marte diffideres, ut qui palam congredi maluiſſes, ſed ut illa natio perfugijs ſilvarum & paludium bellum ſolita fruſtrari fugæ tempus omitteret. Cæſi igitur innumerabiles, capti plurimi. Quidquid fuit pecoris captum aut trucidatum eſt. Vici omnes igne conſumpti: puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia ſervituti, ad pœnas ſpectaculo dati ſævientes beſtias multitudine ſua fatigarunt. Hoc eſt, imperator, fretum eſſe virtute ſua atque fortuna; hoc eſt, non pacem emere parcendo, ſed victoriam quærere provocando.* Nec id tantum, ſed & pontem jam inijcere Rheno ex oppoſitu Francorum cœperat idem Conſtantinus, circa nimirum Coloniam Agrippinam idque non tam, ut interpretantur adulantes panegyrici, ne metum gens poneret, dum in hoſticum tranſeundi, quoties vellet, imperatori facultas eſſet, ſed magis ut gloria imperio ac reverentia accederet limiti. Ita enim habet Eumenius: *Inſuper etiam Agrippi-*

venſi ponte faciundo reliquijs afflicta gentis (Franclcæ) *inſultas, ne unquam metus ponat, ſemper horreat, ſemper ſupplices manus tendat, cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperij tui & ornatum limitis facias, quam ad facultatem, quoties velis, in hoſticum tranſeundi. Quippe cum totus armatis navibus Rhenus inſtructus ſit, & ripis omnibus uſque ad Oceanum diſpoſitus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur* (*& revera pulcherrimum eſt*) *ut Rhenus ille non ſolum ſuperioribus locis, ubi aut latitudine vadoſus, aut vicinia fontis exiguus, ſed etiam ibi novo ponte calcetur, ubi totus eſt, ubi iam plurimos hauſit amnes, quos hic noſter ingens fluvius, & barbarus Nicer & Mænus invexit, ubi jam immani meatu ferox, & alvei unius impatiens in ſua cornua geſtit excedere.* Et poſt pauca ſic claudit ſuper eadem re inſtitutam orationẽ: *Hoc opus & difficile factu & uſu futurum eſt ſempiternum. Certe qui iam tibi in exordio ſui hoſtium movit obſequia, qui pacem ſupplices petierunt, nobiliſſimos obſides obtulerunt: Ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi ſint, qui iam ſerviunt inchoato.* Franci interea nec iſtis tamen itâ in univerſum peſſundati, & ut volunt panegyricorum orationes, obſtupefacti, quin omnes exinde occaſiones captaverint, inferiorem Rheni limitem invadendi. Quo factum ut aliјs involutus belli difficultatibus Conſtantinus Criſpum filium, addito præceptore Lactantio Firmiano, ad Gallias & Rheni præſertim limitem adverſus Francorum inſultus tutandum poſt modum tranſmiſerit. De quo capiendus videatur Nazarius illo loco: *Franci ſub armis tuis itâ conciderunt, ut deleri funditus poſſent, niſi divino inſtinctu, quo regis omnia, quos ipſe adflixeras, conficiendos filio reſervaſſes. Quamquam ad gloriam veſtram fecunda malis ſuis natio ita raptim adolevit, rebuſtaque*

A.C.318.

robuſtâque recreata ſit, ut fortiſſimo Cæſari, primitias ingentis victoriæ daret, cum memoria acceptæ cladis non infracta, ſed aſperata pugnaret. Quæ Nazarij verba proximè præcedunt, ex quibus intelligere ſit, paulo ante in ipſas Hiſpanias maritima expeditione progreſſos fuiſſe Francos. Ità enim loquitur: *Franci ipſi, præter cęteros, truces, quorum vis cum ad bella efferveſceret, ultra ipſum Oceanum æſtu furoris evecta Hiſpaniarum etiam oras infeſtas habebat.* Niſi ad ævum Valeriani & Aureliani ea trahenda ſunt, de quo ſupra Cap. 2. ſub finem fere Capitis commonuimus, non addito quidem authoris, quem ſequimur nomine. Eutropium interim eſſe hîc dictum eſto; qui Hiſtoriæ Romanæ lib. 9. Germanorum vocabulo Francos intelligens ità habet: *Germani uſque ad Hiſpanias penetrarunt & civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt.*

CAP. V.

REX FRANCORVM MALARICHVS, CONſtantino, Conſtante & Conſtantio Conſtantini Magni filijs Auggg.

Defuncto poſtmodum Conſtantino Auguſto, Conſtans, Conſtantius & Conſtãtinus filij, fratres Augg: itemque Dalmatius Hanniballiani fratris Conſtantini Maximi filius, Orbem Romanum ſortitò ex teſtamento diviſerunt. Conſtantino cuncta trans-

Alpes data fuerant, Hiſpaniæ, Galliæ ac Britanniæ. Verum ut eſt infida regni ſocietas, & aviditas animi inſatiabilis, diſſidia inter fratres de adminiſtratione Italiæ Africæque exorta ſunt. Conſtantinus non contentus ſorte ſua, novam poſtulat diviſionem: quam cum non impetraret, accitis, præter alios, auxiliaribus Francis, Rhetias, Vindeliciam, Noricum

A.C. 340. occupat; ſed Italiam invaſurus, non longe ab Aquilea à militibus Conſtantis fratris ſui germani (qui tum circa Danubium in Mæſia adverſus Gothos verſabatur) prælio excipitur obtruncaturque. Caput amputatum in Alſam amnem abiectum eſt. De eo ita Caſſiodori Chronicon: *His coſſ.* (Acyndino & Proculo) *Conſtantinus bellum fratri Conſtanti inferens, iuxta Aquileiam Alſa occiditur.* Et plenius Socrates: *Conſtantinus Iunior, qui nomen à patre traxerat, frater imperatoris Conſtantij, in fines imperij Conſtantis fratris ſui natu minoris irruptionem faciens, cum eius militibus manu confligit, ab eiſdemque interficitur, Acyndino & Proculo coſſ.* Conſtans, intellecta fratris nece, regiones eius recipit; in Gallijs obtinendis maximus ei labor fuit. Priuſquam verò è Pannonia in Gallias moveret, occaſione ea allecti Frãci rupto fœdere invitiſque, qui relicti ad limitis defenſionẽ erant, Conſtantini ducibus, depopulari Galliam cœperunt; Cõſtans, quantũ potuit, Gallias cõfeſtim intrans caſtra adverſus eos movit, graviq; utrimq; conflictatũ eſt prælio; dum tandẽ renovato inter utroſq; fœdere, Franci in fines ſuos trãs Rhenũ reverſi ſunt. Caſſiodori chronicon ad conſulatũ Leontij & Saluſtij hæc refert; cũ inquit: *His coſſ. Franci à Conſtante perdomiti, in pacem recepti ſunt.* Bellũ ipſum inter res à Cõſtante geſtas

vix

vix à Scriptorib⁹ memoratur: Fuiſſe tamen maximũ & varijs caſibus memorabile ex verbis Caſſiodori conijcitur. Dum autẽ in Gallijs agit Cõſtãs, conſpiraverat in eius necẽ Magnentius dux Rhetici & Vindelici limitis; qui, capta oportunitate, fugientẽ verſus Hiſpaniæ Pyrenæos adſecutus occidit. Neminẽ adſtitiſſe morienti præter *Gaiſum*, hominẽ Francũ, refert Victor: Ammianus Marcellinus *Laniogaiſum*, militiæ candidatũ nominat: Cõſtãtius parricidium vindicaturus erepturuſq; Magnẽtio occupatas provincias totis viribus cõtẽdit. Et mox victor Illyrici, Norici, Vindelici dũ ex Rhetijs in proximas Gallias trãſitum parabat, Magnentius ad Galliæ interiora, unde oriundus erat, Lugdunum aufugit; ibique reparare quaſi vires ſatagens, urgentibus Conſtantinianis, ipſe ſibi manus intulit:

Conſtantius igitur, provincijs circũquaq; recuperatis, alia ſibi ad gloriam graſſandum viâ ratus, minime, uti primis exordijs parens, terrore ac crudeliate cohibendos præſertim Francos putavit: ſed eorum plurimis è Francia & oris tranſrhenanis in Gallias, & ſecundam Germaniã tranſlatis, agros ac domicilia attribuit, animadvertens nimirum hanc vel præcipuam ipſis Galliæ perpetuo imminendi cauſam exſtitiſſe. Atqueità ultrò conceſſit, quod armis tantopere quærebant. Nec id modò, verum præcipuos etiam in aulam ac militiæ ſocietatem adſcivit, Magiſtratibus ac bellicis rebus præfecit. Inter eos *Malarichus* (ſuperiori * libro Regem Francorum exſtitiſſe oſtendi) popularium apud Romanos rector fuit; & *Mallobaudes* armaturarum tribunus: *Laniogaiſum*, ſive ut hodie diceremus, *Langegiſum* militiæ Conſtantis *Canditatum*; ſub * Cap. 6.

Conſtantio

Conſtantio exinde tribunum fuiſſe refert Ammianus. Quin & Hieronymus, Ammiani ſynchronus, Franci cuiuſdam apud eundem Conſtantium Candidati accuratè meminit: quem ait ingenti cum honore & aulicorum comitatu in Palæſtinam ad Hilarionem à Conſtantio Auguſto valetudinis cauſa miſſum; & viro conſulari illis in locis ſingulariter fuiſſe commendatum. Sed ipſa Hieronymi verba adſcribenda ſunt, quæ ita habent: *Canditatus Conſtantij imperatoris, rutilus coma, & candore corporis indicans provinciam (inter Saxones quippe & Alemanos gens eius non tam lata quam valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur) ab antiquo, hoc eſt, ab infantia poſſeſſus à dæmone, ſecreto ab imperatore evectionem petijt, cauſam ei ſimpliciter indicans. Et acceptis ad conſularem quoque Palæſtinæ literis, cum ingenti bonore & comitatu Gazam deductus eſt. Qui cum à decurionibus illius loci quæſiſſet, ubi habitaret Hilarion monachus, territi Gazenſes, & putantes eum ab imperatore miſſum, ad monaſterium adduxerunt, ut & honorem commendato exhiberent: & ſi quid ex præteritis iniurijs in Hilarionem eſſet offenſi, novis officijs deleretur. Deambulabat tunc ſenex in arenis mollibus, & ſecum de pſalmis neſcio quid ſubmurmurabat: videnſq; tantam turbã venientem, ſubſtitit. Et reſalutatis omnibus, manuque eis benedicens; poſt horam ceteros abire præcepit, illum verò cum ſervis & apparitoribus remanere. Ex oculis enim eius & vultu cur veniſſet, agnovit. Statim ergo ad interrogationem ſuſpenſus homo, vix terram pedibus tangens, & immane rugiens, Syro, quo interrogatus fuerat, ſermone reſpondit: Videres de ore barbaro, & qui Francam tantum & Latinam linguam noverat, Syra ad purum verba reſonare.* Et poſt pauca: *Cumque curatus eſſet, ſimplicitate ruſtica decem auri libras offerens, hordeaceum*

In vitâ Hilarionis.

ab

ab eo panem accepit: audiens quod qui tali cibo alerentur aurum pro luto ducerent. Hactenus Hieronymus. Ammianus deinde & Bonitium nominat, pro partibus Conſtantini contra Licinianos acriter ac magna cum laude verſatum. Qui Bonitius & Francus & pater fuit Silvani, qui dum inferiorem Germaniam in Gallijs, Conſtātij nomine, fortiſſime tutatur, falſo apud Conſtantium, quod res novas moliretur, delatus eſt: idq; calumnijs à Dynamio, Lampadio & Euſebio (quos omnes recitat Ammianus) ſubdolè confictis. Malarichus Rex, qui tum apud imperatorē, propius agebat, ubi popularem atq; amicum invidia laborare ac falſo accuſari animadverteret, abſentis cauſam agere ſtrenuè cœpit, ſeq; offerebat ad Silvanum coram imperatore ſiſtendū. Verū ſanis Malarichi conſilijs reiectis, calumniatores indies magis magiſque apud Conſtantium inſtabant. Quo frequentibus epiſtolis cognito, Silvanus, ſuffragijs principum exercitus ſui, Coloniæ Agrippinæ ad imperij culmen aſcendit. Quod ità narrat, poſtquā præmiſiſſet, quæ diximus de Malaricho & Dynamio, Ammianus *: *Agens inter hæc apud Agrippinam Silvanus, aſſiduiſq; ſuorum compertus nuntijs, quæ Apodemius in labem ſuarum ageret fortunarum, & ſciens animum tenerum verſabilis principis in dicta cauſa, timens ne abſens & indēnatus peragaretur reus, in difficultate poſitus maxima, barbaricæ ſe fidei cōmittere cogitabat. Sed Laniogaiſo vetāte, tunc tribuno (quē dū militaret cādidatus, ſoiū adfuiſſe morituro Conſtāti ſupra ſcripſimus) docēteq; Frācos, unde oriebatur, interfecturos eū, aut accepto præmio prodituros, nihil tutū ex præſentibus ratus, in conſilia cogebatur extrema: & ſenſim cum principiorū verticibus ſecretius collocutus, ijſdēq; magnitudine promiſſæ mercedis annisis, cultu purpureo dra*

* Lib. 15.

conum & vexillorum inſignibus ad tempus abſtracto, ad culmen imperiale ſurrexit. Sed à Conſtantio mox, poſt varia agitata conſilia, deſtinati aliquot, & inter ceteros ipſe (qui pluribus hæc commemorat tunc inter *protectores Domeſticos* Conſtantij agens) Ammianus Marcellinus, Braccatos & Cornutos, copiarum Silvani haud poſtremam partem, magnis pecunijs & promiſſis corrumpunt, quo ex inopinato ducem ſuum trucidarent. Atque ita Coloniæ Agrippinæ interficitur vir belli artibus clariſſimus, extractus, ut refert idem Ammianus, ædicula, quò confugerat, ad conventiculum ritus Chriſtiani; die imperij XXVIII. Sed præſtat ipſum epiphonema Ammiani, oculati teſtis, adijcere, quod ità habet: *In hoc æſtu mentis ancipiti, ad effectum tendens conſilium occulta ſcrutabamur indagine; ſcederatque tandem, mutatis præ timore ſæpe ſententijs, ut quæſitis magna induſtria cautis ſpei miniſtris, obſtricto religionum conſecratione colloquio, Braccati ſollicitarentur atq; cornuti, fluxioris fidei & ubertate mercedis ad momentum omne verſabiles. Firmato itaque negotio, per ſequeſtres quoſdam gregarios obſcuritate ipſa ad id patrandum idoneos, præmiorum expectatione accenſos, ſolis ortu jam rutilo ſubitus armatorum globus erumpit: atque, ut ſolet in dubijs rebus audentior, cæſis cuſtodibus regia penetrata Silvanum extractum ædicula, quò exanimatus confugerat, ad conventiculum ritus Chriſtiani tendentem, denſis gladiorum ictibus trucidant. Ita dux haud exilium meritorum hoc genere oppetit mortis, metu calumniarum, quibus factione iniquorum irretitus eſt abſens, ut tueri poſſit ſalutem ad præſidia progreſſus extrema.* Et ſtatim: *Licet enim ob tempeſtivam illã cum armaturis proditionem ante Murſenſe prælium, obligatum gratia retineret Conſtantium, ut dubium tamen & mutabilem*

bilem

bilem verebatur: licet patris quoque Bonitij prætenderet fortia facta, Franci quidem, ſed pro Conſtantini partibus in bello civili acriter contra Licinianos ſæpe verſati. Hæc Marcellinus. Aurelius etiam Victor præter belli laudem, aliarum inſuper virtutum præconio Silvanum his verbis celebrat: *Fuit*, inquit, *ingenio blandiſſimus, & quanquam barbaro patre genitus, tamen inſtitutione Romana ſatis cultus.* Vnde perſpicuum ſit quam illuſtribus fuerit virtutum dotibus; quem Romani & Græci barbarorum (ut appellabant) hoſtes infenſiſſimi certatim tot laudibus efferunt. Quem ſi invidia diutius in imperio, quod feliciter occuparat, ſupereſſe ſiviſſet, habuiſſent fortaſſe Franci, quem Traiano & Antonino in recte adminiſtrando imperio, comparare potuiſſent.

Virtutes Silvani non vita tantum, ſed mors etiam ipſa demonſtravit. Nam ſtatim ab eius interitu Germaniæ gentes, & præſertim Franci, velut obice rupto, Rhenum tranſgreſſi Galliam univerſam concuſſerunt, magnamque eius partem viceperunt. Vnde Ibidem
Ammianus Marcellinus ſerò ſentiens, quantum in Lib. 15.
uno viro momenti fuerit ad res feliciter gerendas, ità de ſtatu iſtius temporis loquitur: *Conſtantium exagitabant aſsidui nuncij, deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente ad internecionem barbaris vaſtantibus univerſa.* Adijcitque mox Conſtantium hac rerum difficultate preſſum coactumque fuiſſe, ut Iuliannum, patruelem ſuum, tum adhuc in Græcia palliatum ac laude Chriſtianæ pietatis florentem ad imperij ſocietatem adſciſceret. Verum omnium intimè ac preſſè conſilij huius rationem ac ductum aperuit Zoſimus libro Hiſtoriarum tertio, ſtatim ſub initium, ubi in hac verba loquitur:

quitur: *His in Gallum Caſarem perpetratis, è Pannonia Conſtantius in Italiam tranſijt. Quum autem videret, omnes Romanis ubique ſubditas provincias barbaricis incurſionibus interceptas;* Francos *&* Alemanos *&* Saxones *iam quadraginta ſitas ad Rhenum urbes cepiſſe, prorſus eaſdem devaſtaſſe, cives & incolas infinita multitudinis cum innumerabili ſpoliorum copia ſecum abduxiſſe;* Quados *cum Sarmatis magna licentia & ſecuritate per Pannoniam perque Myſiam ſuperiorem graſſari;* Perſas *Orienti moleſtos eſſe non deſinere, licet antea quieviſſent, veriti ne Gallus Caſar eos adoriretur: his igitur omnibus ad animum revocatis, & quid faceret, ambigens; ſolum quidem ſe minime ſufficere poſſe putabat, ut adflictis adeo rebus & laborantibus opem ferret: imperij vero conſortem deligere non audebat, quum ob imperandi libidinem nimiam, tum quod omnes ſuſpectos haberet, ac neminem prorſus ſibi fidum fore duceret. Has ob res admodum erat inops conſilij. Quumque in maximo Romanum imperium periculo poſitum eſſet, Euſebia Conſtantij coniunx, qua ſumma praſtabat eruditione doctrina, ſupraque muliebrem ſexum prudens erat, conſilium ei ſuggerit: hortata, tranſalpinis ut populis* Iulianum *Caſarem praficeret, germanum Galli fratrem, & eius Conſtantij nepotem è filio, qui à Diocletiano Caſar fuerat appellatus. Et quoniam norat Euſebia, Conſtantium imperatorem cognatos omnes habere ſuſpectos; maritum hoc quodam modo circumvenit. Iuvenis eſt, inquit, & ſimplicis ingenij ſtudijſque doctrina per omnem vitam vacavit; & rerum omnium plane rudis ac imperitus, quovis alio nobis aptior erit. Nam, ſive fortuna proſpera, rebus gerendis utetur; faciet, ut imperatori felices illi ſucceſſus adſcribantur: ſive qua parte impegerit, morietur; nec ullum poſtea Conſtantius habebit, qui ve-*

lat ex imperatoria familia natus, ad ſummam rerum administrationem vocabitur. Hactenus Zoſimus.

CAP. VI.

RES FRANCORVM IMPERANTE Iuliano Cæſare Aug.

ITaque Conſtantius VIII. iduum Novemb. advocatis militibus, tribunal aſcendens & Iulianum dextra tenens, ita dicere inſtituit: *Neminem veſtrum latere arbitror, poſt extinctos tyrannos*, vel, ut ipſis, quæ recitat Ammianus, verbis dicam, *Poſt interitum rebellium tyrannorum, quos ad hæc tentanda quæ moverunt rabies egit & furor, velut impijs eorum manibus Romano ſanguine parentantes, inſultant barbari Gallias rupta limitum pace, hac animati fiducia, quod nos per diſiunctiſſimas terras arduæ neceſſitates aſtringunt. Huic igitur malo ultra oppoſita iam proſerpenti, dum patitur tempus ſi occurrerit noſtri veſtrique conſulti ſuffragium, & colla ſuperbarum gentium detumeſcent, & imperij fines erunt intacti. Reſtat ut rerum ſpem, quam gero, ſecundo roboretis effectu. Iulianum hunc fratrem meum patruelem, ut noſtis, verecundia, qua nobis ita ut neceſſitudine charus eſt, recte ſpectatum, iamque elucentis induſtria iuvenem, in Cæſaris adbibere poteſtatem, exopto, captis, ſi videntur utilia, etiam veſtra conceſſione firmandis.* Dicere ſuper his plura conantem A.C. 355.

interpellans concio lenius prohibebat, arbitriũ ſummi numinis id eſſe, non mentis humanæ: velut præſcia venturi prædicans. Stanſque imperator immobilis, dum ſilerent, reſidua fidentius explicavit: *Quia igitur veſtrum quoque favorem adeſſe fremitus indicat latus, adoleſcens vigoris tranquilli, cuius temperati mores imitandi ſunt potius, quam prædicandi, ad honorem proſperatum exurgat: cuius præclaram indolem bonis artibus inſtitutam hoc ipſo plene videor expoſuiſſe, quod elegi. Ego eum præſente nutu Dei celeſtis amictu principali velabo.* Dixit: moxque inindutum avita purpura Iulianum, & Cæſarem cum exercitus gaudio declaratum, his alloquitur contractiore vultu ſubmæſtum: *Recepiſti primævus originis tuæ ſplendidum florem, amantiſſime mi omnium frater: aucta gloria mea confiteor, qui iuſtus in deferenda ſuperiori poteſtate nobilitati mihi propinquæ, quam ipſa poteſtate videor eſſe ſublimis. Adeſto igitur laborum periculorumque particeps, & tutelam miniſterij ſuſcipe Galliarum, omni beneficentia partes levaturus afflictas: & ſi hoſtibus congredi ſit neceſſe, fixo gradu conſiſte inter ſigniferos ipſos, audendi in tempore conſideratus hortator, pugnantes accendens præeundo cautiſſime, turbatoſque ſubſidijs fulciens, modeſte increpans deſides, veriſſimus teſtis adfuturus induſtrijs & ignavis. Proin urgente rei magnitudine, perge vir fortis, ducturus viros itidem fortes, &c.* Hucuſque Ammianus, addens paucis exinde diebus Helenam virginem Conſtantij ſororem eidem coniugali fœdere copulatam. Atque ita commiſſa Iuliano Galliarum & Rheni adverſus Francos omneſque Germanos tutela. Kal. Decembribus Mediolano egreſſus eſt: deductuſque a Conſtantio aduſque locum duabus columnis inſignem, qui Laumellum interjacet

cet & Ticinum, itineribus rectis Taurinum contendit. Quo cum perveniſſet, nuncium triſtiſſimum accepit, Coloniam Agrippinam, ampli etiam tum nominis urbem in ſecunda Germania, pertinaci Francorum obſidione captam. Quo audito, ſæpe dicitur murmuraſſe, *nihil ſe plus adſecutum, quam ut occupatior interiret*. Viennam Galliarum poſtea progreſſus magno ab omnibus honore exceptus urbem intravit: proculque viſum plebs dignitaſque univerſa IMPERATOREM OPTIMVM, *clementem & felicem* appellans cōſonis laudibus celebrabat, utpote ſalutarem quendā genium rebus conclamatis adfulſiſſe arbitrata. Tunc *anus quædam orbata luminibus* (ſunt verba Ammiani) cum percunctando quinam eſſet ingreſſus, Iulianum *Cæſarem* comperiſſet, exclamavit, *hunc Deorum templa reparaturum*. Quod verum vaticinium fuiſſe rei eventus oſtendit. Siquidem Chriſti religione ac cultu poſt habito ſeſe exinde gentilium Deorum venerationi mancipavit. Viennæ hiberna agens à Conſtantio, octavum conſule, collega aſciſcitur, Vitraſio Orfito ſecunda urbis prætura mandata. Eo anno vernali jam tempore Franci ceteraque Germanorum pubes, ſeu, ut vocat Ammianus, Barbari Auguſtodunum (*Autun* hodie) muris invalidis oppidum, torpente ad defenſionem præſidiarij militis levi manu, invaſerunt. Verū veteranis propere accurrentibus, ſtatim exire compulſi ſunt. Quod ubi Iulianus accepit, VIII. Kal. Iulias exercitum Auguſtodunum traduxit, hoſtem per diverſa palantem, data occaſione aggreſſurus. Et ne qua interveniret mora adhibitis ſolis cataphractarijs & baliſtarijs, Antiſiodorum (*Auxerre* dici hodie exiſtimant)

ſtimant) pervenit. Inde recreato milite, ad Tricaſſinos iter itendit: Germanoſque catervatim in ſe ruentes, partim cum timeret ut validiores, confertis lateribus, reiecit, alios, occupatis idoneis locis, decurſu facili proterens, nonnullos pavore trepidantes cepit; ceteros fuga ſibi conſulentes armorum pondere præpeditus evadere innocuos perpeſſus eſt. Hinc Tricaſſas (*Troies* nunc incolæ dicunt) inopinatus acceſſit: continuoq; Rhemos, nihil prolatandũ exiſtimans, petijt, ubi in unũ cõvocatũ exercitũ, præfectis Marcello & Vrſicino, ſemet iuſſerat operiri. Hic cum placuiſſet per Decẽpagos (Simlero eſt *Duoſe* Lotharingiæ) Alemanorum quoq; plebẽ adoriri, iter die humecto & decolore ingreſſus, parum abfuit, quin magnam cladem acceperit. Hoſtis enim duas legiones poſt terga eius adortus pæne deleſſet, niſi ſocij auxilio ſubito accurriſſent. Audiens inde Argentoratum, Brotomagũ, Tabernas, Siliſonem, Nemetas, Vangionas & Maguntiacum ab hoſte infeſtari agroſque eorum incoli; oppida vero, ut circundata retibus luſtra vitari, primum omnium Brotomagum occupavit atque occurrentem Germanorũ manum acri prælio retudit. Mox propius propiuſque accedens & aliqua jam victoria lætus recta ad Agrippinenſes à Francis, ut diximus, invaſos deſcendit, urbemque obſidione cinxit. Sed exiguam poſt temporis morã, pace cum obſeſſis totoque Francorum exercitu pacta, urbem, ſuperhabita longiore obſidione, recuperavit. Ingreſſus igitur Agrippinam non ante motus eſt exinde, quam *Francorum Regibus*, ita habet idem Ammianus, *furore miteſcente perterritis, pacem reipublicæ firmaret & urbem reciperet munitiſſimam.* *Iiſque vicendi*

primitÿs

primitijs lætus per Treveros hyematurus apud Senones oppidum tunc oportunum abſceſſit. Vbi bellorum inundantiam molem humeris ſuis, quod dicitur, vehens ſcindebatur in multiplices curas: ut milites qui à ſolitis deſcivere præſidijs, reducerentur ad loca ſuſpecta, & conſpiratas gentes in noxā Romanis nominis diſiectaret &c. Quæ ſollicite perpenſantem, hoſtilis aggreditur multitudo, oppidi capiundi ſpe in maius accenſa: ideo confidentes, quod nec Scutarios adeſſe, prodentibus perfugis, didicerant, nec Gentiles, per municipia diſtributos. Quibus in verbis id præter cetera notatu dignum, etiam tum à partibus Iuliani & Romanorum haud paucos ſtipendia meruiſſe è gente Francorum eoſque *Gentiles* nominari per mumicipia diſtributos. Vnde & rurſum animadvertere ſit, haud minimum Galliæ cuſtodiendæ præſidium exſpectaſſe Romanos ab ipſo etiam milite Francico: idque adverſus Alemanos non modo, alioſque ſed ipſos quoque Francos, utpote è regione ſtatim Agrippinenſium, colentes, ſibique ad omnes occaſiones hoc nomine præcipue formidabiles.

Hinc converſus ad primam Germaniam Iulianus adverſus Chonodomarium Alemanorum regem procinctum movit, eumque ad Argentoratum magno ac memorabili prælio vicit, ſexaginta millibus hominū in ipſo conflictu cæſis, totidemque in flumē demerſis, Chonodomarius Rex in collē vicinum evaſit, atq; ibi à cohorte Romana obſeſſus, ultro ſe dedidit. Francos interea vacua Romanorum præſidia raptim vaſtantes magiſter equitum Severus, Rhemos per Agrippinam & Iuliacum petens, inopinato invadere & exturbare tentavit. Qui tandem metu reverſi, A.C. 457.

jam ex prælio Alemanico exercitus, duobus munimẽtis occupatis, ſeſe, quoad potuit, tutati ſunt. Idque audiens Iulianus, *Caſtellum* oppidum, Moſæ fluvio adſitum, hodieque veſtigia ſui retinens in Keſſel vico, media licet hieme ad quartum & quinquageſimum diem circumſedit; verituſque ne obſeſſi obſervata nocte illuni, conglaciatum amnem pervaderent, quotide à ſole in veſperam flexo uſque ad lucis redeuntis principium, luſorijs navibus diſcurrentes per flumen ultro citroque milites ordinavit, qui cruſtas glacierum perfringerent exitumque undiquaque ac eruptionem inhiberent: atque ità Inedia, vigilijs & deſperatione ad deditionem adegit, ſtatimque ad comitatum Auguſti tranſmiſit. Quo peracto, ad eximendos periculo atque obſidione liberãdos multitudo Francorum egreſſa, cum captos reperiſſent & abſportatos nihil ulterius auſa, ad caſtra ſua redijt. Iulianus autem Pariſios in hiberna conceſſit. Vbi dum agit, conatus eſt prævenire Alemanos nondum in unum coactos. Verum expectans Iulium menſem, quo tum Gallicæ expeditiones incipiebant, vehementius angebatur, quod nondũm, ſolutis frigoribus, commeatus ſubvehi poterant. Itaque non expectata anni maturitate, hoſtibus occurrere ex improviſo conſtituit, ac pane buccellato in triginta dies excocto, inque humeros libentium militum impoſito, primos omnium *Salios Francos* petijt, pridem auſos in Romano ſolo apud Toxandriam ſibi domicilia figere. Tungros ubi veniſſet, occurrit extemplo Saliorum legatio petens, ne ſe quieſcentes laceſſere vellet. Quibus perplexo cum reſponſo dimiſſis, ſtatim inſecutus, Severo duce per ripam miſſo, ador-

adortuſque imperatos adeo perculit ut deditionem repente fecerint. *Chamavos* ſimilia auſos, tunc ſimul aggreſſus partim cecidit, partim acriter repugnantes cepit, atque in vincula tradidit, alios in fugam coactos ad ſua àbire incolumes permiſit. Inde tria in Moſæ ripa caſtella ſita, à Francis vaſtata, reſtituit; ac partem annonæ humeris militum advectam, ibi reliquit, ſpe ductus, poſſe id incommodi Chamavorum ſegetibus reſarciri. Quod ſecus accidit. Nam frugibus nondum maturis, miles conſumptis, quæ portaverat, nuſquam victum reperiens, ipſum probris inceſſere cæpit, *Aſianum* appellans, *Græculum & fallacem, & ſpecie ſapientiæ ſtolidum.* Vtebantur & eiuſmodi querimonijs: *Quo trahimur ſpe meliorum abolita, olim quidem dura & perpeſſu aſperrima per nives tolerantes & cacumina crudelium pruinarum? Sed nunc proh nefas, cum ultimis hoſtium, fatis inſtamus, fame ignaviſſimo mortis genere tabeſcentes. Et ne quis nos turbarum exiſtimet concitores, pro vita ſola loqui teſtamur, non aurum neque argentum petentes, quæ olim nec contractare potuimus, nec videre.* Apud Conſtantium quoq; obtrectatores victoriarum eius non deerant, *capellam* non *hominem* conviciantes; itemque *talpam loquacem, ſimiam purpuratam* & *Græcum litterionem*, aliaque in eum ſimilia jacientes. Sed excuſat Iulianum, qui hæc memorat, Marcellinus Ammianus *Virtuti ſemper invidiam eſſe comitem* demonſtrans. Porro ex Zoſimo non abſone colligere eſt, qua occaſione illi Salij trās Rhenum tunc progreſſi circa Moſam ac Toxandriam ſedes fixerint. Nam ait Zozimus vi Saxonum ſedibus ſuis pulſos, terriſque ei conterminis jus ſibi armis feciſſe. Quin imo memorabile eorundem Saxonum

in Salios iſtos facinus atque odium ibidem refert, Saxones nimirum Quadis (verſus Sarmatas populis) ſibi adiunctis Salios penitus delere conſtituiſſe, niſi Franci victoris ac vicini potentiam metuentes id prohibuiſſent; Quados nihilominus, navibus mox ædificatis, per Rhenum ſuperiorem delatos, prætervectoſque regionem Francis parentem, in Bataviam (à Salijs ut diximus, Saxonum vim fugientibus jam ante occupatam) exſcenſionem feciſſe, Salioſque tota inſula (quam veluti uſucapione ſuam tum fecerant) pellere inſtitiſſe; eoque Iuliani Cæſaris iram provocaſſe, qui accerrime Quados aggreſſus à Salijs Francis vim omnem abſtineri juſſit: additque Zoſimus Cæſaris humanitate permotos Salios, clementiã quam vim experiri Romanorum maluiſſe, ac ſponte Cæſari ſupplices factos ſeque ac ſua eius permiſiſſe fidei; Quados interim vicinis circumquaque inhærentes partibus non aperto quidem Marte, ſed furtim ac per latrocinia graſſando, multum exinde ijs in locis exhibuiſſe Romanis negotij. Et certe diu ſolideque iſto in tractu, quæ nunc *Gelria ſuperior* audit conſtitiſſe reliquias Quadicæ gentis familiæ ac loca nonnulla, quæ hodieque *Quadorum* ibi nomen retinent, argumento fuerint. Hæc ut illuſtriora magiſque perſpicua fiant, paulo prolixius adſcribam ipſa Zoſimi verba: *Saxones omnium eas regiones incolentium barbarorum & animis & corporum*
Lib.3.Hiſt *viribus & laborum in prælijs tolerentia fortiſſimi habiti, Quados, nationis ſuæ partem, in ſolum à Romanis occupatum emittunt. At finitimis Francis eos tranſitu prohibentibus, qui metuerent, ne iuſtam Cæſari cauſam præberent, ſe rurſus invadendi; navibus conſtructis, Rheno, præ-*

prætervecti parentem Francorum imperio regionem, in Romani juris ſolum contenderunt: & adpulſis ad Bataviam navibus, quam diviſus Rhenus inſulam efficit, quavis inſula fluminea maiorem, Saliorum nationem, Francorum à parte profectam, & vi Saxonum in hanc inſulam ſuis è ſedibus reiectam, expulerunt. Hæc inſula prius Romanis in univerſum parens, à Salijs hoc tempore poſſidebatur. Cæſar, ea re cognita, Quados ille quidem viciſſim aggrediebatur; ſed iuſſo prius exercitu cum Quadis acriter dimicare, Saliorum neminem occidere, nec prohibere, quo minus in Romanorum fines illi tranſirent; quod non ut hoſtes Romanam regionem peterent, ſed per vim & coactionem à Quadis pellerentur. Hac animadverſa Cæſaris humanitate Salij partim ex inſula cum rege ſuo Romanum in ſolum tranſijciebant, partim ad limites inita fuga ſe conferebant; omnes Cæſari ſupplices facti, ſponte ſua ſe, cum rebus ſuis, eius fidei permittebant. Cæſar non jam ad bellum gerendum promptos & audentes amplius barbaros (Quados ſcilicet) *videns, ſed clandeſtinis incurſionibus & latrocinijs intentos haud levibus inde malis ac detrimentis regionem adficere: quid ageret dubius, hanc artem barbarorum prudenti ſtrategemate viciſſim ultus eſt.* Poſt, enarrato paulo fuſius eodem ſtrategemate, ita addit concluditque: *Id facere non deſinebat, donec Quadi maximas ad anguſtias redacti, deque multis pauci facti, cum duce ſuo Cæſari ſe dederent.* Et ſtatim: *His rebus ita conſtitutis & Salios Cæſar, & Quadorum partem & quoſdam incolentes inſulam Bataviam, legionibus adſcripſit: quorum ordines noſtro quoque tempore ſuperſtites eſſe videntur.*

Poſt hæc Iulianus apud Conſtantinum ſuſpectari cæptus, quaſi ad imperium adſpiraret: ideoque Leonam quæſtorem ſuum cum literis ad eum miſit,

quibus monebat ut intra Cæſaris poteſtatem ſe contineret. Leonas ingreſſus Pariſios, poſtridie Iuliano in tribunali de induſtria conſiſtenti, literas reddidit. Quas Iulianus convocatæ multitudini recitavit. Vbi ventum ad locum eſſet id continentē, quod geſta eius omnia Conſtantius improbaret ac Cæſaris poteſtatē ſufficere ei cenſeret, exclamavit undique multitudo, AVGVSTE IVLIANE, VT PROVINCIALIS ET MILES ET REIPVBLICÆ DECERNIT AVTORITAS. Iulianus, legatis inde ad Conſtantium miſſis, ad limitem Germaniæ ſecundæ denuo proceſsit, Rheno tranſmiſſo, regionem invaſit Francorum Anſuariorum: quod hi extrema Galliarum indentidem incurſionibus infeſtarent: Eoſque adortus talium ſecuros, quod neminem principem, ob viarum difficultatem, ad ſuos agros penetraſſe meminerant, facile ſuperavit: Atque inde pacem orantibus pro arbitrio dedit, hoc prodeſſe

Lib. 20. poſſeſſoribus finitimis arbitratus, ut habet Ammianus; cuius verba adſcribere hoc loco operæpretium exiſtimo: *Iulianus iam celſiore fortuna militiſque fiducia lætior, ne intepeſceret, neve ut remiſſus argueretur ac deſes, legatis ad Conſtantium miſſis, in limitem Germaniæ ſecundæ eſt egreſſus: omnique apparatu, quem flagitabat inſtans negotium communitus, Obtricenſi Moſæ oppido propinquabat. Rheno exinde tranſmiſſo, regionem ſubito pervaſit Francorum, quos Anſuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percurſantium extima Galliarum. Quos adortus ſubito nihil metuentes hoſtile nimiumque ſecuros, quod ſcrupoſa viarum difficultate arcente, nullum ad ſuos pagos introiſſe meminerant principem, ſuperavit negotio levi: captiſque plurimis & occiſis, orantibus aliis, qui ſuperfuere, pacem ex arbitrio dedit, hoc prodeſſe*

prodeſſe poſſeſſoribus finitimis arbitratus. Quo de loco deque Anſuarijs quoque Francis quæ dici uberius poſſunt, repetenda ex antecedentibus, quæ poſita ſupra lib.2.cap.8. Iulianus, relictis hinc Gallijs, Rauracos & Pannoniam atque inde Orientem verſus perrexit; ubi extincto Conſtantio, imperator votis omnium declaratus eſt. Verum adverſus Parthos movens exiguo temporis ſpatio ſuperfuit.

CAP. VII.

REX FRANCORVM MELLOBAVDVS Valentiniano, Valente & Gratiano Auggg.

IVlianum ſecutus Iovianus; ſed & hunc brevis ævi principem excepit continuo Valentinianus; qui ſummum rei Romanæ jus adeptus in pari ſibi faſtigio Valētem fratrem collocavit. Franci oportu- A.C.367.
nitatem hanc ex obitu atque abſentia tantorum ducū nacti, non terrâ tantum, ſed mari quoque Gallicanos tractus infeſtare ac repetere cæperunt. Quod eum in modum commemorat Ammianus, quaſi tum Saxones ſibi aſſociatos habuerint. Ait enim: *Gallicanos tractus Franci & Saxones iiſdem confines, quò quiſque erumpere potuit* Lib.26.
terrâ vel mari prædis acerbis incendiiſque & captivorum funeribus hominum violabant. Valentinianus ut infeſtas non

modò

modò Francorum, ſed omnium in univerſum Germanorum incurſiones arceret, Rhenum à Rhetijs, uſque ad mare Oceanum, magnis communire molibus eſt adortus: Caſtella & turres excelſas per habiles præſertim & oportunos locos, quà Galliarum porrigitur longitudo, conſtruxit; aliquot etiam locis trans flumẽ
A.C. 370. ædificia poſuit, abradens, ut loquitur Ammianus, barbarorum fines. Zoſimus de eodem hoc tempore ac rerum ſtatu ita ſcribit: *Transrhenani, qui quam diu Iulianus ſuperſtes erat, nomen Romanum metuebāt & ſat habebant, ſi*
Lib. 4. Hiſt. *nemo eis in ſolo ſuo quieſcẽtibus quidquam exhiberet moleſtiæ: morte Iuliani nunciata, ſuis continuo ſedibus egreſſi, ad gerendũ contra Romanos bellum ſe parabant. Quo Valentinianus animadverſo, copias & pedeſtres & equeſtres, & armaturæ levis, uti per erat diſponebat: ſitaque ad Rhenum oppida neceſſario præſidio muniebat. Atque hæc Valentinianus, rei bellicæ non omnino rudis, in hunc modum ordinabat.* Eo peracto, novam nihilominus eruptionem in limitẽ Romanũ moliri, quietis jam Francis, auſi Saxones. Erat tũ ea parte limiti præfectus Comes Nannienus, qui adverſus eos progreſſus haud ægrè primã belli procellã ſuſtinuit. Poſt, vulnere gravi accepto, Valentinianus Severum, magiſtrum peditum, ei ſubmiſit. Qui ingenti inſuper militum manu adducta, tantum terrorem hoſtibus intulit, ut veniam extemplo pacemque orarint. Dum autem per eadem, quibus venerant, loca ſecuri & pacem jam, ut exiſtimabant, pacti domuitionem inſtituunt, firma Romanorum peditum manus à valido cataphractorũ equitum globo adiuta, ſic eos in itinere circumvenit, ut ad unum pæne omnes ceciderint. Narrat fere ita
Lib. 28. Ammianus & excuſare hanc Romanorum perfidiam,

ſed

ſed fruſtra conatur. Hieronym', Oroſius & Caſſiodor',
in regione Francorũ Deuſone (Deutziũ ex adverſo Coloniæ
Agrippinæ intelligendũ jã ante *cõiecimus) factũ hoc * Lib. 2.
uno omnes ore referũt, cõferuntq; in IV. cõſulatũ Va- Cap. 3.
lẽtiniani & Valẽtis Augg. cũ in III. eorundẽ conſulatũ
reijciat, ut & ſupra notavimus, Ammian'. Zoſim' an eã-
dẽ hãc Saxonũ eruptionẽ intelligat lectoris judicij fa-
cio cũ dicat l. 4: *Imperator Valẽtinianus apud gẽtes trãſalpinas
degẽs, maxima pariter & inopinata pericula experiebatur. quippe
tota* Germanorũ *natio, revocatus ad animos ÿs, quæ perpeſſa tẽ-
poribus illis fuiſſent, quibus Iulianus Cæſaris auctoritatẽ habue-
rat; ſimul atque de morte ipſius accepiſſent, excuſſo metu, qui ani-
mis eorũ infixus erat, & innata genti audacia reſumpta, pariter
univerſi ſubiecta Romano imperio loca invadebãt. Quibus impe
ratore obviã profecto, præliũ acre cæptũ eſt; quo barbari Romanũ
exercitũ vincebãt, & citato curſu perſequebantur. Valentinianus
minimè fuga periculũ declinare ſtatuit; ſed hoc caſu æqua mente
tolerato, detrimẽti accepti auctores perquirit, à quibus ſcilicet
initiũ fugæ factũ fuerat. Quæſtione peraccurate inſtituta, quum
legionẽ Batavorũ reã peregiſſet: iuſsit, ut univerſus exercitus ſuu
tis armis cõveniret, velut audituris militibus ea verba, quæ pu-
blice cũctis eſſent uſui futura. ſecundũ hæc verbis uſus eſt, quæ au-
ctoribus fugæ pudorẽ infamiamq; per omnẽ vitã irrogarent: iu-
ſsitq;* Batavos, *armis exutos, pretiũ offerẽtibus, veluti mãcipia
fugitiva, publice abducẽdos alio, diſtrahi. Tũ vero proni ad terrã
prolapſi omnes, ut exercitũ penitus eiuſmodi dedecore liberaret,
obſecrabãt; ſimulq; futurũ pollicebantur, ut viros ſe præſtarent,
nomine Romano dignos. Quod cum ille deinceps ipſa re declarari
iuſsiſſet, ubi de terra ſurrexiſſent, ac ſemet ex uſu armaſſent:
pugnam redintegrabant: & extra vallum progreſſi, tam eo ſe
bello ſtrenue geſſerunt, ut de Barbarorum infinita multitu-*

dine, pauci domum incolumes redierint. Ac bellum quidem adverſus totam nationem Germanicam, huiuſmodi tunc exitum habuit. Hucuſque Zoſimus. Cuius poſtrema illa verba, *ut de Barbarorum infinita multitudine pauci domum incolumes redierint*, tum & antecedentia, quibus victores primum fuiſſe innuuntur Germani, ad ſupra memoratam ex Ammiano Saxonum expeditionem non incommodè referas, modò cetera reſpondeant. Habuere tunc Franci regem *Mellobaudum* vel, ut alij, *Mellobaudem* nomine, quem ſæpe iam laudatus Ammianus *Domeſticorum Comitis* titulo apud Valentinianum & Gratianũ, multaque belli laude clarum acceptumque fuiſſe commemorat: Et pepigerat ſub idem tempus pacem cum Valentiniano Alemanorum rex *Macrianus*; Qui otium inde atque occaſionem nactus, in Franciam adverſus *Mellobaudum* quem dixi Regem vi armata deſcendit: Dumque internecivè vaſtando omnia perrumpit, vim vi repellere Francorum Rex Mellobaudus aggreſſus inſidijs circumventum interemit. Nam, ut ille ait, *dolus an virtus quis in hoſte requirit?* Mox Gratiano Rhenenſi limiti præpoſito, Francos Romanorum ſocios ac fæderatos fuiſſe reperio, opera præſertim eiuſdem, de quo loquimur, *Mellobaudi*, Francorum regis; tum & *Richomeris* & *Merobaudis* Francorum item hominum & magnæ apud Romanos autoritatis: quorum *Merobaudem* ad conſulatum etiam urbis evectum Faſti notant. Zoſimus inſuper toti adverſus Sarmatas & Quados exercitui à Valentiniano, paulo ante eiuſdem Valentiniani obitum, fuiſſe præfectum refert, ob ſingularem, quam ſupra ceteros haberet, rei militaris peritiam. Accedebat & inclinatio deinde ipſius Gratiani,

quem

quem adeò Francorum, quos tum barbaros nominabant, comitatu & propemodum amicitia captum ac delectatum indicat Victor, ut eodem plerumque habitu ac cultu iter facere ſtudio habuerit. Porro Mellobaudi bellicoſi, ut habet Ammianus, Regis ductu, auſpicijs verò Gratiani, ingens exinde Alemanorum multitudo apud Argentariam unà cum Rege Alemanorum *Priario* cæſa fuit. Sed operæ eſt pretium Ammiani verba, quatenus præcipue ad rem faciunt integra adijcere: *Gratianus*, inquit, *revocatis cohortibus quas præmiſerat in Pannonias, convocatiſque alijs, quas in Gallijs retinuerat, Nannieno negotium dedit virtutis ſobriæ duci: eique Melobaudum junxit pari poteſtate collegam domeſticorum Comitem,* REGEMQVE FRANCORVM, *virum bellicoſum & fortem. Nannieno igitur penſante fortunarũ verſabiles caſus, ideoq; cunctandum eſſe cenſente, Mellobaudes autem pugnandi cupiditate raptatus, ut conſueverat ire in hoſtem differendi impatiens angebatur. Proinde horrifico adverſum fragore terrente, primum apud Argentariam ſigno per cornicines dato, concurri eſt captum: ſagittarum verutorumque miſſilium pulſibus crebriores hinc inde ſternebantur. Sed in ipſo præliorum ardore infinitâ hoſtium multitudine milites viſâ, vitanteſque aperta diſcrimina, per calles conſitas arboribus & anguſtas, ut quiſque potuit diſperſi, paulo poſt ſtetere fidentius & ſplẽdore conſimili proculque nitore fulgentes armorum imperatorij adventus iniecere Barbaris metum. Qui repente verſi in terga reſiſtenteſque interdum, ne quid ultimæ rationis omitterent, ità ſunt caſi ut ex prædicto numero (quadraginta vel ut alij, 70. armatorum millibus) non plus quam quinque millia, ut æſtimabantur, evaderent, denſitate nemorũ tecti, inter complures alios audaces & fortes Rege quoque Priario interfecto exitialium* A.C. 374.

 concitore

concitore pugnarum. Hactenus Ammianus, & eſſe hunc *Priarium*, eum credo, cuius & ſupra obiter meminimus, quē Proſperi, non Cōſulare illud, ſed parvum à Pythæo editum chronicon minus rectè mea quidem opinione, *Priamum* nominat, dicitque *regnaſſe in Francia*. Quod ut certò ſtatuam facit, præter alia, etiā id quod & Proſper & Ammianus ad ævum Gratiani eum referant; ille falſo *Priamum*; hic *Priarium* rectè appellās. Rationes autē, ob quas ex Ammiano potius Proſperum, quàm ex Proſpero Ammianū reſcribendum velim, *ſupra accuratius poſitas hîc non itero. Hac clade fractis fugatiſq; hoſtibus, Gratianus Rhenum tranſgreſſus Mellobaude ſimiliter duce, tā inſigni victoria potitus eſt ut facultatē imperatori Valenti patruo fecerit Thraciam petendi, quo Gothos omnia longè lateque populantes pari felicitate compeſceret. Sextus Aurelius Victor nō multum à verbis Ammiani, modò citatis, abludens triginta Alemanorum millia eo conflictu apud Argentariæ Galliæ oppidum (ſic enim loquitur) cæſa commemorat: Quod facinus cum Marcellinus ductu præſertim Francorum regis, ut indicatum, Melobaudi & cæptum & perfectum dicat, nemini dubiū relinquit, cuius fortitudine laus omnis & gloria debeatur. Bello quoque Thracico quod infeliciter nimis Valens exinde geſſit magnā ſervati exercitus laudē Richomeri Franco attribuit idem Marcellinus. Nā perierat pæne miles univerſus, dum propere, & antequam cum reliquis copijs Gratianus accederet, inſano quodā ad præripiendam victoriam ardore raptus Valens cum hoſte confligit. Nam & ipſe Valens eo conflictu, vix tertia exercitus parte ſuperſtite, interijt.

* Lib. 3. Cap. 6. Pag. 233.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

REX FRANCORVM THEODOMERVS Gratiano, Valentiniano minore & Theodoſio Auggg.

VAlente, eo quo dictum eſt, modo rebus humanis exempto, ſumma imperij ad Gratianum & Valentinianum, Valentiniani ſuperioris filios, redacta eſt, utrumque adhuc admodum iuvenem. Nam Gratianus annos viginti, Valentinianus vix tredecim attingebat. Egregia nihilomimus Gratiani & ſupra ætatem cum animi tum conſilij indoles facile ipſam prope ruentem rempublicã fulſit: Præſertim cum Theodoſium ex Hiſpanijs evocatum, virum bello paceque præſtantem Auguſti nomine, licet reluctantem, inſigniret, & mox Orienti quoque præficeret. Vnde Claudianus Honorium poſtmodum imperatorem, Theodoſij filium, compellans, deque patre Theodoſio loquens, ità cecinit:

Nulla relicta foret Romani nominis umbra
Ni pater ille tuus iam iam ruitura ſubiſſet
Pondera, turbatamque ratem certâque levaſſet
Naufragium commune manu. Sic traditur illi
Servaturque Oriens,

Anni exinde principio (qui à Chriſto nato trecenteſimus octuageſimus *Gratianum* Auguſtum quintò, &

A.C.380. *Theodoſium* primò Conſules habuit; Theodoſius Theſ-
ſalonicæ morbo graviſſimo conflictatus eſt: eaque oc-
caſione Barbari, ſic appellant authores, ex Mæſia Thra-
ciaque progreſſi ſeſe populabundi in proximas pro-
vincias Pannoniam ac Macedoniam effuderunt. Quâ
de re certior factus Gratianus, *Bautonem* & *Arbogaſtem*
homines Francos, reique militaris peritiſſimos ac mox
Vitalianum cum exercitu eodem miſit. Ex quibus
Bauto ſive, ut ſcribit Zoſimus, *Baudo* & *Arbogaſtes* Go-
thos in Macedonia, Theſſaliaque populantes invaſe-
runt, ac relicta præda, in Thraciam ſe recipere compu-
lerunt. Vitalianus vero Fritigernum ex Achaia &
Epiro, Alatheum & Saphracem ex Pannonia, deturba-
vit ac fæduscum eis Gratiani nomine icit. Quibus ge-
ſtis Theodoſius à morbo nonnihil relevatus Conſtã-
tinopolim de Gothis Schytiſque triumphans ingreſ-
ſus eſt. Gratiano autem, anno trecenteſimo octua-
383. geſimo tertio, Maximi inſidijs miſerè trucidato, magi-
ſter militiæ, quẽ dixi, gentis Francicæ *Banto* Hunnos &
Alanos contra Iuthungos, qui Rhætias populabantur,
accitos, iuſſu Valentiniani, cum Galliæ appropinqua-
rent, avertit in Alemaniam, ne Maximum in ſuſpicio-
384. nem armorum adduceret. Proximus deinde annus
Richomerem & Clearchum coſſ. agnoſcit. Quorum
Richomerem Francici quoque generis fuiſſe, præter
rationem nominis adſtipulentur quæ de Richomere
Franco in rebus Valentis jam modò retulimus. Nec
pugnet etiam temporis calculus ſi unum eundemque
hunc eſſe dixerimus. Quod ſi ſit, filium quoque eius,
aut ſaltem prioris iſtius Richomeris, exſtitiſſe veriſi-
mile ſit, quem ex Turonenſi Francorum regem *Theodo-*

merem

merem nomine, filium Richomeris ſupra* laudavimus. *Pag. 226 227.
Cur autem à Romanis ſupplicio capitis affectus ſit idē
Theodomerus, quemadmodum ſe in Conſularibus
reperiſſe diſerte refert Gregorius Turonenſis, quod re-
feram non habeo; & maximè (quod & ante profeſſus
ſum) cum nos Ammianus Marcellinus hoc loco de-
ſtituat. Sequens annus Arcadium Auguſtū & Bauto- 385.
nē Francū, iam ſæpe nominatū, Coſſ. habuit. Biennio
poſt Gratiani interfector Maxim⁹, Aquileia potitus eſt. 387.
Quapropter ad Theodoſium accedens Iuſtina mater
Gratiani, adductaq; filia, Galla nomine, eximiæ pul-
chritudinis virgine, ad genua eius procubuit orans ne
filij inultam cædē relinqueret, à quo tantū principa-
tus faſtigiū accepiſſet; Theodoſius Iuſtinæ votis nequa
quā abnuens, & puellæ quoq; ſpecie captus eam in ma-
trimonium aſſumſit, nā Placilla uxor diem obierat, ut
refert inter alia Zoſimus quē falli hic vult, ſed immeri-
to, Sigonius de Occidentali imperio lib. 9. Non enim
(quod aſſeverat) Comes Marcellinus nupſiſſe Gallam
Theodoſio biennio ante, ſed Gallā Theodoſij alteram
uxorē fuiſſe tantum notat. Sed id utcumque ſit, ſane
Theodoſius ſtrenue perſecutus Maximū duplici cum
cōflictu ſuperavit, fugientemq; intra Aquileiā inſigni-
bus nudatum regijs victumq; ad Theodoſiū perduxere
milites, ubi & tertio ab urbe lapide capite truncatus eſt.
Addit Zoſimus, filium eiuſdē *Victorem*, Cæſaris iā ante
dignitate ornatum & apud tranſalpinos relictum Lib. 4.
ab Arbogaſte Frāco, Theodoſij juſſu, & impe-
rio deiectum interfectumque, ut ſtatim
referetur plenius.

CAP.

CAP. IX.

GENEBALDVS, MARCOMERVS ET SVNO Reges Francorum: partim Theodoſio adhuc, partim Valentiniano Iuniore Augg.

DVm autem Aquileiæ Maximus obſideretur, Franci *Genebaldo, Marcomero* & *Sunone* ducibus, Rheni limite ſuperato, in Germaniam ſuperiorem prorupêre, pluribuſque cæſis, fertiles maximè pagos de-
388. populati, Agrippinenſi etiam Coloniæ terrorem incuſſêre. Quod ubi Treviros perlatum eſt, Nanninus & Quintinus militiæ magiſtri, quibus infantiam filij & defenſionem Galliarum Maximus commiſerat, collecto exercitu ad Agrippinam convenere. Sed onuſti præda Franci, utpote provinciarum opima depopulati, trans Rhenum regreſſi, pluribus ſuorum in Romano relictis ſolo, ad repetendam depopulationem paratis, cum quibus congreſſus Romanis accommodus fuit, ita ut Francorum haud pauci apud Carbonariam ferro perierint. Cumque inter duces Romanorum de ſucceſſu conſultaretur, an in *Franciam* tranſire deberent, Nanninus abnuit, exiſtimans non imparatos & in locis ſuis indubie fortiores futuros. Idque cum Quintino & reliquis militaribus viris diſplicuiſſet, Nannino Maguntiacum reverſo, Quintinus cum exercitu circa Neveſium caſtellum, hodieq; Nuys appellatum, Rhenum tranſgreſſus, ſecundis à fluvio caſtris, caſas habita-

habitatoribus vacuas atque ingentes vicos deſtitutos offendit. Franci enim ſimulato metu ſe in remotiores ſaltus receperant, cōcidibus per extrema ſilvarū procuratis. Itaque univerſis domibus exuſtis, in quas ſævire ſtoliditas ignava victoriæ conſummationē reponebat, noctē ſollicitā ſub armorum onere milites duxerunt. Ac primo diluculo, Quintino prælij duce, ingreſſi ſaltus in mediū fere diem implicantes ſe erroribus viarū, totos pervagati ſunt: tandē cum ingentibus ſeptis omnia à ſolido clauſa offendiſſent in paluſtres cāpos qui ſilvis jungebantur, prorupêre: molientibus Francorum rari apparuêre: qui coniunctis arborū truncis, vel concidibus ſuperſtantes velut è faſtigijs turrium, ſagittas tormentorum ritu effudêre, inlitas herbarum venenis, ut ſummæ cutis, neq; letalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes ſequerentur: Dehinc maiori multitudine hoſtium circumfuſus exercitus, in aperta cāporum, quæ libera Franci reliquerant, avide effuſus eſt: ac primi equites voraginibus immerſi, permixtis hominum immentorumque corporibus, ruina invicem ſuorum oppreſſi ſunt. Pedites etiā, quos nulla onera equorū calcaverant, implicati limo ægre explicantes greſſum, rurſus ſe, qui paulo ante vix emerſerant, ſilvis trepidantes occulebant. Perturbatis ergo ex inopinato Francorum aſſultu ordinibus cæſæ legiones: Heraclio Iovinianorum tribuno, ac pæne omnibus, qui militibus præerant, extinctis, paucis effugium tutum nox & latibula ſilvarum præſtitêre. Hæc eum in modum & pæne verbotenus in tertio Hiſtoriarū libro Alexander Sulpitius retulit, ut citat, & ad memoriam poſterorū ſtudioſe conſervavit Gregorius Turonēſis. Lib. 2.

Peractis autem hiſce,& Maximo è vivis ſublato,The-
odoſius,quemadmodum ex Zoſimo jam modò dixi-
mus,Arbogaſtem militiæ magiſtrum in Gallias adver-
ſus Victorem Auguſtum, Maximi filium, tum adhuc
adoleſcentulum,demiſit. In locum etiam Nannieni
& Quintini, ob rem,de qua jam indicatum, infelicius
geſtā, Cariettonem,& Syrum ſubrogavit, primo eorū
& Arbogaſtis adventu Victor prælio ſuperatus, com-
prehenſus & occiſus eſt. Atque ità Gallia univerſa in
fidem recepta: Carietto & Syrus cis Rhenum in Ger-
mania ſecunda cum exercitu Francis oppoſito relicti
fuerunt. Cum autem denuo tum, ut idem refert Alex-
ander Sulpitius,de Germania Belgica prædas tuliſſent
Franci,nihil differre volens militiæ apud Valentinia-
num magiſter,quem dixi,Arbogaſtes commonet Cæ-
ſarem pœnas debitas à Francis exigendas,niſi univerſa,
389. quæ anno ſuperiori,cæſis legionibus,diripuerant,cō-
feſtim reſtituerentur, authoribus quoque belli tradi-
tis,in quos violatæ pacis perfidia puniretur. Eaque de
cauſa poſt pauculos dies tranſacto curſim cum *Marco-*
myro & *Sunone* Francorum regalibus,ut loquitur Alex-
ander, colloquio,impetratiſque ex more obſidibus ad
hiemandum Treviros conceſſit. Maximam vero Ro-
manorum illam cladē fuiſſe, & Variana fortaſſis haud
minorem, hinc conijcere eſt,quod non unam aliquā,
ſed plures legiones cæſas referatur, eaſque vix tribus
fuiſſe pauciores idcirco probabile ſit, quod adverſus
efferatiſſimam gentem exiguum exercitum Quintinus
ceterique viri militares trans flumen ducendum ne-
quaquā judicaſſent,præſertim cum à Nannieno quo-
que,vetere ac prudente copiarum ductore, Ammiano
etiam

etiam Marcellino celebrato, admonerentur fortiores in ſuo futuros Francos. Quantis etiam difficultatibus urgerentur tunc ipſi Franci, dum clarum & illuſtrem apud Romanos Arbogaſtem, popularem ſuum, ob factiones & inteſtina in *Sunonem* & *Marcomyrum* reges odia, tam acrem ſibi patriæque non deſertorem modò, ſed adverſarium & hoſtem manifeſtum manu conſilioque, experirentur, cuique perſpicuum fiet, qui id unum ſpectaſſe ſemper Romanos cognoverit, ut inter ſe Germanos diſſentientes redderent, utpote hac ſola ratione ſuperabiles, alioqui invictos: Quomodo diſerte jam ante indicarat Cornelius Tacitus libro de moribus Germanorum, ubi exclamat atque exoptat, ut *duret gentibus* (de tranſrhenanis loquitur) *ſi non amor Romanorum, at certe odium ſui, quando urgentibus imperij fatis nihil præſtare fortuna maius poſſit, quam* HOSTIVM DISCORDIAM. Vnde & idem Arbogaſtes ſub exitum fere anni quietas undiquaque poſſidens Gallias, *Sunonem* & *Marcomyrum* ex more inſectans Coloniam Agrippinā, rigente maxime hieme, petijt; ratus tuto (Sulpitij Alexandri verbis loquor) omnes Franciæ receſſus penetrandos urendoſq; cū decuſſis folijs nudæ atque arentes ſilvæ inſidiantes occulere non poſſent. Collecto itaque exercitu transgreſſus Rhenum Arbogaſtes Bructeros ripæ proximos & pagum **Ætiam*, quem Chamavi incolebant, nullo uſquam occurſante, niſi quod ex Anſivarijs & Cattis pauci, *Marcomyro* duce, in ulterioribus collium jugis apparuêre. Vnde & hunc tam attentum ſeverumque nacti adverſarium Franci pæne biennium intactos Galliæ fines habuere. At quomodo exinde melior ipſis fortunæ aura adſpiravit,

* Vide ſupra l.2.c.3.

Oo 2 hinc

hinc dicere incipiam:

Valentinianus certior redditus Danubij accolas Italiæ imminere, de Italiæ quiete ſollicitus, ad eam redire, relicto Gallico otio, & ſeſe periculis omnibus obijcere pro communi ſalute ſtatuit. Atque ita Viennam acceſſit, ut inde ad Alpes, expeditis belli cōſilijs, properaret. Aderat tum ei hic ipſe Arbogaſtes, comes militiæq;, ut diximus, magiſter. Qui cum ſecundum à Bautone duce (quē etiam Francum fuiſſe notatū ſupra) locū à Gratiano Auguſto eſſet cōſecutus, poſt exceſſum eiuſdem Bautonis primas ſibi jniuſſu Valentiniani adſciverat, ac favore militum, quod rei bellicæ gnarus, fortis & pecuniæ contemptor haberetur, magnas opes adeptus, libertatem in Valentinianum jmmodicā exercebat, ita ut ipſe quæ minus probaret, etiam ſi recta eſſent, omnino fieri inhiberet. Nec Valentinianus, licet iniquo id animo ferens, remediū inire idoneū poterat, quod ille militum benevolentia præcipue ſeptus eſſet. Itaque cum eo de traiectione in Italiam adverſus Barbaros colloquutus, ac voluntati ſuæ reluctantē nactus, irā uſq; adeo non tenuit, ut educto enſe, percutere eū niſus ſit; ſed à familiari, extorto è manibus gladio, prohibitus verbis ipſum aſperioribus obiurgavit. Inquirēti inde cur ità ſæviret, allaturū ſibi manus reſpōdit, quòd, cum eſſet imperator, voluntati obſequi ſuæ non poſſet. Et ut addit Zoſimus, cum quodam die torvis advenientem oculis Arbogaſtem eſſet conſpicatus, libellum quo ei poteſtatem abrogabat, porrexit. Quo perlecto, Arbogaſtes magis magiſque commotus, *Nec poteſtatem mihi*, inquit, *dediſti nec eripies.* Hac de cauſa capitalibus ſubortis inimicitijs, Arbogaſtes Valentini-

num

num Viennæ ad Rodanum Palatij ædibus clauſit omnibuſque regijs obſequijs nudavit, ac pæne infra privati modum redegit, rei militaris cura Francis ſatellibus tradita. Civilia quoque officia tranſgreſſa, ut habet Sulpitius Alexander, in Arbogaſtis coniurationem, nulluſque ex omnibus ſacramento militiæ obſtrictis reperiebatur, qui familiari principis ſermoni aut iuſſis obſequi auderet. Quod ubi ſenſit Valentinianus literas ad Theodoſium miſit, obſecrans ut ſibi auxilio eſſet. Ceterum cum adventus barbarorum in Italiam magis magiſque timeretur, Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus ab honoratis civitatis rogatus, ut legatus ad Valentinianum proficiſcens eum in Italiam invitaret, ſe iturum promiſit. Sed postridie, allatis literis, quæ ipſius Valentiniani adventum ſignificabant, honoratorum voluntate ſubſtitit. Cum verò rumore Viennã perlatum eſſet, Ambroſium eò, invitandi regis in Italiam gratià venturum, exhilaratus eſt imperator quod eius adventum rebus ſuis futurum peroportunũ animadverterat. Cunctante deinde Ambroſio, literas ad eum quã celerrimè perferẽdas curavit, obnixe rogans, ut ſine mora ad ſe contenderet, Magnã enim ſpẽ ſuæ ſalutis in Ambroſij moderatione ac ſapientia collocaverat, confidens fore, ut eius oratione placaretur Arbogaſtes & ad ſaniora conſilia mentem verteret. Ambroſius lectis literis ſtatim iter ingreſſus eſt. Verum, Alpium iugis ſuperatis, ipſum interfectum accepit. Quod, ut cõpendio abſolvam, ita accidit: Arbogaſtes, imperio ſpe devorato, Eunuchos, Valẽtiniani cubicularios, maioris promiſſione mercedis atque honoris in eius perniciẽ incitaverat: Qui Valen-

tinianum aut dormientem, ut quidam tradiderunt, aut certe ſolum & inermem, dum ludicrum militare intentius è feneſtra contemplatur, nacti, ac nemine præterea ex miniſtris aulæ præſente, illiſis faucibus ſtrangularunt, & ne, inquiſitione facta, deprehendi poſſent, velo gulæ alligato, quaſi ſemet ea morte multaſſet, ſublimem ſuſpenderunt. Epiphanius epiſcopus Salaminius ipſum in palatio ſuffocatū eſſe inventum ſcribit idib. Maij pridie pentecoſtes ac poſtridie ſepulturæ mandatum. Vix tum annum circiter vigeſimum prætergreſſus fuerat, iuvenis, vel ipſius Ambroſij teſtimonio, omnibus cum animi tum corporis bonis ad imperij magnitudinem ſuſtinendam inſtructus ità, ut etiam in omni genere virtutū paternas laudes videretur eſſe ſuperaturus. Hoc facinore perpetrato, Arbogaſtes ſibi imperium adſciſcere nolens ad alterum tranſtulit. Agebat in Caſtris Eugenius quidam, homo paganus, qui Arbogaſti à Richomere olim Franco, ut refert Zoſimus, commendatus, ſcholam primo Rhetorices aperuerat, deinde in aula ſtipendia merens ſcriba ac quæſtor factus, magiſtri dignitatem ab imperatore tandem conſecutus fuerat. Ad hunc utpote participem conſiliorum de nece Valentiniani Arbogaſtes imperium detulit. Zoſimus ipſum ab Arbogaſte inductum, alij à Flaviano præfecto urbis felicia omnia ex augurū diſciplina pollicito, evectum prodiderunt. Claudianus, qui id temporis vixit rebuſque interfuit, nullis cum natalibus clarum, ſed *clientem & famulum* Arbogaſtis; Arbogaſtem verò ipſum patria extorrem & *exulem Germanum* ſeu *Barbarum* nominat, cum ait:

Proh

Proh crimen ſuperûm! longi proh dedecus ævi!
Barbarus Heſperias exul poſſederat urbes,
Sceptraque deiecto dederat Romana clienti.
Et ſtatim:
Hunc ſibi Germanus famulum delegerat exul.

Anno deinde Chriſti trecenteſimo nonageſimo tertio, quo Theodoſius III. conſul cum Abundantio fuit, Eugenium hunc impetus cepit Italiam occupandi. Sed prius tranſrhenanos novis ſibi fœderibus obligandos cenſuit; idque ex conſilio potiſſimum Arbogaſtis, ad cuius arbitrium omnia tum adminiſtrabat. Ad flumẽ itaque Rheni progreſſus ingentes, quas Italiæ cauſa paraverat, Francorum copias, & aliquot etiam Alemanorum, gentibus oſtentabat: atque ità eaſdem ad vetera redintegranda fœdera perpulit. Tradunt in ſolemni convivio, multorumque magnatum ac procerum utriuſque partis præſentia Arbogaſtem à regibus Francorum (Marcomyro puta & Sunone) interrogatum tunc, *an epiſcopum Ambroſium noſſet*, *novi*, inquit, *atque ei charus ſum*; Cui illi; *in hoc profectò vincis omnes, quod ab illo viro diligeris, qui dicit Soli conſiſte, & conſiſtit*. Quod ſibi relatum à domeſtico quodam Arbogaſtis, in vita Ambroſij vel ideo ſe poſuiſſe commemorat Paulinus, ut oſtenderet Ambroſiani nominis etiam apud barbaras nationes conſtitiſſe reverentiam. Quamvis Eraſmus ex frigore orationis alijſque indicijs Paulinum hunc ſpurium & fingere exiſtimat. Germanis itaque tranſrhenanis & Francis præſertim in hunc modum, non modo pacatis, ſed in fœdus quoque pro parte aſcitis, Eugenius Aquileiam profectus caſtra poſuit in cãpo 393.

ad

ad fluvium nomine Frigidum. Alpiumque Iuliarum anguſtias, per quas præcipuus eſt in Italiam tranſitus, valido præſidio ſepſit. Theodoſius, re intellecta, ad Iulias Alpes provectus, præſidioque ex ſaltu deiecto, ſuperatoque ſine labore montis iugo, ſeſe in parentes campos demiſit: Atque ardentibus ex utraque parte pugnandi cupiditate militibus ſine mora inſtructæ acies, prælium que commiſſum eſt, cum Eugenius vexillum Herculis, Theodoſius Chriſti inferret. Ceterum, cum duo aciei cornua Theodoſius feciſſet, atq; in uno Romanas legiones, in altero Barbarorum auxilia collocaſſet, factum eſt, ut Romani cum Romanis ancipiti certamine depugnarent; Barbari vero loco moti ab Eugenianis (qui magna, ut diximus, parte Franci auxiliares erant) fœdiſſima ſtrage conciderentur. Quod ut ſenſit Theodoſius, veritus ne ſimul à nonnullis, quos in monte à tergo collocatos animadvertit, duriſſimo ſuo tempore premeretur, protinus ante aciē, ut omnes videre atque audire poſſent, in terrā proiectus ſupplex dei auxilium imploravit. Quo peracto, Duces exercitus Eugeniani, qui montem inſederant, nuncium ad eum miſerunt, pollicentes ſe tranſituros, ſi ſibi venia atque honos apud illum foret; quam ille conditionem accepit, ſimulq; ad Theodoſium ſe contulêre. Fervebat tamen adhuc in ceteris partibus utrimque pugna, atque Eugenius victoriæ certus, ſuos interequitans, ad conſtantiam hortabatur, illud identidem uſurpans, ſe pro certo habere, Theodoſium mox deſperatione rerum ſibi manus illaturum, monere autem ne illum occiderent, ſed vivum ad ſe perducerent. Tum vero ventus vehe-

mentiſſimus exortus in ora hoſtium tanto impetu irruit, ut ordines eorum turbaret. Qua re, tanquam divino auxilio, animati tanta ſe in Eugenianos vi intulerunt, ut terga dare neceſſum habuerint. Atque hunc fere in modum uno prælio unoq; die cum Eugenio debellatum Rufinus, Socrates, Zozomenus & Oroſius tradidêre. Quin & D. Auguſtinus ævi iſtius ſynchronus de eadem victoria ità ſcriptum reliquit: *Valentiniano per inſidias ſive quo alio pacto vel caſu proximè extincto, Theodoſius alium tyrannum Eugenium, qui in illius imperatoris locum non legitimè fuerat ſubrogatus, accepto rurſus prophetico reſponſo, fide certus oppreſſit. Contra cuius robuſtiſſimum exercitum magis orando, quam feriendo pugnavit. Milites nobis, qui aderant, retulerunt extorta ſibi eſſe de manibus quæcunque jaculabantur, cum à Theodoſij partibus in adverſarios vehemens ventus iret, & non ſolum quæ in eos jaculabantur, concitatiſſimè raperet, verum etiam ipſorum tela in eorum corpora torqueret. Vnde & poeta Claudianus, quamvis à Chriſti nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:*

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Ità Auguſtinus. Sed diſcrepant nonnihil à ſuperioribus Theodoritus & Zozimus, qui non die uno, ſed biduo depugnatum inquiunt adduntq; alij Eugeniū, cū ad eum capiendum accederent milites, qui ad Theodoſium defecerant, victoriæ ſuæ nuntios exiſtimaſſe;

continuoque num vivum ad ſe adducerent Theodoſiũ fuiſſe ſciſcitatum: eoſque reſpondiſſe, non illum ad te, ſed te ad illum deducturi acceſſimus: atque ità ex ſolio detractum, vinctis poſt terga manibus, ad Theodoſium perductum; ibique ſententia lata, capite fuiſſe truncatum: Arbogaſtem denique, rebus hoc modo fluentibus, cùm ſe in aſperrimos montes recepiſſet, quæríque ad necem ſentiret, adacto in pectus gladio, ipſum ſe occidiſſe, ne fortè alius Arbogaſtem, quàm ipſe Arbogaſtes, ſuperaſſe videretur. Sanè Oroſius, qui eadem tempeſtate claruit, inſignem hunc virum, & rarâ militiæ laude illuſtrem adeoque humanis viribus invictum fuiſſe indicat, dum ea, quæ hac victoria Theodoſio obvenerant, ſolâ etiam divinæ clementiæ gratia, non humanis conſilijs, nõ mortalium armis contigiſſe, inter cætera, his verbis repetit: *Potentia Dei, non fiducia hominis, victorem ſemper exſtitiſſe Theodoſium Arbogaſtes iſte præcipuum in utroque documentum eſt, qui & tunc cum Theodoſio paruit, tantus inſtructum præſidijs Maximum ipſe minimus cepit, & nunc cum adverſus eundem Theodoſium collectis Francorum Gallorumque viribus exundavit, nixus etiam præcipuè cultu idolorum, magna tamen facilitate ſuccubuit.* Vnde non manu tantum & audacia, ſed animo quoque & conſilio maximum fuiſſe Arbogaſtem colligere eſt, nihilque de ſummis laudatiſſimiſque ducibus dici poſſe, quod non hoc præconiorum compendio ſit comprehenſum. Alios enim animus, alios conſilium, alios audacia, alios potentia, alios omnia, alios horum aliqua deſtituêre: huic uni hæc omnia abundè adfuiſſe, etiam ab hoſtibus memoratur. Quapropter, quod domi fortaſſe, & apud

populares

populares Francos, nequijt conſequi, dum pares ſibi, aut ſuperiores reſpueret, apud Romanos adſecutus eſt, ut ad ſummos nimirum honorum gradus evectus ipſum orbis imperium conſilio manuque ſua moderaretur mirabili quodam ſucceſſu Theodoſium in regio faſtigio conſervans, Maximum deijciens: & ut quidvis poſſe intelligeretur, Eugenium ex ſcriba faciens imperatorem, ut ipſe videlicet ſub aliena perſona ſolus imperaret. Quod & adſecutus fuerat, niſi Deus immanem ac ſubitā hanc potentiam, eo quo, *retulimus, modo in tempore repreſſiſſet.*

CAP. X.

MARCOMIRVS ET SVNO FRANCORVM Reges, Honorio & Arcadio imperatoribus Augg.

HIs rebus magna felicitate confectis, paucis poſt diebus Theodoſius in morbum incidit, mortuuſque eſt Mediolani, Olybrio & Probino Coſſ. anno Chriſti treçenteſimo nonageſimo quinto, 16. Kal. 395.
Februarij, anno ætatis LX. imperij XVI. Primo ſtatim morbi inſultu, ſibi metuens teſtamētū cōdiderat, quo Orientē Arcadio, Honorio Occidentē reliquit; illi Rufinum, huic Stiliconem tutorem conſtituens. Verum ſublato Theodoſio, ſimul etiam robur ac dignitas

 ipſius

ipſius titubare Imperij magis magiſq; cœpit. Neq; enim in Arcadio, cui Oriens; neq; in Honorio, cui Occidens concredebatur ad impendentē malorum tempeſtatem ſuſtinendā ſatis aut nervorum aut animi fuit, cum ille novendecim, hic decem duntaxat annos natus, parum rebus tantis adminiſtrandis videretur idoneus, accedē te præſertim Rufini & Stiliconis, qui tutores audiebāt, nefaria improbitate, cum uterq; captata ex puerorum ætate occaſione, ad invadendum imperium per omne genus ſceleris & perfidiæ cogitationes conferrent. Et primum Stilicho, cum utriuſq; principis atq; imperij tutelam à Theodoſio ſibi cōmiſſam aſſereret, Rufinū munere exuere omni ratione, contendit, eoq; Conſtātinopolim iter adornavit, ità ut, rebus Italiæ cōſtitutis magna celeritate ſe in Gallias ad limitem Rheni pacandum cōtulerit, inque Rhetiam veniens ſtatim Svevorum Alemanorumq; reges adventus ac nominis ſui fama ità perterruit, ut pacem poſtularēt. Cum Francis quoque fœdus icere mire ſategit, idque donis dicā, an dolis potius, in incerto eſt. Nam veſtigijs eum veterum Romanorum mercantium ſubinde pacem inſtitiſſe tunc multa perſuadent dum adeò exiguo temporis ſpacio regiones Rheno adjacentes à capite ad calcem permenſus, conſtitutò circumquaque limite, ſedaverit. Claudianus poetico more illi blandiens, nominis ſui terrore fregiſſe eum & ad obſequium feroces gentes pertraxiſſe canit, vitatâ, ni fallor, doli labe. Quamvis aliàs hunc morem vendendi pacem Germaniæ gentibus ſolennem, Romaniſque viciſſim emendi familiarem, non tacuerit ille ipſe his verſibus:

Illi

Illi terribiles, quibus otia vendere ſemper
Mos erat, & fœda requiem mercede paciſci.

Quocirca vix fidẽ mereri videntur illa eiuſdẽ Claudiani de temporum hoc ſtatu ità porrò loquentis:

Non claſſica Francis
Intulimus, iacuere tamen: Non marte Suëvos
Contudimus, queis jura damus: quis credere poſſit
Ante tubam nobis audax Germania ſervit.
Cedant Druſe tui, cedant Traiane labores;
Veſtra manus dubio quicquid diſcrimine geſſit
Tranſcurrens egit Stilico, totidemque diebus
Edomuit Rhenum quot vos potuiſtis in annis.

Et apparet ex eodem ſtatim poeta, ubi Stiliconem porro ait in regum Francorum, *Marcomiri* & *Sunonis* delicta, ut iudicem, animadvertiſſe; apparet, inquam, Stiliconem dolo malo utrumque circumveniſſe, dum alterum carcere apud Hetruſcos detineret; in alterum verò, ne alterius necem vindicaret, percuſſorem jmmittit. Nam ità de utroque mox loquitur:

Acies non jam pulſare rebelles
Sed vinclis punire licet; ſub iudice noſtro
Regia Romanus diſquirit crimina carcer:
Marcomyrus Sunoque docent; quorum alter Hetruſcum
Pertulit exilium; quum ſe promitteret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum.
Res avidi concire novas, odioque furentes
Pacis, & ingenio ſcelerumque cupidine fratres.

Pace itaque qualicumque cum Francis imo & fœdere pacto, Gothis, duce Alarico, Thraciam & Peloponeſum vaſtantibus feſtinato cum exercitu occurrit Stilicho, ſed arte & conſilio Rufini impeditus bellum, quod erat in manibus, omiſit. Retrocedens idcirco & parte copiarum Conſtantinopolim miſſa, in Italiam
A.C.400. redijt. At mox Orientis exercitus Rufini proditionem odoratus, juvante clanculum Stilicone, coram Arcadio imperatore mille vulneribus confectum Rufinum in fruſta diſſecuit. Alaricus verò, Stilicone abſente, Pannonias occupat, deque Româ porrò atque Italia tota diripienda conſilia capit, nihilque moratus in ſaltum Tridentinum deſcendens Alpina aliquot oppida in poteſtatem redigit omniaque pervaſtaſſet, niſi magna induſtria ac ſtudio Stilichonis ad Pollentiam fuiſſet ſuperatus. Atque ità aliquot annis cum Schytis & Getis in Italia confligante, ſæpiuſque victore exiſtente Stilicone, Godegiſilus Vandalorũ qui in Schytià ad Mæotidem erant Rex, exemplo priorum, Alarici & Radagiſi, adductus, ubi Italiam hoſtium plenam, atque Honorium in Radagaiſum averſum ſenſit, ipſe ſibi Galliam invadendam conſtituit, ratus haud quaquam eandem in provincijs fortûnam fore, quæ longè à regio abeſſent auxilio, atque in Italia, ducente Alarico, fuiſſet, quæ propter imperatoris præſentiã vinci non potuiſſet. Itaque ex Schytia cum Vandalis & Alanis egreſſus ſimul Quados ex Sarmatia, Vandalos è Pannonia (olim ibi à Conſtantino locatos) aſſumſit: Inde Germaniam intravit, eamque peragens, populos eius ſive metu direptionis perculſos, ſive ſpe prædæ illectos ſecum plurimos adduxit, Marcomannos,

Herulos, Turcilingos, Svevos, Alemanos, Saxones & Burgundiones, ac citato agmine, nullo reſiſtente, recta ad Rhenum contendit. Ibi verò Franci occurrerunt, ac tranſitum impedire conati ſunt, ſive, ut fœdus proximè cum Stilicone ictum ſervarent, ſive, ne tantum hoſtium in provinciam eam admitterent, cui ipſi jam pridem inhiantibus animis imminerent. Verùm à Vandalis multitudine ſuperantibus pulſi haud magno momento ceſſerunt. Ita Vandali propemodum ſine impedimento pridie Kal. Ianuarias, anno quadrageſimo & ſeptimo juxta Proſperum, Rheno traiecto, in Galliam penetrarunt. Honorio deinde ſeptimum & Theodoſio juniore iterum Coſſ. proximas Rheno provincias, Germaniam primam, & Belgicam Secundam iidem ingreſſi, longè lateque victoriam imperiumque, fruſtra repugnantibus Honorij præfectis, exercuerunt. Nam & Maguntiacum, multis hominum millibus in Eccleſia trucidatis, everſum eſt. Vangiones diu obſeſſi in deditionem adducti, Rhemi, Ambiani, Atrebates, Morini, Tornacum, Nemetes, Argentoratum direpta ſunt. Hæc porrò clades repente ſecum aliam traxit. Nam Britanni eorundẽ Vandalorum impetum veriti inſignia imperatoria ad Conſtantinum quendam tranſtulerunt, nullo virtutis eius merito, ſed tantum ominatione nominis apud eos populos gratioſi. Ille verò Iuſtinianum & Nevegaſtum itemque Edobechum Francum militiæ præfecerat, plurimumque eorundem operâ feliciterque uſus Valentiam uſque, quæ ad Rhodanum ſita, pervaſit: ibique à Saro Honorij Præfecto obſeſſus ab Edobecho, homine, ut dixi, Franco, & Gerontio Britanno liberatus eſt.

407.

Dum

Dum hæc in Gallia geruntur Honorius Thermantiam Mariæ defunctæ ſororem, Stiliconis filiam, Romæ ſibi deſpondet uxorem, conciliante Serena Stiliconis coniuge. Adferebatur eodem pæne tempore nuntius de morte Arcadij Auguſti, qui novis Stiliconis conſilijs occaſionem aperuit. Quæ prorſus & ipſum & cum eo occidentale imperium perdiderunt. Nam Honorius de Arcadij fratris obitu certior redditus Stiliconem ad ſe vocavit, deque rebus Orientis agere ingreſſus, ſe cupere Conſtantinopolim ire dixit ad res imperij & Theodoſij pupilli conſtituendas. Quod conſilium improbans Stilico, referabat intereſſe reipub. ipſum in Italia manere, ne Conſtantinus, qui jam totam Galliam percurriſſet, atque Arelate regnaret; aut Alaricus, qui in Norico infirmâ pace ac lubricâ fide ſederet, ubi Italiã armis deſtitutã, & imperatore vacuam deprehendiſſet, impetu repentino eam invaderet: præſtare autem ut Alaricus in Conſtantinum cũ Barbarorum parte contenderet, ipſe verò cum Romanis legionibus ac literis Principis Conſtantinopolim pergeret. Ibique quæ egere correctionis viderentur emendaret, occultato, ut alij volunt, vero conſilio, quo videlicet perempto Theodoſio Arcadij filio, Orientale imperium Eucherio ſuo conciliaret. Quæ cum Honorius ut prudenter & cum fide dicta probaſſet, datis ad Theodoſium & Alaricum literis Ticinum deceſſit. In itinere autem Olympius, vir ſplendida in prætorio militia præditus, cum vacuas Principis aures eſſet adeptus, Honorio perſuaſit, Stiliconem nulla alia de cauſa iter in Orientem optare, quàm ut Theodoſio ſublato imperium in Eucherium filium transferret; ac

Conſtantinus.

Tici.

Ticinum progreſſus, ad ſeditionem milites incitavit. Quod cum Stilico Bononiæ cognoviſſet, atque Honorium, qui occiſus inter ceteros dicebatur, vivere comperiſſet, Ticinum adire ad puniendos pro autoritate milites, quod à multis ſuadebatur, abnuit, quod & eos timeret, neque conſtantem Honorij erga ſe animum cerneret, ſed Ravennam ſibi redeundum putavit. Stilico verò, ut vidit etiam barbaros, quos ſecum habebat inter ſe diſſentientes, Ravennam petens, civitates in quibus barbarorum liberi & coniuges conſidebant, admonuit ne quem barbarum ad ſe venientem admitterent. Vbi Ravennam Stilico adijt, literæ ſubito Honorij ab Olympio ad Ravennatem exercitum miſſæ venerant, ut Stiliconē comprehenderent, atque in cuſtodiam darent. Qua re percepta Stilico perturbatus per noctem in templum, ut vitæ ſuæ conſuleret confugit. Vbi illuxit, milites ædem ingreſſi cum iureiurando, præſente Epiſcopo, affirmarunt, ſibi non eſſe à principe imperatum, ut eum perimerent, ſed tantum ut cuſtodirent: ipſum hac fide egreſſum ſub cuſtodia habuerunt. Tum verò alteræ literæ ab eodem, qui priores attulerat, redditæ, quibus præcipiebatur, ut Stiliconi ob delicta adverſus Rempublicam vita eriperetur. Atque ita interfectus eſt Kal. Septemb. vir domi militiæque inſignis, acer conſilio, manu promptus, Principibus charus, ſed charior militibus, & deniquemaximo cuique ducum comparandus, ſi unam hanc notam eximas. Hæc fere de eo Zozomenus & Zozimus, nā alij alias necis cauſas adferūt. Mortem Stiliconis, quæ in annum circiter, quadringenteſimum & octavum confertur 408.
ſubſecuta eſt biennio poſt,

obſidente Alarico, urbis deditio, & Gallæ Placidiæ Cæſaris Honorij ſororis, abductio. Ipſe Honorius Ravennæ ſe continens tam atrocibus temporibus caput non obiecit. Franci eodem fere tempo-
Lib. 2 c. 9 ris tractu, Renato Profuturo apud Turonenſem teſte, cum hac oportunitate, tum Conſtantini, de quo iniecimus, rerum in Gallijs potientis ſocordia invitati, in Galliam, quam toties vario incurſionum eventu tentaverant, neq; firma adhuc retinere poſſeſſione potuerant, magna mole, Rheno ſuperato, irrumpunt, & præter alias, tum præcipue urbem Treverorum, tractus iſtius caput, captam diripuerunt flāmiſque exuſſerunt. Quod ubi Vandali ſocijque (quos jam tranſgreſſos Rhenum modò indicavimus) ſenſere, ſibi rebuſque ſuis metuentes magna vi Francis occurrunt. Ac Franci, animadverſo Reſpendialem Alemanorum regem (Goare ad Romanos tranſgreſſo) de Rheno agmē ſuorū convertere, ſeſe in Vandalos feſtinato intulere, ac Godegiſalo rege eorum extincto, viginti ferme millia ferro peremēre, univerſos ad internecionē deleturi, ni Alanorū vis in tempore ſubveniſſet, ut habet Renatus idem Profuturus jam modò nominatus. Hac ingenti clade fracti Vandali, Alani ac Suevi, ne iterū cum Francis decertandum ſibi eſſet, Gunderico Godegiſili (Gogediſci eſt in Procopio) filio rege deſignato, conſilium e Gallia abeundi ceperunt, atque ad Pyreneos profecti, præſidioq; Honoriacorum, quos Conſtantinus limiti impoſuerat, ſibi adiuncto, in Hiſpanias traiecerunt, ulterioremq; ingreſſi provinciam, duces Romanorum nil tale opinantes aggreſſi plurimos in poteſtatem adduxerunt. Hanc traiectionem Kal. Octob. factam

Proſper,

Proſper, Caſſiodorus & Iornandes in annalibus ſcriptum reliquêre Britanni exinde intellectâ Francorum tam memorabili adverſus Vandalos victoria, vel metu eorundem, vel literis Honorij acceptis, exciti arma ſumſêre, ut ſe ab eorum impetu ſervarent. Eoſdemque ſecutæ civitates Armoricæ ſe quoque in libertatem vindicarunt, Magiſtratibus Romanis expulſis, & conſtitutâ pro arbitrio republica. Franci autem (fortaſſe quod in ſocietate tum adhuc eſſent Romanorum) ſeſe trans Rhenum, pulſis, ut diximus, Vandalis, recepêre. Vnde & factum, ut ſoli Burgundiones cum parte Alanorum in Gallijs tum remanſerint. Ceterum de urbis Romanæ miſeranda clade ac direptione, quam eadem hac tempeſtate accidiſſe innuimus, operæ eſt D. Hieronymum tum adhuc ſuperſtitem, & ſenio pæne confectum, ità perorantem audire: *Capitur urbs, quæ totum cepit Orbem, imo fame perijt antequam gladio. Et vix pauci qui caperentur inventi ſunt. Ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti filio, & ſuo recipit utero, quem malè ante effuderat. Nocte Moab capta eſt, nocte cecidit murus eius. Quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet?* Per eoſdem dies Gerontius, de quo dictum, Britannus, militum Conſtantini, jam ſupra memorati, antea præfectus, tunc hoſtis redditus, ex Hiſpania cum firmiſſimo exercitu adverſus Conſtantinum in Galliã movit. Eaque re accepta, Conſtantinus Conſtantem filium Viennam tenere, atque ibi ſe confirmare præcipit. Edobechum verò Francicorum manipulorum ductorem ad accerſenda è Francia & Ale-

400. | *Gerontius*

Iiſque rebus adducti Arelatenſes, jurejurando de incolumitate accepto, patefactis portis, Conſtantium receperunt. Ille urbem ingreſſus Conſtantinum cum altero filio Iuliano redegit in poteſtatem, atque in Italiam ad Honorium direxit. Quod ubi Honorius didicit percuſſorem cum ſatellitibus obviam miſit, qui ad amnem Mincium capite utrumque truncavit. Maturandæ Arelatenſium deditioni cauſam attulit Iovinus vir nobilitatis ac potentiæ ſingularis, qui coacta haud contemnenda populariũ manu Auguſtalia apud Arvernos inſignia aſſumſit ac Francis, Burgundionibus alijſque ſibi adſcitis Conſtantio ſe adverſarium tulit. In Hiſpania milites poſtquam Gerontium rebus conclamatis rediſſe cognovere, concurſu facto domi circumſederunt, ac ſtrenuè ſe cum paucis defendere molientem, igne tectis iniecto, eò deſperationis redegerunt, ut poſt familiarem ſuum & Nonnichiam uxorem occiſam ſibi manus intulerit, defoſſo in pectus gladio.

Ad uberiorem jam memoratorum, præſertim ex Hiſtoria Renati Profuturi, illuſtrationem, pretium operæ fore iudicavi, ſi ipſa Hiſtoriographi verba, ſeu fragmenta potius, prout ea citantur Gregorio Turonenſi, hîc ordine ſubijcerem: Ait ergò * Gregorius laudans, quem dixi, Profuturum: *Renatus Profuturus Frigeridus, cum Romam refert à Gothis captam atque ſubverſam, ait: interea Reſpendial rex Alemanorum, Goare ad Romanos tranſgreſſo, de Rheno agmen ſuorum convertit, Vandalis Francorum bello laborantibus, Godigiſilo rege abſumto, acie viginti millibus ferro peremptis, cunctis Vandalorum ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tempore ſubveniſſet.* Et ſtatim ibidem: *cum* *Lib. 2. c. 9

cum ait, quod Conſtantinus aſſumpta tyrannide, Conſtantinum filium ad ſe de Hiſpanijs venire iuſsiſſet, ita diſſeruit: Accito Conſtantinus tyrannus de Hiſpanijs Conſtante filio itemque tyranno, quo de ſumma rerum conſultarent præſentes, factum eſt ut Conſtans inſtramento aulæ, & coniuge ſua Cæſarauguſtæ dimiſsis, Gerontio intra Hiſpanias omnibus creditis ad patrem continuato itinere decurreret. Qui ubi in unum venêre, nullo ex Italia metu, Conſtantinus gulæ & ventri deditus, redire ad Hiſpanias filium monet. Qui præmiſsis agminibus, dum cum patre reſideret, ab Hiſpania nuncij commeant, à Gerontio Maximum, unum è clientibus ſuis, imperio præditum, atque in ſe comitatu gentium Barbararum accinctum parari. Quo exterriti Edobecco ac Germanicas gentes præmiſſo; Conſtans, & præfectus iam Decimius Ruſticus ex officiorum magiſtro petunt Gallias cum Francis & Alemanis, omnique militum manu, ad Conſtantinum iam iamque redituri. Item cum Conſtantinum obſideri ſcribit, ita dicit: *Vixdum quartus obſidionis Conſtantini menſis agebatur, cum repente ex ulteriori Gallia nuncij veniunt; Iovinum aſſumpſiſſe ornatus regios, & cum Burgundionibus, Alemanis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere obſidentibus, ita acceleratis moris, reſerata urbe Conſtantinus deditur. Confeſtimque ad Italiam directus, miſsis à principe obviam percuſſoribus, ſupra Mincium flumen capite truncatus eſt.* Et poſt pauca idem refert; *iiſdem diebus præfectus tyrannorum Decimius Ruſticus Agroetius ex primicerio notariorum Iovini, multique nobiles apud Arvernos capti à ducibus Honorianis, & crudeliter interempti ſunt. Trevirorum civitas à Francis direpta incenſaque eſt ſecunda irruptione.* Hactenus ex Frigeridо Profuturo Turonenſis.

Anno

Anno exinde quadringenteſimo duodecimo, Honorio nonum & Theodoſio quintum conſulibus Ataulphus, qui Alarico ſuffectus eſt, Italia tandem cum omni exercitu ceſſit; Atque in Galliam tranſgreſſus, ſedem Narbonæ, atque in proxima regione ſibi & Gothis ſuis ex fœdere, Honorio Conſtantioque annuentibus, locavit. Quo facto, Honorius Romam repetijt ac lætus, tanquam exoneratâ aliquando incumbentium Gothorum multitudine & mole Italiâ, ſecunda vicennalia magnifico ludorum apparatu edidit, populo Romano ac civibus poſt diuturnas tenebras lucem ſe tandem aliquam ocij & libertatis aſpicere gratulantibus. Tyrannis pulſis, Vandalis profligatis, Gothis imperio Romano pacatis, reſtabant Burgundiones, qui annis ſuperioribus cum Vandalis in Galliam ſe contulerant, neque cum eis in Hiſpaniam, ut diximus, tranſmigrarant. Hos igitur ad integram laudem liberatæ Galliæ comparandam ſibi etiamnum adoriendos Conſtantius arbitratus eſt. Burgundiones hoc agi intelligentes nec ſatis ad reſiſtendum parati aut pares bellum averſati pacem popoſcerunt. Quibus & ipſe Conſtantius, ne gloriam fortaſſe rerum bene geſtarum aliqua labe obfuſcaret, libenter annuit, ſedibuſque ad Rhodanum aſſignatis, fœdere ſibi devinctos dimiſit. Quod ubi Franci cognoverunt, animo vehementiſſime perturbati ſunt, atque ægre ferentes Burgundiones, non maximis opibus homines, prope nullo negotio quietas in Gallijs ſedes adeptos, quas ipſi pluribus adhuc impreſſionibus factis, obtinere non potuiſſent, repente collecto exercitu

Rhenum

Rhenum tranſgreſſi, ac præter cetera, *oppidum Treviro-rum*, provinciæ caput, denuo ceperunt, captumque cum diripuiſſent, ſubditis flammis incenderunt. Hanc Francorum in Gallias traiectionem factam Sigonius refert duce *Marcomiro* Francorum rege. In quo ſane falli eum inde liquet, quod *Marcomirus* & *Suno* Reges, aut exilio multati, aut interfecti à Stilicone jam ante fuerint; quemadmodum ex Claudiano, eius ævi ſynchrono, ſupra oſtenſum eſt. De Treverorum autem clade ac calamitatibus refert, inter cetera, Salvianus, Maſſilienſis Presbyter, non ſemel aut iterum, ſed quater eorum incenſam ac vaſtatam civitatem: *Vidi*, inquit, *ego ipſe Treveros, domi nobiles, dignitate ſublimes, licet jam ſpoliatos atque vaſtatos, minus tamen everſos rebus fuiſſe, quàm moribus. Lugubre eſt referre quæ vidimus, ſenes honoratos, decrepitos, Chriſtianos, imminente admodum iam excidio civitatis, gulæ ac laſciviæ ſervientes. Quid primum accuſandum eſt? quod honorati, an quod ſenes, an quod Chriſtiani, an quod periclitantes? &c.* Et ſtatim: *Denique expugnata eſt quater urbs Gallorum Treveris opulentiſſima.* Et poſt pauca: *Quos hoſtis in excidio non occiderat, poſt excidium calamitas obruebat, cum id quod in excidio evaſerat morti, poſt excidium ſupereſſet calamitati: alios enim impreſſa altius vulnera longis mortibus necabant, alios ambuſtos hoſtium flammis etiam poſt flammas pæna torquebat. Alij interibant fame, alij nuditate, alij tabeſcentes, alij rigentes, ac ſic in unum exitum mortis per diverſa genera corruebant.* Cum autem

Lib.1.c.9. *Conſtantius*, qui Frigerido *Aſterij* cognomine appellatur apud Turonenſem, hoc ipſo rerum momento codicillis imperialibus Honorij, patriciatum & conſulatum fuiſſet ſortitus, Romam redijt. Locum eius Caſtinus

ſtinus Domeſticorum comes obtinuit, qui expeditione confeſtim in Francos ſuſcepta, in Galliam citato itinere properavit, ac Conſtantio Conſtanteque conſulibus anno Chriſti quadringenteſimo decimo quarto, A C. 414.
varijs prælijs proſpere factis, oppida invaſa Francos relinquere & Rhenum repetere adegit. Dum autem ille bello Francico & limite adverſus tranſrhenanos tutãdo occuparetur, rex Gothorum Ataulphus diſcordiæ ſemina cum Honorio quærens, Attalum, quem ſecum ex Italia duxerat, ad reſumenda Auguſtalia inſigna incitavit. Quod ut Honorius percepit, Ataulphum ictum fœdus violaſſe interpretatus, bello perſequendum, ut hoſtium ſuorum fautorem, decrevit: Conſtantiumq; unicum rerũ ſuarum præſidium, iterum in Galliã deſtinavit. Qui & anno ſequente, Ataulphum cum Attalo cepit & captum triumpho Honorij reſervavit; ſed Placidiæ, Ataulphi tunc coniugis, precibus cum eo fœdus redintegratum: quod Gothis, quibus bellum pace potius videbatur, cum diſplicuiſſet, Ataulphum Barcinonæ per inſidias interemerunt, atque ei Sigericum, atque inde Valliam ſuffecerunt: Qui Placidiam, Honorij, ut ante dictum, ſororem, honorificè ac reverenter apud ſe habitam reſtituit eamque Conſtantius Romam decedens ad Honorium, rebus præclare geſtis, reduxit. Honorius Conſtantium, cuius virtute & dignitatem retinuerat, & Galliam liberaverat, duplici affecit honore: nam & Conſulem iterum deſignavit, & ſororis Placidiæ matrimonio decoravit. De Attalo interea anno Chriſti 417. triumphus tamen ductus eſt. 417.
Qui vinctis poſt tergum manibus ante currum incedens, truncata deinde in pœnam

 perfidiæ

perfidiæ dextra, Liperas relegatus eſt. Honorio poſtmodum XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Placidia Ravennæ puerum Conſtantio peperit, qui poſt Honorium imperium obtinuit, Valentinianus nomine.
A.C.418.

Hoc tempore Gallia à tribus populis poſſeſſa, *Romanis, Burgundionibus* & *Gothis*. *Romani* omnia tenuêre à Rheno ad Ligerim, exceptis Aremoricis civitatibus, quarum aliquæ, ut diximus, uſurpata libertate, defecerant: *Gothi* trans Ligerim totam poſſidebant Aquitaniam: *Burgundiones* quidquid erat circa Rhodanum, Rhenum ſuperiorem verſus, paucis aliquot civitatibus in fide Romanorum perſiſtentibus. Hiſpaniam verò citeriorem partim *Gothi*, partim *Romani*; ulteriorem fere omnem *Vandali* cum ſocijs retinebant. Quod vel ideo hoc loco additum volui, ut intelligeretur, Francos, etiamſi ſæpe Rhenum & imperij Borealem limitem invaſiſſent, tunc tamen in veteri & prima ſua Francia ſedes adhuc habuiſſe.

CAP. XI.

FRANCORVM REX FARAMUNDUS.

FRanci ergo trans Rhenum adhuc agentes, uti & notavit hoc circiter temporis, præter ceteros, Sigebertus, Marcomiro rege mortuo (qui ut ante monſtratum, aſtu Stiliconis, unà cum Sunone circumventus interijt) *Faramundum* Marcomiri filium, teſte Aimo-

Aimonio, Regem acceperant; quamvis illius, quomodo & ſuperius indicatum, Turonenſis mentionem nullam faciat. Proſpero enim Pithæano & Aimonio, qui eum uterque nominat, antiquiores non invenio. Sed ante omnes Proſperi rationem habendam hîc puto, utpote qui iſto ſeculo floruit, & cuius tum etiam Chronicon confectum eſt. Alij eius ævum atq; imperium in annum quadringẽteſimum vigeſimum. 420.
Alij in 421. conferunt. Honorio, anno exinde tertio vitâ functo, Ravennã perlatum eſt Iohannẽ quempiã 423.
conſilium invadendi per occaſionem imperij cepiſſe. Nam adiunctis ſibi magnis ducibus Ætio & Caſtino, diu Placidæ & Valentiniano negotium faceſſijt. Sed anno tandẽ quadringenteſimo vigeſimo quinto captus 425.
atque in circo, inſidens aſino, circumductus opprobrio omnium, capite multatus eſt. Procopio tamen ingenio miti nec ineleganti multaque virtute virum fuiſſe memoratur. Caſtinus & Ætius in gratiam recepti; quamvis Caſtino iniquior ſemper Placidia fuerit, utpote quem in exilium poſtea pepulerit, quod eius præcipue conſilijs Iohannem ad dominatum aſpiraſſe perſuaſum haberet. Cæterum ab obitu *Marcomiri* & *Sunonis*, vel ſilentio potius authorum ſuper utroque, id eſt, ab anno trecenteſimo nonageſimo quinto aduſque quadringenteſimum & vigeſimum hunc, vel, ut alij, ad 421. annum, quo Faramundi principatus mentio incidit; anni intercedunt quinque & viginti. Vt veriſimile ſit fœderatos interea Romanorum Francos, nihil in imperij limitem hoſtile magnopere molitos; ideoque & Faramundi vocabulum annalibus illorum temporum parum celebratum. At

togæ & pacis interim artibus quantopere incubuerit, *Lex Salica* argumento eſt, quam volunt accitis eum regni proceribus, haud citra maturum conſilium, tuliſſe; ut ab optimis legibus ſanctiſſima regni auſpicia ceptaret. Hos proceres præcipue quatuor fuiſſe Sigebertus, Cuſpinianus, Ado Viennenſis & alij produnt, *Wiſogaſtum, Loſogaſtum, Widegaſtum* & *Sologaſtum*: quos ob prudentiam atque ingenij ſpiritusq; acrimoniā idiomate vernaculo *Gaſtos* dictos, quaſi *Catones* quoſdam & oracula fundentes arbitrantur eruditorum non infimi; interque eos præſertim Iunius Hornanus, ut & alibi dictum, & poſtmodum quoque referetur propius, ubi de legibus atq; inſtitutis gentis dicendum.

CAP. XII.

FRANCORVM REX CHLODIVS DICTVS Proſpero, Valentiniano Placidiæ filio Aug.

IN Gallijs Ætius, adiuncto ſibi Maioriano Præfecto, bellum cum Theodorico ceperat, uti ſcripſit in Panegyrico Maioriani Sidonius, commiſſoq; cum Gothis haud levi prælio, fortiter adeò feliciterq; à parte Romanorum pugnatū eſt, ut pacem poſtulare Theodoricum coegerint. Quibus motibus, velut claſſico excitati, occaſionē nacti Franci novā in Gallias ir-

rup-

ruptionem inſtituendi. *Chlodius* namque eorundem Rex anno Theodoſij iunioris quinto, ut refert Proſper, *in Francia regnans* &, ut addit Gregorius Turonenſis, *trans Rhenum apud Dyſpargum in terminis Tungrorum caſtrum habens*, miſſis exploratoribus ad *Cameracum* uſque, cum omnia perluſtrata tutaque reperiſſet, ipſe ſecutus Belgicam ſecundam invaſit, ac urbē Cameracenſem adortus Romanis, qui urbi præſidio dati, oppreſſis, urbe potitus reliqua etiam omnia ad Somnā uſq; fluentum occupat. Caſtrū *Dyſpargum* ſive, ut nunc dicimus, *Duyſpurgum*, ex quo profectum Chlodiū Turonenſis indicavit, *Francici regni ſedem fuiſſe*, notat Aimonius l. 1. c. 4. inquiens: *Caſtellum quoddam Dysbargum nomine occupant Franci, in quo rex Clodio ſedem ſui conſtituit regni*: *Trans* autē *Rhenum* reſpectu ſui dixit Turonenſis, ut pote in intima Gallia agens ſcribenſq;: Qui & *in terminis Tongrorum* fuiſſe idem caſtrum vult, ut ſcilicet Tungris (qui partim ultra, partim cis Rhenum è regione tum fuerint) quàm proximum extitiſſe, cuivis chorographiæ iſtius regionis (ubi & loci & nominis *Duyſpurgi* vocabulum, intra Vezaliam nimirum & Dyſſeldorpium, circa Rheni crepidinem adhuc durat) haud ignaro perſpicuum ſit. *In termino* autem *Tungrorum* vetuſtiſſimam habere Turonenſis lectionem teſtatur in editione ſua Morelius, cum aliàs pro, *Tungrorum*, *Thoringorum* minus accurate in Turonenſi non modò, ſed reliquis omnibus chronologis, ut Sigeberto & alijs, qui eum ſecuti, vulgo edatur. Longe enim à Rheno ſemoti Thoringi, longiſſime etiam à Duiſburgo; quod, ut innui, intra Vezaliam & Dyſſeldorpium, amneſque Angram & Roram paucis nunc à ripa Rheni paſſibus locatum,

A.C. 428. Scal. lib. 6. de Emend. Temp. refert ad A.C. 425.

Vezaliæ pæne propinquius hæret. Ado Viennenſis omnium corruptiſſime *Dyſporum* hoc caſtrum nominavit; interim notandum, quod recta in *Silvam Carbonariam*(quæ eſt Arduennæ ſilvæ circa Moſam & agrum Leodienſem pars) iter inde dirigat, ſcribens : *Cladio à Caſtro Dyſpero profectus Rhenum tranſyt : ſuperato Romanorum populo Carbonariam Sylvam tenuit, uſque ad Camarcum; ibique, interfectis Romanis, ſedem ſibi ſtatuit.* Ceterum eidem Clodioni, ſeu, ut dixi ſcribere Proſperum, Chlodio, occurriſſe poſtea cum Maioriano Ætium, ac repuliſſe eiuſdem præſidia ex Sidonio videtur intelligendum, licet Turonenſis atque Aimonius alijque, eius ne leviſſimam quidem mentionem inijciant. Interea, ut indicavi, Sidonius, Panegyri ad Maiorianum ità alloquentem ea de re Maiorianum & Ætium ipſius Ætij uxorem Pelagiam introducit, regem hunc ipſum Frãcicum non *Chlodium* aut *Clodionem*, ſed *Cloionem*, nominans. Ita enim verſus habent :

Poſt tempore parvo
Pugnaſtis pariter Francis, quà CLOIO *patentes*
Atrebatum terras pervaſerat. Hinc coeuntes,
Claudebant anguſta vias, arcuque ſubactum
Vicum Helenam, flumenque ſimul ſub tramite longo
Arctus ſuppoſitis trabibus tranſmiſerat agger.
Illic, te poſito, pugnabat ponte ſub ipſo
Maiorianus eques.

Vnde in Chronico ſuo Conſulari Proſper ad annum Chriſti 419. *Pars Galliarum,* inquit, *propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam acceperant, Ætij comitis armis recepta,*

A. C. 419.

cepta. Et Caſſiodorus eodem reſpiciens etiam Coſſ. adijcit, ubi ait, *Felice & Tauro coſſ. Æxius multis Francis caſis, quam occupaverant propinquam Rheno partem recepit. Helenam autem vicum,* cuius in Carmine meminit Sidonius, *Hedenam* ſeu *Hedin levieux,* hodie vocant, in Atrebatibus ad Cancum flumen ſitum. Et liquet ex eodem ſtatim Sidonio in hoc vico nuptias cuiuſdam *Francica,* vel, ut verſus gratia Sidonius poſuit *Schytica* virginis à milite tum celebratas, atque ea occaſione, diſſolutius rem atque excubias agentes ab Ætio ex improviſo oppreſſos ac fugatos Francos. Verum an in univerſum fugati ac repulſi, Moſamque non modò, relictis Atrebatum terris, ſed & Rhenum quoque tranſmittere eos Romani coegerint, ex verbis Sidonij, qui totum prælium denarrat, liquere non video. Nam verſibus, qui continuo ſuperioribus connectuntur, ità canit:

Fors ripæ colle propinquo
Barbaricus reſonabat hymen: Schyticiſque choreis
Nubebat flavo ſimilis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibent ſtravit. crepitabat ad ictus
Caßis, & oppoſitis haſtarum verbera thorax
Arcebat ſquamis, donec converſa fugatus
Hoſtis terga dedit. Plauſtris rutilare videres
Barbarici vaga feſta thori, coniectaque paßim
Fercula, captivaſque dapes, cirroque madentes
Ferre coronatos redolentia ſerta lebetes.
Ilicet increſcit Mavors, thalamique deſringunt
Plus ardens Bellona faces: rapit eſſeda victor
Nubentemque nurum.

Quibus

Quibus ex verbis, diſturbata nuptiarum ſolemnia & militem in fugam verſum, non autem trans Rhenum & ad ſua cum univerſa Francorum manu abactum Clodionem (quod velle ſunt viſa ſuperiora chronologorum verba) probari poſſe videatur. Hoc enim ſi fuiſſet, nõ omiſiſſet profecto poetica Sidonij tuba, quæ omnia aliàs, etiã minima, in maius ſolet tollere. Regnaſſe eum annos 25. tradit Ado Viennenſis.

CAP. XIII.

MEROVEVS FRANCORVM REX eodem Valentiniano Caſare Aug.

HLodioni ſucceſsit Meroveus: cuius initium confert Sigebertus & alij in annum
448. 448. Aimonius Clodionis affinem non filium, ut recentiores nonnulli, nominat. Gregorius Turonenſis de ſtirpe Clodionis fuiſſe, ductus aliorum teſtimonijs, aſſerit cum inquit, *De Chlogionis ſtirpe quidem Meroveum regem fuiſſe adſerunt, cuius fuit filius Childericus.* Firmandis verò ſuperioribus, quod ſcilicet non in totum, Galliâ eum in modum, ut ante memoratum, invaſâ ceſſerit Chlodio, nec eam ad nutum omnino omnem, aut ſine ulla laciniæ amiſsione, receperit Comes Ætius, eſt, quod Meroveus, poſt Chlodionem, Rhenum ſine ullo certa-

certamine tenuiſſe & ſedes Francorum ad Axonam flu- *Vide Chro*
men in finibus Rhemorum (*Aiſne* hodie, alijs *Diſne*) *nicō Burg.*
locaſſe; nec id modò, ſed in auxilium quoque ab Æ- *Aemylium*
tio & Valentiniano adverſus Attilam, communem *Sigen.*
omnibus, qui ſedes in Gallijs habebant, hoſtem, unà *& alios.*
cum Gothis, ſtudioſe evocatum, ab omnibus prope-
modum commemoretur. Regnum interim & Fran-
ciam in transrhenanâ adhuc Germaniâ poſſediſſe, atq;
inde præcipuè cenſitum fuiſſe notat Proſper ad annum
452. *Nova*, inquit, *iterum Orienti conſurgit ruina, qua ſep-* 452.
tuaginta nō minus civitates Chunnorum deprædatione vaſtatæ,
cum nulla ab Occidentalibus ferrentur auxilia. Meroveus reg-
nat in Francia. Regnat, inquit; ut intelligatur, ipſo Mero-
veo ſuperſtite ac regnante & Rhenum jam cum exer-
citu transgreſſo, hoc ſcriptum Proſpero. Ab eo ex-
inde Francorum reges, qui abhinc in Gallia adusque
Carolingos dominati ſunt, Merovingorum tulêre
nomen. Aetium ergo & Maiorianum repuliſſe quidē
Chlodionē ex ſecundâ Belgicâ facile ex dictis liqueat,
at nequaquam ex ſecundâ Germaniâ. Nam præter-
quam quod ex Gregorio Turonenſi & Adone Vien-
nenſi (qui temporibus illis quam proximi extitêre
quorum Turonenſis haud multò plus centum annis
inferior fuerit) vix aliud colligere habeamus; etiā ipſe
Sidonius Apollinaris, qui tum adhuc ſuperſtes fuit, hoc
idem non obſcure affirmare videtur, dum illis ſuperi-
oribus ex Maioriani Panegyrico relatis, quaſi inter-
pres accedens, ita in Avito deinceps, occiſo iam Valen-
tiniano, canat:

Francus Germanum primum, Belgamque ſecundum
Sternebat, Rhenumque ferox Alemane bibebas.

Indicare enim vult gentes magnæ Germaniæ, quas virtus Ætij continuerat, eodem Ætio interempto, quaſi effractis repagulis in Galliam effuſas: Et Alemanos quidem quidquid cis ultraque Rhenum ſuperiorem prætexere cæpiſſe; Francos vero, ſuccedente in imperio Merovei Childerico, ſecundæ Germaniæ & Belgicæ primæ (quas Clodione & Meroveo ducibus jam ante obtinuerant) adijcere inſuper conatos Germaniam primam & ſecundam Belgicã. Quarum in altera continebantur Argentoratum, Maguncìacũ, Nemetes & Vangiones; in altera præter Rhemos, Sueſſiones, Veromanduos, Atrebates, Camaracenſes, Bellovacos, Ambianos, Morinos, Catalauni quoque. Quod ideo hoc loco repeto, quod videam viros etiam eruditiſſimos, ut Blondũ, Mattheũ Beroaldum, Forcatulum Chytræũ, dum alij aliorum ſequuntur veſtigia, in eo paſſim hallucinari, exiſtimantes Catalaunicos cãpos in quibus memorabile illud Attilanum prælium cum *Romanis Gothis* & *Francis*, *Ætio*, *Theodorico* & *Meroveo*, imperatoribus, commiſſum eſt, non in ſecundâ Belgicâ, ſed circa Tholoſam quærendos: cum conſtet Attilam poſt Rhemos exciſos Aurelianum cogitaſſe, atque inde urbis potiundæ ſpe deiectum in *Catalaunicos* hos campos, qui & *Mauriaci* aliàs dicti, ſe recepiſſe: ut perſpicuum ſit non longe eos ab Aureliano fuiſſe diſſitos, nec intelligendos alios, ut & monuit in lib. de Emend. Temp. Ioſephus Scaliger, & ante eum Goropius, quam qui circa civitatem Catalonenſem, *Chatelon* hodie appellatam, ſeſe offerunt; ubi latiſſima camporum planicies patet, quæ & inde *Campania* nomen obtinuit. Facit huc etiam, quod minime

cum

cum agrò Tholoſano Catalanenſi quadret conſilium quod Ætius Thoriſmundo, poſt patris Theodorici in eadem clade interfecti necem, dedit, ut ad ſuos quàm citiſſimè Tholoſam rediret, ne à fratribus regnum occuparetur. Et ne quis ambigat amplius in ſecundâ hæc Belgicâ perpetrata, diſertè Iornandes ait eundem Thoriſmundum ex Ætij, quod diximus, conſilio, *relictis Hunnis*, ex Belgica nimirum ſecunda, *rediſſe ad Gallias*; Et Sidonius, eodem aſpectu, *Aetium Ligeris liberatorem*; & *Attilam Rheni*, ſeu Belgicæ tantum *hoſtem* nominat, utpote cuius furor intra Rhenum & Ligerim deſævierit; ubi & *Cathelaunos*, juxtra nimirum Rhemos, olim Ammianus quoque Marcellinus collocavit, cuius verba ſunt lib. xv.: *Huic adnexa eſt ſecunda Belgica, qua Ambiani ſunt, & Cathelauni & Rhemi.* Quod prolixius paulo addendum fuit, quia non Hiſtoricos modò, ſed chorographos quoque, & inter eos Ortelium a recta in ſequiorem propemodum ſententiam abductum cõpererim in eo, quod elegantiſſimũ edidit, lexico Geographico.

Nunc de ipſo illo Attilano prælio ut aliquid addam res ipſa poſtulare videtur. Nam cum in eo non poſtrema fuerint Francorum auxilia, intelligi ſimul dabitur ad eas partes haud temere, ſed ut adverſus hoſtem, qui Galliam communem (cuius tunc etiam partem Franci tenebant) ſpe ſua devoraverat, communibus armis propulſandum vocatos. Quum vero, præter ceteros, inſpectis paſſim vetuſtis chronologis & Priſci quoque Hiſtorici, quæ citat Iornandes, fragmentis, huius tam memorabilis prælij occaſionem, diſcrimina atque eventa accuratè ſcriptis

mandaverit, de Occidentali imperio agens, Carolus
Lib. 13. Sigonius, ipſius allatis verbis rem omnem ob oculos
ponere conſtitui:

Attilæ cũ Romanis Gothis & Francis. prælium Catelaunicum.

Dum, inquit, *hæc in Oriente à Marciano geruntur, Attila bellum adverſus Occidentem & Valentinianum internecinum paravit. Occaſio verò tulit, ut arma Galliæ prius, quam Italiæ, moverit; quamvis longius poſitæ, & minus patiendæ iniuriæ opportunæ. Quæ fuit huiuſmodi. Genſericus Theodorici regis filiã Hunerico filio ſuo matrimonio iunxerat, ſed ſuſpicione veneni ſibi parati mox reciſo naſo dehoneſtatam ad patrem remiſerat. Itaque vindictam meritò timens, Theodoricum delere, Gotthorumque opes labefactare conſtituit. Sed viribus ſuis diffidens, Attilam in eius perniciem multis miſſis muneribus incitavit. Attila homo avarus, & belli cupidus, prædæ, & mercedis magnitudine oſtentata, haud gravatè ſe voluntati eius obſequuturũ promiſit. Ac ſtatim conſilio non inſulſo, ut Romanorum ac Gothorum opes, atque auxilia ſepararet, legatos alios ad Valentinianum miſit, per quos ſe in Galliam adverſus Gothos, (quod ſalva ipſius amicitia facere poſſet) contendere velle oſtendit, alios vero ad Theodoricum, per quos ſe ſtatuiſſe Romanos adoriri ſignificavit. Proinde ſe utrique magnopere ſuadere, ut alter ab alterius auxilio abſtineret, neque alieni periculi cauſſa ſuas fortunas in dubium revocaret. Valentinianus autem iampridem in omnem Attilæ actionem, atque orationem intentus, fuco verborum ſe decipi veritus, ſubitò per fidos nuncios Theodorico legationem Attilæ, atque occultum, ut rebatur, eius conſilium demonſtravit. Eumque, ut in communi periculo communia arma ſuſciperet, invitavit. Cum ſatis omnibus appareret, Attilam orbis terrarum imperium affectare, neque iuſtas belli cauſſas requirere, verum in capiendis armis uni libidini, atque inexhauſtæ cupiditatis ſuæ voragini indulgere. ac ius, faſque omne deſpicientem promiſcuè*

ſe

ſe hoſtem mortalibus omnibus agri, terræve aliquid poſſidentibus exhibere. Quamobrem æquiſſimum videri, ut qui adverſus omnes homines animi ſui ſævitiem inflãmarit, is omnium etiam hominum opibus, armiſq; coerceatur. Hac legatione accepta, Theodoricus ſummo ſtudio ſe facturum quod ille ſuaderet, reſpondit, ac fœdus adverſus Attilam, ſi Galliam invaderet, haud invitus percuſſit. Theodorico in belli ſocietatem aſcito, Valentinianus inde ad Gundicarium, regem Burgundionem, Sangibanum Alanorum, & Meroveum Francorum ſe contulit, atque eorum, quia ſedes in Gallia habebant, cauſſam communẽ agi cum oſtendiſſet, haud ægrè, ut eidem ſe iungerent fœderi, perſuaſit. Inde totius belli ſummam, ac rei pro iudicio ſuo adminiſtrandæ arbitrium Aetio, duci illa ætate manu, conſilioque promptiſſimo, atque in barbarorum bellis exercitatiſſimo, tradidit. Qui, delectu barbarorum, atque Italicorum quàm acerrimo in Italia habito, nihil, quod ad tantum hoſtem excipiendum pertineret, omiſit. Contra Attila non ſolum vim innumerabilem Hunnorum coëgit, ſed magnum etiam numerum Oſtrogotthorum, qui adhuc in Scythia erant, eique parebant, excivit. Quos tres ex Amalorum familia fratres, ſtrenui maximè duces, Valamirus, Theodemirus, & Vindemirus ducebant. Quin etiam Ardaricus rex Gepidarum, Sarmatæ, Geloni, Neuri, Rugi, Baſtarnæ, ac bellicoſiſſimi quique ex Scythia populi in eam militiam nomina ſunt profeſſi. Totaq; Germania ſive metu, ſive amore ad huius expeditionis ſocietatem arrecta. Atque ita totus hic annus utrinque in contrahendis auxilijs eſt conſumptus, quo eodem anno tanta in Italia annonæ penuria laboratum eſt, ut multi fame adacti, filios, & parentes ſuos pretij habendi cauſſa vendiderint. Itaque Valentinianus, ſequenti ineunte, quo Marcianus Auguſtus cum Adelphio conſul fuit, ad Aetium Patricium pridie Kal. Februarias Romæ ſcripſit hoc modo: Cum obſcœniſſima fames proximè 451.

per totam Italiam deſævierit, homineſque filios, & parentes vendere, ad diſcrimen inſtantis mortis effugiendum coacti ſint, ego revocans conſtitutiones maiorũ, venditionem cenſeo ſubmoveri, quã prædicta fames ingenuorum fieri perſuaſit. *Interim Attila ſæviente adhuc hieme, cum exercitu, quem in Scythia ex diverſis conflaverat gentibus, caſtra movit, ac per Germaniam iter faciens, populos eius omnes ad arma Galliæ ſecum inferenda ſolicitavit, cum aliĳs ſpẽ prædæ opulentiſſimæ oſtentaret, alios odio ergo Romanos quàm maximo poſſet accenderet, aliĳs terrorem exercitus ſui invictiſſimi obiectaret, omnes autẽ à capiendis pro Romanis armis averteret, clade commemorata Francorum, quam illi pridem à Vandalis accepiſſent, cum ſoli eorum in Galliam tranſitum impedire conati eſſent. Quibus de rebus haud ægrè omnes Germaniæ populi Attilæ ad Galliarum, ut præſeferebat, excidium contendẽti ſe adiunxerunt, Quadi, Marcomanni, Heruli, Turcilingi, Burgundiones, Thuringi, Bructeri, ac demum etiam, qui aſſidue, ac prope quotidiani Galliarum hoſtes ab initio fuerãt, Saxones, &, qui in Germania remanſerant, Franci. Quod Sidonius, qui his rebus interfuit, ſcriptum reliquit:*

ſubitò cum rupta tumultu
Barbaries tota in te transfuderat arctos
Gallia. Pugnacem Rugum comitante Gelono
Gepida trux ſequitur. Scotum Burgundio cogit,
Chunnus, Bellonotus, Neurus, Baſtarna, Thuring*,
Bructerus, ulvoſa quem vel Nicer abluit unda.
Prorumpit Francus.

Cum hac igitur tot populorum, gentiumque colluvie, quæ ad ſeptingenta milia hominum dicitur eſſe complexa, quaſi non

terra

terra Galliæ bellum, ſed toti terrarum orbi peſtē, atque exitium intentaret. Attila ad Rhenum pervenit. ibiq́; naves tam multas trajiciendi cauſſa conſtruxit, ut Hercynia ſylva, quemadmodum inquit Sidonius, ſubitò ſecta in lintres abierit. Interim totam Galliam, inprimiſque eam, quæ Rheno proxima primū hoſtium ſubitura impetum videbatur, nova, atque inuſitata trepidatio, ac pavor inceſſit, ſingulis ſibi crudeles ſtrages hominum, populationes agrorum, everſioneſque oppidorum, quas in Oriente factas audiverant, ſe viſuros animo deſtinantibus. Attila, Rheno traiecto, occurrentia omnia Germaniæ ſecundæ oppidā infeſtus invaſit, ac præcipuè Tungros, Coloniamque delevit. Inde in Belgicam primam ingreſſus, Metas pridie Paſchatis occupatas diripuit ſimul, atque ſuccendit Populo trucidato, templa omnia præter Oratorium S. Stephani inflammata. In Belgica ſecunda Atrebatum exciſum. Quod poſt Vedaſtus epiſcopus reparavit. In Senoniam inde ingreſſus, Tricaſſus acceſſit. Verum virtute S. Lupi epiſcopi nullo maleficio urbem prætergreſſus affecit. Dum autem Attila in Gallia ſæviebat, Aetius legiones ſecum Italicas ducens, Arelate pervenit. Ibi ratus, Gothos, quanquam fœderatos haud temere ſe tanto certamini commiſſuros, Avitum Arvernum ad eos evocandos mittit, atque ei, & ceteris regibus, & copijs Gallicis diem ad conveniendum edicit. Cum autem Anianus, Aureliani epiſcopus, Attilam ad Ligerim adventare videret, de civitate ſua ſolicitus ad Aetium Arelate contendit, ac præſens vrbis periculum demonſtravit. Ille verò Sangibanū Alanorum regem, qui eam urbem tenebat, formidine conſternatū, ac prope à Romanis alienatum audiens, ad ſe accerſit, & ſe in tempore urbi affuturum ſpopondit. Interim Attila obvia quæque ſubvertens, Aurelianum ad Ligerim ſitum acceſſit, eamque urbem ſe dedere recuſantem; ac victoriam ſuam inhibentem omni mole oppugnare, ac variarum machinarum pulſu verberare

re inſtituit. Ea re territi cives, cum quidnam conſilij ceperent, in incerto haberent, Anianum conſuluerunt. Ille monuit, ut ſpē in Deo defigerent, atque opē eius ſuppliciter implorarent. Quod cum illi humi proſtrati feciſſent, tū ad eos converſus dixit: Proſpicite de muris, num ſubſidium Dei adveniat. Putabat enim, Aetium adventare. proſpicientes autem neminem viderunt. at ille: Orate iterum cum fide. Vos enim dominus hodie liberabit. &, cum feciſſent, Proſpicite iterum, inquit, Nemine autem apparente, dixit illis, Si cum fide orabitis, dominus vobis ſine dubio aderit. Illi verò cum fletu magno miſericordiam invocare Dei cœperunt. Inde ex ſancti epiſcopi præcepto de integro proſpicientes, nebulam, quaſi de terra ſurgentem, viderunt. Quod renuntiantibus ſacerdos dixit. Atqui hoc Domini auxilium eſt. Atque ita trementibus, ac fatiſcentibus aſsiduis iam ictibus arietum muris, ecce Aetius, & Theodoricus, ac Thoriſmundus filius eius cum ſuis quiſque exercitibus prodeunt, commiſſoque certamine Attilam ab urbe propellunt. Hæc ita acta Turonenſis Gregorius refert. Sidonius verò Attilam urbem etiam irrupiſſe, verùm, Aetio ſuperveniente, non deripuiſſe prodit. Sic enim ad Proſperum epiſcopum ſcribit: Dum laudibus ſummis ſanctum Anianum Lupo parem, Germanoq; non imparem vis celebrari, exegeras mihi, ut promitterem tibi, Attilæ bellum ſtylo me poſteris intimaturū quo videlicet Aurelianenſis vobis obſidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cælitus ſacerdotis vaticinatio continebatur. Cœperam ſcribere. Sed operis arrepti faſce perſpecto, tæduit inchoaſſe. *Attila inde ira fervidus, cum patentiſsimos, ac prælio faciendo aptiſsimos non longè abeſſe campos Catalauni audiſſet, eò caſtra cōvertit, atque Aetio ſeſe ſummi ibi prælij copiam facturum oſtendit. Neque illud Aetius detrectavit, verùm ſtatim cum Gothis,*

&

& Francis, Alanis, & Burgundionibus, & provincialibus, Italicisque acceſſit, ſeque ad pugnam capeſſendam præſto eſſe ſignificavit. Attila, antequam prælium iniret, cum exta conſuluiſſet, intellexit, à parte Romanorum ducem, à ſua exercitum periturum. Interpretans autem, Aetium eſſe caſurum, cuius virtutem, ac prudentiam omnium maximè formidabat, de exercitu ſuo non laboravit, atque alacriter in prælium hora nona proceſſit, eo conſilio, ut ſi acies ſua inclinaſſet, nox imminens dirempto prælio ſubveniret. Cum acies inſtruerentur, dextrum cornu Theodoricus, ſiniſtrum Aetius, mediam aciem Sangibanus obtinuit, ut qui ſuſpecta fidei turba eſſet fidelium ſepiendus. apud hoſtes autem cornua multiplices populi, mediam aciem, quò tutior eſſet, ſibi Attila depopoſcit. Erat in campis tumulus quidam leniter acclivis, quem qui primus cepiſſet, plurimum ad victoriam momenti conſequutus fuiſſet. Quo animadverſo è ſuis aliquot miſit, qui locum occuparent. Sed Romani anteverterunt, atque Hunnos evadere conantes facilè deturbarunt. Qua de re Attila, cũ exercitum ſuũ, tanquã infauſto rei auſpicio, perturbatum videret, oratione ſibi confirmandũ putavit. Atque ita diſſerere cœpit. Poſt tot victorias partas, orbeque prope terrarũ edomitũ, abſurdum ſinè cenſuerim vos verbis ad prælium conſerẽdũ accẽdere. quærat hoc aut novus dux, aut imperitus exercitus. Neq; enim me decet vulgare aliquid dicere, neq; vos oportet audire. quid autẽ forti viro iucũdius eſſe poteſt, quã vindictã manu ſuſcipere? invadite igitur hoſtẽ alacres, ut qui bellum nõ excipitis, ſed infertis, advocatos videtis tã diverſi generis populos. quod aliud maius eſſe poteſt pavoris ac trepidationis indiciũ, quã caput ſuũ ſociorũ armis, ac lateribus tegere? en, antequã veſtrum impetum patiantur, ſævis terroribus concitantur. Excelſa loca quærunt, tumulos capiunt, atque ita in campus munitiones depoſcunt. Notum eſt vobis, quàm levia ſint Romanorum arma. primo

mo non dico vulnere, ſed pulvere perturbantur. ergo dum illi ordines inſtruunt, dum teſtudinẽ nectunt, vos confligite præſtantibus animis, ut ſoletis, contemnenteſque eorum acies, Alanos, Gotthoſque invadite. his enim tanquã nervis eorum præſciſis, repente totum corpus ad terrã collabatur neceſſe eſt. nunc iram, Hunni, nunc vires, nunc arma, nunc conſilia veſtra depromite. faciem illi veſtram ſuſtinere non poterunt, ſi vos fortiter pugnantes aſpexerint. Hac oratione perfecta, ſigno pugnæ dato, alacriter utrinque concurſum eſt. atque uſque ad noctem tanto ardore, tantaque pertinacia depugnatum, ut maiore dimicari non potuerit, tanta porro cæde, ac ſanguine, ut fœdiorem, ac cruentiorem pugnam antiquitas nulla prodiderit. Fervente autẽ prælio, Theodoricus, dum adhortans ſuos diſcurreret, ſive equo fortè lapſus, pedibuſque ſuorum attritus, ſive, ut alij tradunt, ab Oſtrogottho quodam confoſſus, interijt. Atque hoc fuit, quod Attilæ aruſpices de ducis apud Romanos caſu prædixerãt. quod ille temere ad Aetium traxerat. Eo dolore Gotthi accenſi ab Alanis ſecreti, aciem Hunnorum invadunt. quo impetu Attilam oppreſſiſſent, niſi ille providus ſe, & ſuos in caſtra, quæ plauſtris obvallata habebat, illico retuliſſet. Thoriſmundus autem, qui cum Aetio collem anticipans, hoſtes de ſuperiore loco depulerat, credens, ſe ad agmina propria accedere, nocte cæca ad hoſtium carpenta pervenit. itaque fortiter dimicans capite vulneratur, atque equo deiicitur. ſed, ſuis intercurrentibus, tandem in equum relatus liberatur. Aetius verò per tenebras noctis à ſuis diviſus, cum inter medios hoſtes vagaretur, nũ quod adverſi Gotthis accidiſſet, inquirens, cum ad caſtra ſociorum perveniſſet, noctem ſcutorum defenſione tranſegit. poſtridie, luce orta, cum ſtratos cadaveribus campos eſſe, neque Hunnos caſtris exire audere videret, atque Attilam intelligeret propter cladem acceptam prælium detrectare, ſuam eſſe victoriam arbitratus eſt.

eſt. Attila verò, quanquam victum ſe cernebat, tamen tanquam victor, in caſtris ſtrepidum armorũ edebat, ac tubis canebat, & terrorem ſolitum commovebat. Quod ut ſenſit Aetius, hominem obſidione premere ſtatuit, nimirum brevi periturum arbitratus, quia paratam commeatuum copiam non haberet. Neque enim propter crebros ſagittariorum eius ictus propior ad caſtra dabatur acceſſus. Qua re cognita, Attila, ſalute deſperata, regum ex ſellis equorum conſtruxit, eo animo; ut ſi Romani caſtra cepiſſent, ſeſe in eum ardentem conijceret, ne Romanus aut ſe vulnerato gauderet, aut de capto magnificè triumpharet. Interim Gundicarium regem cum Burgundionibus ſuis deletum, eſt cognitum. Gotthi quoque cadaver Theodorici diu quaſitum repPererunt. Eorum uterque à ſuis honeſtiſsimis de more exequijs eſt elatus. Hoc eſt memorabile prælium Catalaunicum. In quo CLXII *millia hominum cecidiſſe dicuntur, præter nonaginta millia Gepidarum, Francorum, qui nocte, quæ prælium præceſsit; inter ſe armis congreſsi mutuis vulneribus concidere. Narrant, rivulum memorati campi humili ripa labentem peremptorum, ac ſauciatorum ſanguine concitatum fluxiſſe. quoſq́; ſitis intolerantia ad bibendum adegit, eos ſanguinem, quem vulnerati fuderant, potaviſſe. Thoriſmundus inde funus patris proſequutus; ad Aetium ſe contulit, &, quid ſibi opus facto eſſet, conſuluit. Aetius veritus, ne, deletis, ut opinabatur, Hunnis, Gotthi nimia inſolentia efferrentur, ſuaſit, ut domum repetens, regnum, quod fuerat patris, adiret, ne illud fortè minor natu frater arriperet. Ita ille, Hunnico bello relicto, rex à ſuis acclamatus: in Aquitaniam eſt reverſus. Pariter etiam Sangibanus cum Alanorum, & Meroveus cum Francorum relliquijs domũ dimiſſi. Quod ubi Attila audijt, dolum parari putans, ſeſe per aliquot dies intra caſtra continuit. At verò, poſtquam exploratam rem habuit, lætitia ſumma perfuſus, bene de ſe ſperare inſtituit,*

ac Romanum diſſolutum iam cernens exercitum, ſecurus è caſtris exceſſit, ac ducto ſecum uſque ad Rhenum Lupo, Tricaſſino epiſcopo, atque cum honore remiſſo, Rhenum tranſiit, atque per Germaniam in Scythiam retro incolumis abijt. Hæc armis hoc anno in Occidente adminiſtrata. Hactenus Sigonius.

Porrò regum, quos enarravimus, poſt *Marcomirum* & *Sunonem*, *Pharamundi* nimirum, *Hlodionis* & *Merovei* cum exactiſſimam chronologiam in libris de Temporum emẽdatione Ioſephus Scaliger è Proſpero præſertim & Gregorio Turonenſi, ad Annales Galliæ, qui hac parte multum mendoſi ſunt, corrigendos concinnarit, haud abs re fore exiſtimavi ſi eam verbotenus hoc loco adſcripſero. Ait enim:

Lib. 6. de Emend, Temp.

Gregorius Turonenſis in libro ſecundo perſequitur primordia gentis Francorum. Sed nihil certi adfert. Primorum enim regum Faramundi, Hlodionis, Merovei, Hilderici nomina tantum profert: tempus imperij eorum præterit: fortaſſe, quia nullus ſcriptor id definiverat: quod tamen falſum eſt. Proſper enim Aquitanus floruit CL *annos ante hunc Gregorium. Huius extant duo Chronica. Alterum Euſebiano ſubtextum eſt: alterum breviſſimum ab eruditiſſimo viro P. Pithæo I. C. noſtro editum eſt, ſine adiectione annorum Chriſti. Sed in quibuſdam manuſcriptis anni Chriſti appoſiti ſunt. Prius per paria conſulum digeſtum eſt: poſterius habet tantum ſeriem annalem rerum geſtarum. Huiuſmodi duplicis generis plura olim extabant Chonica. In quibus autem digeſti erant Conſules, ea vocabantur Conſularia. Gregorius Turonẽſis lib.* II *cap.* IX: Nam & in conſularibus legimus, Theodomerem Regem Francorum filium Ricimeris quondam, & Aſcilam matrẽ eius gladio interfectos. *Reliqua in quibus Conſules digeſti non erant, vocabantur Chronica: quale eſt hoc Proſperi, de quo* nunc

nunc loquimur. *In eo igitur libello Faramundi, Hlodionis, & Merovei notata ſunt initia: quæ tanto certius ſcire potuit, quanto propius ab illis temporibus abfuit. Eius enim Chronicon vulgare deſinit in Conſulatum Valentiniani.* VI, *& Nonij.* LXIIII. *annis ante obitum Hlodovei, indictione* XIII, *qui erat annus Chriſti 445. At Chronicon Pithœanum deſinit in Conſulatum Valentiniani* VIII, *& Anthemij, congruit anno Chriſti 455. Illi igitur fides de rebus Francorum habenda eſt, non vaniloquo Huntbaldo illi; aut Sigeberto, qui illum aliquando ſequitur. In manuſcripto igitur codice iſtius Chronici, è regione anni Chriſti* CCCCXXI, *hæc leguntur, quæ deſunt in Pithœana editione*: Hieronymus apud Bethlehem moritur, anno ætatis XCVIII. *Sequenti autem anno* CCCCXII. *apponitur*: Solis hoc anno facta defectio. Faramundus regnat in Francia. *Iam ex Conſulari Chronico Proſperi ſcimus Hieronymum obijſſe Theodoſio* IX, *& Conſtantio* III. *Coſſ. quæ erat indictio tertia, teſte Marcellino Comite V. C. Et proinde fuit annus Chriſti 420. Ergo defectio Solis contigit anno 421. quod verum eſt. Defecit enim Sol eo anno* XVII *Mai, cyclo Lunæ quarto, feria tertia. Initium igitur Faramundi congruit anno Chriſti Dionyſiano 421. non 419. ut eſt apud Segebertum. Quod * Faramundus, non Waramundus ſcribendum ſit, non monerem, niſi viderem Germanos quoſdam doctos viros ita cenſuiſſe. quod in illis ferendum non eſt. Nam quomodo W potuit in F. degenerare? Quid ſit* FARA, *unde nomen Faramund compoſitum, pete ex Paulo Longobardo. Francorum enim, Gottorum, Longobardorum, Vandalorum eadem dialectus fuit, nempe Teutonica. Rurſus in manuſcripto codice ad annum* CCCXXXIII. *hæc leguntur*: Placidia tandem illata optato regno. Hlodius regnat in Francia. *At in Chronico conſulari Proſperi*: Theodoſio XI. & Valentiniano Coſſ. Placidia Augu-

* De hoc vide ſupra pag. 244.

ſta, & Valentinianus Cæſar mira felicitate Iohannem tyrannum opprimunt, & regnum victores recipiunt. *Erat indictio* VIII. *teſte Marcellino Comite. Proinde is erat annus Chriſti 425. non 433. ut perperam ibi anni Chriſti putantur. Ergo initium Hlodwin, quem Chlodionem vocant, conſurgit ex anno Chriſti vulgari 425. itaque quadriennium tantum regnavit Faramundus. Anni vero Chriſti in veteri codice perturbati ſunt, ut dixi. Nam è regione anni* CCCCXXXVI. *notata eſt Vandalorum in Africa traiectio. Quæ tamen facta eſt anno Chriſti* CCCCXXVII. *Sed ſunt errores librariorum. Denique anno* CCCLI. *ſubnotata ſunt* : Bleda Hunnorum Rex Attilæ fratris fraude percutitur: cui ipſe ſuccedit. *Sed hoc accidit indictione* XII. *Theodoſio & Albino coſſ. ut ex Chronico Conſulari didicimus, anno Chriſti* CCCCXLIV. *Poſtea ſequitur è regione anni* CCCCLII. Nova iterum Orienti conſurgit ruina, qua ſeptuaginta nõ minus civitates Chunnorũ deprædatione vaſtatæ, cum nulla ab Occidentalibus ferrentur auxilia. Meroveus regnat in Frãcia. *Hæc contigerunt indictione* XV. *Ardabure & Calepio coſſ. Item indictione prima, Zenone & Poſthumiano, anno Chriſti* CCCCXLVIII. *Quare anno Chriſti 448. capit regnare Meroveus, ut etiam extat in Sigeberto. Indubitata ergo deprehendimus horum regum initia. ipſe enim Proſper Hlodione & Meroveo regnantibus hæc ſcribebat. Itaque, ut dixi, eius ratio habenda, non aliorum, qui levibus coniecturis ad ea indaganda nituntur. De Hilderico non mirum ſi nihil notatum. Hoc enim breve Chronicon deſinit ante initia illius regis. Quare pro incertis ea relinquimus. Ab initio Merovei, ad initium Hlodovici, anni ſunt* XXXI. *Quod ſi* XXIV. *Hilderico attribuantur, ut cenſet Aimonius, ergo* VII. *annos tantum regnaverit Meroveus. Sed hæc incerta. Poſtquam Gregorius libro*

ſecundo

ſecundo de adventu Hunnorum (qui & Chunni) quadam quaſi in anteceſſum protulit, deinde turbato ordine, ad initia Francorum regreditur. Igitur de adventu Hunnorum verba faciens ita ſcribit lib. 2. cap. 3. Tunc & Sol teter apparuit, ita ut vix ab eo pars vel tertia eluceret. Credo namque pro tantis ſceleribus & effuſione ſanguinis innocentis &c. *Et ſequenti capite :* Multæ hæreſes eo tempore Dei eccleſias impugnabant, de quibus plerumque ultio divina data eſt. *Et reliqua. Videtur à noſtro Proſpero accepiſſe, qui ſub anno primo Imp. Marciani hæc ſubnotat:* Hac tempeſtate valde miſerabilis Reipublicæ ſtatus apparuit, cum ne una quidem ſit abſq; barbaro cultore provincia: & nefanda Arianorũ hæreſis, quæ ſe nationibus miſcuit Catholicæ nomen fidei toto orbe diffuſa præſumat. *Vides eum loqui de præſentibus. Nã hæc videns ſcribebat. Ergo primo anno Marciani Imp. Solis defectio fuit, ut notat Gregorius, Valentiniano* VII *& Avieno coſſ. indictione* III, *anno Chriſti* CCCCL, *quæ defectio contigit Aprilis* XXVII, *cyclo Lunæ* XIV, *Solis* XI, *feria* V. *Itaq; anno ſequenti Gregorius dicit Attilam in Gallias irrupiſſe, in ipſa ſancti Paſcha vigilia. Hoc igitur contigit anno Chriſti* CCCCLI, *indictione* IV, *Marciano Aug. & Adelphio coſſ. Quare idẽ dicit Caſſiodorus in ſuo conſulari :* MARTIANVS AVG. ET ADELPHIVS. His Coſſ. Romani Ætio duce Gothis auxiliaribus contra Attilã in cãpis Catalaunicis pugnaverunt, qui virtute Gothorum ſuperatus abſceſſit. *Nã adventu Gothorum auxiliarium cognito Attila, omiſſa Aurelianorum oppugnatione, ad Matronã flumen caſtra movit, & ſecundum flumen exercitum ducens in campeſtribus Catalauni oppidi caſtra poſuit, ad locum qui Mauriacus dicebatur : ubi commiſſum eſt illud memorabile prælium. Quare hallucinantur, qui in campis Toloſenſibus,*

quibus

quibus Catalanis nomen eſt, hoc contigiſſe dicunt. Nam & ſeries geſtorum, & nomina locorum repugnant. Aliter enim campi Cattalani, à Cattalanis barbara natione, quæ Tectoſagum loca primum, deinde Hiſpanias inſedit, dicti ſunt; aliter Campi Catalaunici ab oppido * *Catalauno. Vt puerilis eſt error, ità minimo negotio confutatur.* Hactenus Ioſeph. Scaliger. qui ut ſingulari cum cura ad ſuam & certam anni æram jam dictos reges adſcripſit, ità in id ſaltem impegiſſe videtur, quod inter primos Francorum reges à Gregorio nominatos etiam Faramundum recenſeat; cum Gregorio omnino nō nominatū Faramundum jā ante oſtenſum ſit. Præter autem Theodomerem Francorum regem, quem in Conſularibus ſe legiſſe idem Gregorius ait, citantur quoque eidē ex Alexandro Sulpitio *Marcomerus* & *Suno* ſubreguli Francorum, Claudiano, ut ſupra notatum pag. 231. diſertè Francorum reges vocati. quem locum Scaligero hîc præteritum miratus ſum; ſicuti & illum ex Proſperi Chronico Pithæano; quo ante Pharamundum ad ævum Gratiani *Priarius* Francorum Rex refertur, ſed ut ſuo ſupra loco commonſtratum latè nimis minuſque verè, cum Priarius ille (*Priamus* erat in Proſpero) Alemanorum non Francorum rex fuerit: ut omittam ceteros & vere primos Francorum reges à nobis ſuperius ex Ammiano Marcellino & panegyricis, authoribus claſſicis, productos, qui Gregorio Turonenſi ne per ſomnium quidem innotuêre.

* Vide ſupra pag. 323.

Atque hæc Francorum ſunt per annos plus minus centum & ſeptuaginta memorabilia facinora. Hinc Francici imperij ac regni regumque in Gallijs ortus & initia. Quæ ſi animadverſa, aut in hiſtoriæ legitimæ

corollam

corollam collecta jam ante fuiſſent, exularent haud dubiè nugivendorum operæ, quæ ſeculum fabulis infecerunt. Gallorum quoque caſtigatiores hiſtoriæ à Faramundo & Meroveo ſtudio quodam, ne in idem cum Hunibaldicis fabulationum barathrum præcipitarent, auſpicium ſumentes, hoc poſito fundamento certius nunc pedem figere, & ævum etiam anterius perluſtrare, ac poſteriora prioribus connectere inque rem ipſam venire tuto poterunt.

Vnum ſupereſt ut ipſis etiam interioribus Germanis ſatisfaciamus, & id, quod ſæpiuſcule ſuperioribus libris tetigimus, non eſſe illud primigenium Francorum ſolum, quod Francorum hodie audit, ſed eſſe id ipſum ævi poſterioris, & ab ipſis hiſce Francis, ex quo Galliæ laciniam certò prehendêre, conſtitutum, ad plenum, quod dici ſolet, & demonſtrandum jam porro, & ex ipſo hiſtoriæ cum ſuperiori cõtinuato filo adaperiendum eſt.

IOHANNIS ISACII PONTANI

ORIGINVM FRANCICARVM

LIBER V.

CAP. I.

PROOEMIVM ET SYLLOGE dicendorum.

P*Er varios caſus per tot diſcrimina rerum*, eluctatos tandem in Galliam Francos & exturbatis Romani imperij præſidijs, in ripâ non modò Rheni Romanâ, ſed ultra etiam & ſigna ſedeſque fixiſſe ſatis demonſtraſſe exiſtimo; & ità demonſtraſſe ut unde profecti, quo loci & quando Rhenum tranſcenderint, omnibus nunc in propatulo, idque veris narrationibus ac certis authoribus, conſtet. Sequitur ut brevibus abſolvamus, quomodo in Gallijs jam conſtituti paulatim imperio & rebus ſuis robur addiderint: quomodo

ſedes firmarint ac dilatarint novaque regionibus, hinc nimirum Auſtraſiâ atque illinc conſtitutâ Veſtraſiâ, nomina indiderint; Et illam pariter, quæ erat cis Rhenum in Gallijs, OCCIDVAM FRANCIAM, aſpectu ſcilicet eius, quam in ſedibus Alemanorum trans Rhenum, ORIENTALEM, poſt eam, de qua dicemus, adverſus Alemanos Clodovei illuſtrem *juxta* Tolbiacum victoriam, appellitare cæperint. Vt itâ Hunibaldicorum ſimul iſta, Reges & neſcio quam ijſdem in locis Franconiam non uno jam ante ſeculo comminiſcentium, iterum ſæpiuſque appareat vanitas: Quomodo & ſuperius occaſione data relatum aliquoties & refutatum quoque per tranſennam quaſi, nunc ipſa hiſtoriæ ratione deducetur clarius

CAP. II.

CHILDERICVS FRANCORVM REX, Avito & Maioriano Occidentis Augg.

HIldericus igitur, de quo loqui ſuperius cæperamus, Merovei regis filius parentique ſucceſſor datus acri ad prolatandum fines ſtudio exſtimulatus & occaſionem etiam ex morte Ætij, atque inde Valentiniani oportunam nactus, adiecit non ſolum, uti jam ante ex Apollinari memoravimus, Germaniæ ſecun-

dæ primam, & primæ Belgicæ ſecundam, aut eius certe præcipuam portionem, verum ad Ligerim propemodum uſque univerſa invaſit ac ſtravit. Quapropter earum civitatum, quæ cis Ligerim à Romanis adhuc tenebantur, Avitus Romanorum tum Auguſtus imperijque electus vindex Ægidio militum magiſtro ac Patricio tutelam curamque adverſus Francos omnem committit; Ediccum verò filium, Comitem militum ad ea, quæ trans Ligerim eſſent, adverſus Gothos defenſanda conſtituit. Ad hoc ævum ſpectare omnino videntur Aimonij verba, quæ habentur libro 1. cap. 3. de geſtis Francorum hunc in modum: *Trevirorum urbem Franci, factione Lucij conſularis eodem tempore pervaſerunt. Qui videlicet Lucius indignatione commotus, eo quod cognoviſſet ab Avito Galliarum Auguſto uxorem ſuam ſtupro maculatam, atque cavillando ſibi audiſſet eum dicentem, quod calidas quidem haberet thermas, ſed ipſe frigido lavaretur, iſta perpetravit.* Verum brevi exinde temporis ſpatio, abdicato Avito, imperium occidentis accepit Maiorianus: Qui, confectis adverſum Vandalos & Genſericum in Africa alijſque maximis in Italia rebus, Gallias adijt Gothoſque pacta pace compeſcit. Ac inde ne otioſus in Gallijs ſubſiſtere videretur, Alanos, cum infirmioribus tum opibus tum præſidijs, quam aut Burgundiones aut Franci eſſent, è Gallijs quamprimum, propulſare aggreditur. Eaque dum geruntur Childericus Francorum Rex, vir bello & ſago clarus, ſed in togâ & pacis artibus haud pari laude agens, ob intoleranda tributa & libidines adulteriaque Francis ſuis inviſus & ab omnibus, ac præſertim proce-

ribus;

ribus, deſtitutus, regno exceſſit. Addit Gregorius Turonenſis,eum,cum etiam vitæ ſuæ inſidias ſtrui animadverteret ad Thoringos (modò recta ſit librorum lectio) abijſſe, relicto inter Francos & apud exercitum Vindomalo, homine fido, & qui, mitigatis popularium animis, viam aliquando ad reditum munire hero ſuo poſſit. Dederat enim occulta mandata eidem Vindomalo acerrimi ingenij viro. Præter cetera, aureo quodam nummo, duas in partes diſſecto, alteram eius particulam ſibi, Vindomalo relinquit alteram; eum nimirum in finem, ut nulli nuncio fides haberetur, niſi qui nummi partem deferret: id pignus documentumque, ne adverſæ factionis artibus aut fraude caperetur, futurum. Childericus igitur ubi jam regno exceſſiſſet, Franci, civem Romanum Ægidium; quem præfectum ab Avito circa Ligerim conſtitutum modo dixi; regem ſalutant. Octo is annos Francis imperitat, recepto in amicorum cohortem Vindomalo ob famam ſolertiæ aſſiduitatemque. Eoque temporis intervallo eorum qui præcipuè Childerico infeſti fuiſſent, alij fato obiere: aliorum iræ reſedêre; alios Romani externique imperij tædere cæpit; alios fictis criminibus falſiſque ſuſpicionibus apud Ægidium largiter potens Vindomalus inſectatus, cum tollendos curaſſet ac paucos ſupereſſe videret, mittit continuo cum parte nummi, qui iſtorum Childericum certiorem redderet. Qui confeſtim à maxima ſuorum parte ſecundiſſimis animis receptus congreſſum Ægidium fundit fugatque. Hæc in annum 469. reijciunt, ut plu- 469

Vv 3 rimum,

rimum, Chronologi; ſeptemque poſt id annis, anno
478. videlicet 478. bellum illud adverſus Odoacrum & ſuſceptum fuiſſe ab eodem Childerico memoratur geſtumque feliciter adeò, ut opes Francorum in Gallijs auctiores tum indies redditæ finitimis terrori eſſe cæperint. Turonenſis inſuper, & ex eo Aimonius alijque, hoc etiam adijciunt, quod, cum jam regno & rebus reſtitutus eſſet, Baſinam Regis Thoringorum uxorem in coniugem acceperit, niſi & ibi & ante, ubi ad Thoringos fugiſſe memoratur vitium eſſe ex nominum *Thoringorum* & *Tongrorum* confuſione exortum ſuſpicari lubeat, & *Tongrorum* exaratum aut exarandum potius; quemadmodum & ſupra, ubi ſimiliter *Dyſpergum in terminis Thoringorum* ab eodem Gregorio Turonenſi alijſque ponebatur, cum tamen manifeſto eo loci *Tungrorum* genuina germanaque fuerit lectio, ut ante oſtenſum eſt. Et ſane, ut nobis quidem videtur, nonne ſimilius vero ſit, in proximis unde & ortus & digreſſus eſſet Tongris, ſive cis ſive ultra Rhenum delituiſſe apud aliquem Francicorum regulorum, cuiuſmodi tunc haud unus fuit, ut infra patebit, Childericum: quò in omnem etiam eventum propior præſtoque eſſet, quàm in Thoringis tam longè diſſitis, quoſque inter & Francos, Alemani aliæque gentes Francorum ſucceſſibus infenſiſſimæ, tunc etiamnum intermediæ colerent? Quibus accedit, quod & Germani, & præſertim illi ex adverſo & infra Coloniam Agrippinam occidui, peculiari Tongrorum vocabulo appellati antiquitus exiſtimantur, ut Tacitus innuit; Quodque id ipſum vocabuli poſteriores exinde ſcriptores ſæpiſſime, & ut plurimum, in ore habuerint. Sane primos

mos fuiſſe Tungros, qui Rhenum tranſgreſſi Gallos expulerint Germanicique nominis auſpicium fecerint; Tacitus videtur innuere. Quamvis Cæſar ne nominet quidem, mirantibus id præcipuè nec cauſam comminiſcentibus criticis, cum *Eburones, Condruſios, Pæmanos* ceteroſque illa Belgij parte uno nomine Germanos, non ut Tacitus, nunc Tungros, nunc Germanos ſcribat appellatos. Operæ eſt hoc loco non omitti verba Huberti Leodij ex libello de Tungris & Eburonibus, ubi inquit: Tungerſee *eſt in Francis orientalibus, qui olim è regione Coloniæ Aggrippinæ habitarunt ultra Rhenum; deinde cum Tungris eas terras, quas nunc tenent circa Herbipolim occuparunt & Tungerſee/id eſt, lacus Tungrorum incoluerunt.* Verum nos in medio nunc talibus relictis, eò unde defluxit, orationem & ſtilum referimus. Baſina itaque regia illa coniux poſthabito lare & proprijs ditionibus Childerico ſua ſponte nuptias obtulit. Nec ſprevit conditionem Childericus, ductaque nobiliſſima coniuge Clodoveum ex eadem genuit. Superfuiſſe parenti *Meroveo* triginta annis partim in exilio, partim in regno, ſunt qui memorant. Nos pro incertis illa relinquenda potius iudicavimus. Interim ab initio Merovei, quod & ante notatum, ad initium *Clodovei* anni ſunt XXXI. Quod ſi XXIV Hilderico attribuantur, ut cẽſet Aimonius, ergo VII annos tantum regnaverit Meroveus. Nomen *Childerici* non uno modo ſcribitur. Quapropter & nos modo *Hildericus*, modo *Childericus* exaravimus; quamvis prius genio linguæ Germanicæ exiſtimamus convenientius.

CAP. III.

CAP. III.

REX FRANCORVM CLODOVEVS EIVSQVE res adverſus Syagrium Romanorum in Gallijs præſidem, Zenone Orientis, Auguſtulo Occidentis imperatoribus Augg.

QVi exinde Clodoveus poſt obitum parentis regno Francorum ſuccedēs in tantum mox bello paceque effloruit, ut nequaquam Galliæ finibus eius ſe virtus continuerit, ſed univerſam pæne, qua patet, Europam peragrarit. Et quinto quidem imperij anno præcipue ad dignitatem ſuam pertinere arbitratus eſt regnum à maioribus in Gallijs partum novis pomerijs augere, inque longum & latum, quantum in ſe eſſet, extendere atque amplificare. Quapropter primos omnium impetendos Romanos ſibi duxit: ijs enim ſubmotis, haud magni fore momenti putavit Gothos, Burgundiones ceteroſque, qui Gallias fruſtulatim invaſerant tenebantque, ſuis ditionibus ſubmovere: præſertim Charарico & Ragnachario propinquis ſuis, Francorū regulis, ad belli ſocietatem allectis. Quibus continuo & ad nutum paratis, adverſus Syagrium Ægidij filium Romano in oppido Sueſſione (*Soiſſon* hodie appellant) ſedentem movit, & campo adconferendas manus deſtinato, prælio laceſſivit. Syagrius haud quaquam, tanta licet in ſe ruente mole, perterritus ultro cum ſuis

in aciem prodijt, collatiſque ſignis, fortiſſimè dimicavit. Ad extremum cum impetum Clodovei ſuſtinere non poſſet in fugam actus Tholoſam ad Alaricum Gothorum regem, qui paulo ante Eurico fratri ſucceſſerat, ut ab eo ſervaretur, ſe contulit. Quo cognito, Clodoveus integræ victoriæ cupidus, legatis propere miſſis, Alarico denunciavit, ſibi Syagrium traderet, nî pareret, arma illaturum oſtendit. Alaricus armati regis bilem veritus, Syagrium dedidit: deditumque atque in poteſtatem acceptum Clodoveus confeſtim ſecuri ſubiecit. Atque inde Sueſſione ceteriſque oppidis in fidem acceptis, regni limitem ad Ligerim uſque prolatavit. Eo in bello, inter auxiliares, Chararicus prælij eventum expectans dubium ſe in acie geſſiſſe memoratur. Atque hic quidem Romanorum in Gallijs imperij finis fuit. Incidit hoc tempus in annum 488. quo etiam obijſſe *Sidonium Appollinarem* Chronologi nonnulli putant. Quamvis Scaliger ad annum 480. vel 482. alterum ſcilicet annum Clodovei, referat, ut poſtea, addito eius computu, demonſtrabimus. Epitaphium ſummi huius viri, Auguſtonemeti Arvernorum Epiſcopi, deſcriptum è ſchedio veteri Cluniacenſi communicaverat olim Ioſepho Scaligero P. Pithæus. Ego hoc loco apponendum cenſui, cum ob memoriam tanti viri, tum quia hæc quoque notatio pertineat ad ſeriem ac rationem temporum imperij Francorum: 482.

C. SOLLII APOLLINARIS MODESTI SIDONII.

Sanctus contiguus, ſacroque patri,
Vivit hic meritis Apollinaris,
Inluſtris titulis, potens honore,
Rector militiæ, foríque iudex,
Mundi inter tumidas quietus undas:
Cauſarum moderans ſubinde motus
Leges barbarico dedit furori.
Diſcordandibus inter arma regnis.
Pacem conſilio reduxit amplo.
Hæc inter tamen & philoſophando
Scripſit perpetuis habenda ſeclis.
Et poſt talia damna gratiarum
Summi pontificis ſedens cathedram,
Mundanos ſoboli refundit actus.
Quiſque hic, dum lacrimis Deum rogabis,
Dextrum funde preces ſuper ſepulchrum.
Nulli incognitus, & legendus Orbi:
Illic Sidonius tibi invocetur.

Francis itaque tam latè in Gallijs rerum potientibus, paſſim rumor increbuit, pleroſque omnes eorum imperium exoptare. Vnde & Aprunculus Lingonicæ civitatis Epiſcopus, tanquam Francis deditus, apud Burgundiones cæpit haberi ſuſpectus; adeo ut gliſcente indies Burgundionum in eum irâ & odio clanculumè medio tollendum cenſuerint; ſed ille, re percepta, ex urbe Divionenſi noctu dimiſſus Arver-

aum

num incolumis pervenit; Sidoniique ſucceſſor datus eſt.

---

1. BELLVM THVRINGICVM ET *nuptiæ Clodovei cum Clothilde.*

Clodoveus, confecto Siagrij bello, anno regni, ut habet Turonenſis, decimo, arma Thuringis intulit, prælioque victos imperata facere coegit. Et mox Chilperici quondam regis Burgundionum filiam matrimonio ſibi copulavit. Gundericus enim rex filios quatuor reliquerat, Gundebadum, Gundegiſelũ, Chilpericum & Godomarum. Gundebadus autem Chilpericum fratrem ferro necari juſſerat, uxore eius in flumen præcipitata. Cum autem legati Clodovei ſæpius in Burgundiam commearent, reverſi domum regi nunciarunt, regia in aula virginem ſe vidiſſe formæ ac prudentiæ ſingularis. Quorum ille verbis fidẽ habens puellam (hæc autem erat Clothildis Chilperici à fratre uacati filia) à Gundobado in matrimonium poſtulavit, conceſſamque ſibi connubio ſociavit. Quæ poſtea mulier inſignis ac ſummæ virtutis evaſit, ad ſingularem ſapientiam egregia quoque Chriſtianæ atque orthodoxæ religionis laude adiuncta. Nec multò poſt Theodoricus Gothorũ & Italiæ Rex Clodovei ſororem Andalfledam, Iornandes filiam vocat, ſibi deſpondit. Sicque potentiſſimæ gentes affinitate inter ſe unitæ ac fæderatæ ſunt.

2. BELLVM ALEMANICVM. ET A *Paganiſmo ad Chriſtum Clodovei converſio.*

Coniugium Clothildis cum Clodoveo ſubſecutum eſt ſtatim bellum Alemanicum ipſiuſque Clodovei à paganiſmo adChriſtianiſmũ converſio. Nã Rex arma Alemanis trans Rhenum agentibus illaturus lectiſſimum ſuorum robur coegit. Quo intellecto Alemani haud minus inſtructi adverſario ſe, Rheno jã ante trãſmiſſo, circa ripas eiuſdem fluminis obiecere: cæptoq; ad Tolbiacum oppidum (*Zulpich* nunc dicitur) haud tralatitio prælio, acriter utrimq; pugnatum eſt: à Francis, ne avitam belli gloriam; ab Alemanis, ne patriam libertatem amitterent. Cum autem flagrante certamine ac multis utrimque cadentibus, Clodoveus inclinari aciem ſuam cerneret, neque eius ſuſtinendæ ulla humanitus ratio appareret, tum, oculis in cælum ſublatis, *Chriſte*, inquit, *bellorum potens, polliceor me ſacra tua, quæ adhuc reſpui, cum populo meo ſuſcepturum, tibique ex animo ſupplicaturum, tuo ſi beneficio victoriam de hoſtibus reportavero.* Qua orariuncula ad Deum habita, confeſtim Alemani, quaſi fulmine icti, Francis terga dare, victoriaque, quam in manibus propemodum habebant, remittere ac verſoriam capere deprehenſa ità, ut, rege eorum in acie interempto, pacem à Clodoveo ſupplices petere coacti fuerint. Sigebertus Coloniæ Agrippinenſis regulus, genere Francus & Clodoveo auxiliaris, eodem in prælio vulnus pedi.

pedi inflictum accepit, ex quo poſtea claudicarit. Interfuiſſe conflictui & alios principes viros, interque ceteros Boiorum regem *Adalogerionem*, eumque interijſſe in acie ſunt qui * memorant; quamvis alij, inter quos *Marcus Velſerus* Rerum Boiocarum lib. 2. ad annum CCCCIC, id neutiquam concedant; quòd eam pugnam ulla ex parte Boios attigiſſe ex veteribus nemo prodiderit. Theodoricus Gothus Italiæ rex, nuncio cladis Alemanicæ accepto, Clodoveum huiuſmodi literis gratulabundus compellat, monens ſimul ut victoriæ moderaretur, *Gratulamur*, inquit, *quod gentem Francorum priſca ætate reſidem feliciter in nova prælia concitaſtis, & Alemanicos populos victrici dextra ſubdidiſtis. Sed quoniam ſemper in auctoribus perfidiæ reſecabilis videtur exceſſus, motus veſtros in feſſas reliquias temperate. Quia iure gratiæ merentur evadere quos ad parentum veſtrorum defenſionem reſpicitis confugiſſe. Memorabilis triumphus eſt Alemanum acerrimum ſic expaviſſe, ut tibi eum cogas de vita munere ſupplicare. Sufficiat, illum regem cum gentis ſuæ ſuperbia concidiſſe, ſufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim ſervitute ſubiugatam. Illa mihi bella feliciter evenerunt, quæ moderato fine peracta ſunt.* Ad extremum addit: *Quædam quæ ad nos pro veſtris utilitatibus pervenerunt per harum portitores verbo vobis inſinuanda commiſimus, ut cautiores effecti optata poſſitis victoria conſtanter expleri. Veſtra ſiquidem ſalus noſtra gloria eſt, &c.* Clodoveus itaque, confecto feliciter bello, ac victoriæ ſuæ modo impoſito, domum redijt. Ibi verò quoniam ab uxore Clothilde ſæpius ad religionem Chriſtianam aſciſcendam rogatus eius voluntati ſem-

* Lipſ. Præf. in Poliorcet.

per abnuerat, rem, ut erat acta, expoſuit, ac novis eius precibus expugnatus, baptiſmi accipiendi conſilium expedijt. Quod quibus ceremonijs quātaq; pompa ab Epiſcopo *Remigio* peractum ſit, Gregorium Turonenſem & Aimonium, quibus iſta penitus cognoſcere curæ eſt, adeundos ſuadeo. Ab eo autem die Francorum gens tanto ardore tantaque ſemper Conſtantia Chriſti fidem coluit, ut nulla unquam aut Gothorum aut Arianæ hæreſeos labe inquinari ſe permiſerit. Quin & Galliæ exinde Reges, hoc aſpectu & huius meriti ergo, CHRISTIANISSIMI titulo ſeorſum ac ſolemniter inſigniri atque exornari perpetuo meruêre.

Remigij autem, Remenſis Archiepiſcopi, à quo baptiſmatis lavacro tinctum Clodoveum retulimus, quique laudum ſuarum præconem egregium Sidonium Apollinarem habet Epiſt. 7. lib. 9. elegans exſtat teſtamentum: Quod cum ad res, de quo agimus, Clodovei & hæc præcipue tempora ſpectet, religio mihi fuit illud ſilentio prætermittere. Cuiuſmodi itaque apud Barnab. Briſſonium lib. 7. Formul. inveni, hîc totum adſcribam:

IN NOMINE PATRIS, ET FILII ET SPIRITVS SANCTI, GLORIA DEO, AMEN.

EGO REMIGIVS EPICOPVS CIVITATIS REMORVM, SACERDOTII COMPOS, TESTAMENTVM MEVM CONDIDI IVRE PRÆTORIO, ATQVE ID CODICILLORVM VICE VALERE PRÆCEPI, SI IVRIS ALIQVID VIDEBITVR DEFVISSE. QVANDOQVE EGO REMEGIVS EPISCOPVS DE HAC LVCE TRANSIERO,

SIERO, TV MIHI HERES ESTO SANCTA ET VENERABILIS ECCLESIA CATHOLICA VRBIS REMORVM.

Et tu fili fratris mei Lupe Epiſcope, quem præcipuo ſemper amore delexi: Et tu nepos meus Agricola Presbyter, qui mihi obſequio tuo a puiritia placuiſti, in omni ſubſtantia mea, quæ mea ſorte obuenit antequam moriar: præter id quod unicuiq́ donavero, legavero, darive iuſſero, vel unumquemq́ veſtrum voluero habere præcipuũ. Tu ſancta heres mea Remenſis Eccleſia, colonos quos in Pontenſi habeo territorio, vel de paterna, maternaque ſubſtantia, vel quos cum fratre meo ſanctæ memoriæ Principio Epiſcopo commutavi, vel donatos habeo, poſſidebis. Dagaredũ, Profuturum, Prudentium, Tennaicum, Maurilionem, Baudoleiſum, Provinciolum, Naviatenam, Lautam, Suffroniam, Colonos, Amorinum quoque ſervum tuo dominio vindicabis. Nec non villas, agroſque quos poſſideo in ſolo Portenſi, Tudiniacum ſcilicet, & Balatonium, ſive Plerinacum, & Vacculiacum, vel quæcunque in eodem ſolo Portenſi qualibet auctoritate poſſedi, integre cum omnibus campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ad te Teſtamenti huius auctoritate revocabis. Simili modo ſanctiſſima heres mea, quæcumque tibi à propinquis & amicis meis, in quocumquo ſolo & territorio collata ſunt, ſicuti diſpoſuero in Ptochijs, cœnobijs, martyrijs, Diaconijs, Xenodochijs, omnibuſq́ Matriculis ſub tua ditione degentibus, ordinationem meã futuri ſucceſſores mei, ordinis ſui memores, ſicut ego prædeceſſorum meorum, ita quoq́ inconvulſe, & abſq́ ulla refragatione ſervabunt. Ex quibus Celtus, quem per manum meam Celſa ſobrina mea tradidit, & Huldriciaca villa, quam Huldericus Comes, & loco ubi oſſa mea ſancti fratres & Coëpiſcopi diœceſeos tuæ ponenda elegerint, integumentis deſerviant. Sitque locus ille ſucceſſoribus

meis

meis Remorum Epiſcopus peculialiter proprius, & in alimoniis ibidem Deo militantium, vicus ex proprio, in Portenſi, & Villanis quoque ex Epiſcopio in Remenſi, deſerviant. Blandibacius villa in Portenſi, quam à cohæredibus meis benedicto & Hilario, datis pretiis emi de theſauro Eccleſiæ, & Albiniacus ex Epiſcopio, in alimoniis Clericorum Remenſis Eccleſiæ communiter deputentur. Quibus etiam Berna ex Epiſcopio, quæ prædeceſſoribus meis peculiaris eſſe ſolebat, cũ duabus villis, quas Ludovicus *a me ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus, amore nominis mei,*

*Biſcofeſheim.

** Piſcofesheim ſua lingua vocatis, mihi tradidit, ſive cum Coslo & Gleni, vel omnibus ſilvis, pratis, paſcuis, quæcumq; in Voſago infra, circum & extra, tam ultra, quam citra Renum pretio dato comparavi, picem annuatim miniſtret, cunctiſque locis regularibus tam à me, quam anteceſſoribus meis ordinatis, ſive in futuro ab Epiſcopis ſucceſſoribus meis ordinandis, pro neceſſitate locorum ad vaſcula vinaria componenda annuatum diſtribuat. Cruſciniacum vero & Faram ſive villas, quas ſanctiſſima virgo Chriſti Genovefa, à Rege Chriſtianiſſimo* Ludovico, *pro cõpendio itineris ſui, cũ Remenſem Eccleſiã ſæpiſſime viſitare ſoleret, adipiſci promeruit, alimoniiſque ibidem Deo famulantium deputavit, ſicut ab ea ordinatum eſt, ita confirmo, ut Cruſciniacus futuri Epiſcopi ſucceſſoris mei obſequiis, & ſartatectis principalis Eccleſiæ deputetur. Faram vero eidem Epiſcopo, & ſartis tectis Eccleſiæ ubi iacuero, perpetualiter ſervire iubeo. Sparnacus villa, quam datis quinque mill. libris argenti ab Eulogio comparavi, tua (ſanctiſſima heres mea) non extraneorum heredum meorum eſſe cernitur: eo quod cum criminis accuſatione regiæ maieſtatis idem teneretur obnoxius, & ſe minime purgare poſſet, non ſolum ne occideretur, dato tam dicto pretio de theſauris tuis, ſed ne pecunia eius publicaretur, una tecum obtinui. Et ideo ut præfata Sparnacus perpetualiter tibi ad reſtituendum theſaurum*

ſtipen-

ſtipendÿſque tui Pontificis deſerviat, liberali ſanctione firmavi. Duodeciacus vero ſicut a Hlodouvaldo nobliſſimæ indolis puero confirmatum eſt, tibi heres mea perpetuo famuletur. Villas quas mihi Dominus, illuſtriſq́; memoriæ Hludovicus *Rex, quē de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, cum adhuc Paganus Deū ignoraret, ad proprium tradidit, locis pauperibus deputavi, ne forte, cum eſſet infidelis, cupidū terrenarū rerum me arbitrari poſſet, & nō potius ſuæ ſalutem animæ, quā exteriora ab ipſo bona requirere. Quod admiratus, intercedere me pro quibuſcumq́; neceſſitatem patientibus, & fidelis, & ante fidem, benigne, liberaliterque conceſſit. Et quia ex omnibus Epiſcopis Galliarum, pro fide & cōvocatione Francorum potiſſimum me laborare cognovit, dedit mihi Deus tantam gratiam in conſpectu eius, virtuſque divina quæ per ſpiritum Sanctum me peccatorē plurima ſigna ad ſalutē præfatæ gentis Francorum operari fecit, ut non ſolum ablata omnibus Eccleſiis regni Francorum reſtitueret, ſed etiam de proprio gratuita bonitate, plurimas ditaret Eccleſias. Neq́; prius de regno eius, quantum paſſus eſt pedis Eccleſiæ Remorum iungere volui, donec ut hoc omnibus Eccleſiis adimpleret, obtinui. Sed neque poſt eius Baptiſmum, niſi Codiciacum & Iuliacum, ſuper quibus iam dictus puer ſanctiſſ. & unanimis mihi Hlodouvaldus & incolæ loci illius multiplicibus xenÿs gravati obnixe deprecātes, quod Regi debebant, Eccleſiæ meæ ſolvendum, me petere conpulerunt. Quod idem pÿſſimus Rex & gratanter accipiens promptiſſima voluntate largitus eſt: uſibuſque tuis (ſanctiſſima heres mea) iuxta eiuſdē pÿſſimi datoris præceptū, Epiſcopali auctoritate firmavi. Res etiam quas ſæpe dictus Rex, pÿſſimuſque Princeps tibi in Septimania & Aquitania conceſſit, & eas quas in Provincia Benedictus quidam (cuius filiam mihi ab Alarico miſſam gratia S. Spiritus, per impoſitionem manus meæ peccatricis, non ſolum à diabolicæ fraudis vinculo, ſed ab inferis revocavit)*

ad uſum luminis tui, & loci ubi corpus meum iacuerit, continuatim deſervire præcipio, villaſque in Auſtria, ſive Torıngia. Futuro Epiſcopo ſucceſſori meo amphibalum album paſchalem relinquo: Stragula columbina duo, vela tria, quæ ſunt ad oſtia, diebus feſtis, triclinij, cellæ, & culinæ. Vas argenteum triginta, & aliud decem & octo librarum inter te heres mea, & Diœceſim tuam Eccleſiam Laudunenſem, factis patinis atque calicibus ad miniſterium ſacroſanctum prout volui, Deo annuente, diſtribui. Aliud argenteum vas decem librarum, quod mihi ſæpe nominatus Dominus illuſtriſque memoriæ Hludovicus *Rex quem (ut prædixi) de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, donare dignatus eſt, ut de eo facerem quod ipſe voluiſſem, tibi heredi meæ Eccleſiæ ſupra memoratæ iubeo thuribulum, & imaginatum calicem fabricari: & Epigrammata quæ Lauduni in argenteo ipſe dictavi, in hoc quoque conſcribi volo. Quod faciam per me, ſi habuero ſpatium vitæ. Sin ante clauſero ultimum diem, tu fili fratris mei Lupe Epiſcope, ſpecies antedictas tui ordinis memor efficias. Compresbyteris meis & Diaconibus, qui ſunt Remis, vigintiquinque ſolidos æqualiter dividendos in commune dimitto. Vitis plantam ſuper vineam meam ad ſuburbanum poſitam, ſimili modo communiter poſſidebunt cum Melanio vinitore, quem do in loco Eccleſiaſtici hominis Albouichi, ut Albouichus libertate pleniſſima perfruatur. Subdiaconibus ſolidos duodecim. Lectoribus, Hoſtiarijs, & iunıoribus ſolidos octo iubeo dari. Pauperib. duodecim in matricula poſitis, ante fores Eccleſiæ expectantibus ſtipem, duo ſolidi, unde ſe reficiant, inferentur: quibus Corcellum villam dudum deſervire præcepi. Alijs pauperibus tribus, ubi fratres quotidie pedes lavare debet, quibus etiam Balatoſorum (quod Xenodochion) ad hoc miniſterium ſtatui ſolidus unus dabitur. Viduis quadraginta in porticu Eccleſiæ alimoniam præſtolantibus, quibus de decimis villarum*

Col-

Colmiſciaco, Teſsiaco, Nova-villa ſtipendia miniſtrabantur, ſuperaddo de villa Huldriciaca ſuperius memorata, eis in perpetuum ſtipendia inferre, & tres ſolidos, & denarios quatuor dari iubeo. Eccleſiæ S. Martini ad portam Collatitiam, ſolidos duos. Eccleſia S. Hilarij ad portam Martis, ſolidos duos. Eccleſia Sanctorum Criſpini & Criſpiniani ad portam Trevericam, ſolidos duos. Eccleſiæ S. Petri infra urbem, quæ Curtis Dominica dicitur, ſolidos duos. Eccleſiæ, quam in honore omnium Martyrum, ſupra ſcriptam Remorum ædificavi, cum per auxilium virtutis Dei ab igne dæmonis pene iam totam urbem concrematam eripui, ſolidos duos. Eccleſiæ, quam pro eodem ſigno virtutis Dei in honore S. Martini & omnium Confeſſorum infra urbem ædificavi, ſolidos duos Diaconiæ infra urbem, quæ dicitur ad Apoſtolos, ſolidos duos. Titulo S. Mauricij in via Cæſarea, ſolidos duos. Eccleſia Ioviniana tituli beati Agricolæ, ubi ipſe vir Chriſtianiſsimus Iovinus & S. Martyr Nicaſius cum plurimis ſocietatis ſuæ Chriſti martyribus requieſcunt, ubi etiam quinque Confeſſores proximi anteceſſores domini Nicaſij, cum ſanctiſsima virgine & martyre Eutropia conditi ſunt, ſolidos tres. Eidem quoque Eccleſiæ proprium quod fuerat Iovini in ſolo Sueſſionico, cum Eccleſia beati Michaelis rebus ſuperioribus addidi Eccleſiæ ſanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris, ubi etiam domino dante, ſi fratribus & filijs meis Epiſcopis diœceſeos noſtræ viſum fuerit, oſſa mea ponere diſpoſui, ſolidos quatuor Eccleſiæ S. Sixti, ubi cum tribus ſucceſſoribus ſuis requieſcit, ſolidos tres, cui etiam de proprio meo Plebeias ſupra Matronam adiunxi. Eccleſiæ S. Martini in eodem ſolo ſanctæ Remenſis Eccleſiæ poſitæ ſolidos duos. Eccleſiæ S. Chriſtofori, ſolidos duos. Eccleſiæ S. Germani, quam ipſe in ſolo Remenſi ædificavi, ſolidos duos. Eccleſiæ ſanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani in præfatæ matris ſolo poſitæ. ſolidos duos. Matricu-

læ ſanctæ Mariæ, quæ dicitur Xenodochion, ubi duodecim pauperes ſtipem expectant, ſolidus dabitur. Quam denique matriculam loco ubicumque fratribus meis & filijs oſſa mea ponere placuerit, perſeverare præcipio: ut diu noctuque pro peccatis atque criminibus meis Dominum deprecentur, de proprio hereditatis meæ iure, rebus quas Anteceſſores mei in eorum ſtipendijs Domino dederunt, ſuperaddo etiam villam Sladronam, & villam S. Stephani, & quidquid in villa Herimundi mihi per ſucceſſionem evenit. Quod vero pretio ibidem comparavi, Eccleſiæ S. Quintini Martyris iamdiu delegavi. De iam dicto Vacculiaco Frunimium, Dagaleiſum, Dagaredũ, Ductionẽ, Baudouvicum, Vdulfum, Vinoſciſam, liberos eſſe præcipio, Tennaredus qui de ingenua naſcitur matre, ſtatu libertatis utatur. Tu vero fili fratris mei Lupe Epiſcope, tuo dominio vindicabis Niſaſtem, & Matrem ſuam Nuicam. Vineam quoque, quam Enias vinitor colit, Eniam & Monulfum eius filium iuniorem, iubeo libertate perfungi. Mellovicum porcarium, & Paſchaſidem coniugem ſuam, Vernivianum cum filijs ſuis, excepto Vvidragaſio, cui tribui libertatem, tuo iuri deputabis. Servum meum de Ceſurnico, tuum eſſe præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus Principius Epiſcopus tenuit, cum ſilvis, pratis, paſcuis, revocabis. Servum meum quem Mellovicus tenuit Viteredum, tibi derelinquo. Teneurſolum, Capalinum, & uxorem ſuam Theodoroſenam, tuo iuri dominioque tranſcribo. Teudonima quoque ex mea præceptione ſit libera. Edoneiſam, quæ homini tuo ſociata fuit, & eius cognationem retinebis. Vxorem Aregildi, & cognationem ſuam ingenuos eſſe iubeo. Partem meam de prato quod Lauduni iuxta vos habeo, ad imitatem montium poſito, & quæ Iovia ſunt pratella que tenui, ad te revocabis. Labrinacum tibi, ubi oſſa genetricis meæ poſui, cum præfixis terminis deputavi. Tibi au-

tem

tem nepos meus Agricola Presbyter, qui intra domeſticos parietes meos exegiſti pueritiam tuam, trado atque tranſcribo Merumviſtem ſervum, & uxorem ſuam Meratenam, & eorum filium nomine Marcovicum. Eius fratrem Medovicum iubeo eſſe liberum. Amantium & uxorem ſuam tibimet derelinquo. Eorum filiam eſſe præcipio liberam Daſoundam. Alaricum ſervum tuæ deputo portioni, cuius uxorem, quam redemi & manu miſi commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum, & uxorem eius Moram tuo dominio vindicabis. Eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellaricum & uxorem ſuam Placidiam ad tuum dominium revocabis. Medaridus eorum filius ſit libertus. Vineam quam Mellaricus Lauduni facit tibi dono: Brittobaudem ſervum meum, nec non etiam Giberricum: Vineam quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, ut diebus feſtis, & omnibus diebus Dominicis, ſacris altaribus mea inde offeratur oblatio: atque annua convivia Remenſibus Presbyteris & Diaconibus præbeantur. Delegoque nepoti meo Prætextato Moderato Tottionem, Marcovicum, Innocentium ſervum, quem accepi a Profuturo originario meo, Coclearia quatuor de maioribus, acetabulum, Lacernam quam mihi Tribunus Friaredus dedit, & argenteam Cambutam figuratam filiolo illius Parovio. Acetabulum & tria coclearia & caſulã cuius fimbrias cõmutavi. Remigiæ Coclearis tria, quæ meo ſunt nomine titulata: mantile ipſius quod habeo feriale tranſcribo. Hichinaculum quoque dono illi, de quo Gondebodo dixi. Delegoq́; benedictæ filiæ meæ Hilariæ Diaconæ ancillã nomine Nocã, & vitiũ pedaturã, quæ ſuæ iungitur vineæ, quã Catuſio facit, dono, & partẽ meã de Talpuſciaco transſcribo pro obſequijs, quæ mihi indeſinenter impendit. Aetio nepoti meo partẽ de Ceſurnico, quæ mihi ſorte diviſionis obuenit, cum omni iure quod tenui & poſſedi: Ambroſium quoque puerum ad ius illius,

dominiumque tranſmitto. Vitalem colonum, liberum eſſe iubeo, & familiam ſuam ad nepotem meum Agathimerum pertinere: cui vineam dono, quam poſui Vindoniſſæ, & meo labore conſtitui, ſub ea condicione, ut à patribus ſuis omnibus diebus feſtis ac Dominicis, pro commemoratione mea, ſacris altaribus offeratur oblatio: & Laudunenſibus Presbyteris atque Diaconibus annua convivia præbeantur. Dono Eccleſiæ Laudunenſi ex villis quas mihi ſanctæ recordationis præfatus Rex Hludovicus *dedit duas, Aniſiacum, ſolidoſque octodecim, quos Presbyteri & Diaconi æquali diviſione inter ſe diſtribuant. Partem meam de Secia ex integro ad ſe revocet Eccleſia Laudunenſis, & Lauſcitam, quam mih chariſſima filia & ſoror mea, virgoque (ut credo) Chriſti ſanctiſſima Genovefa in uſibus pauperum Chriſti tibi dandam ad integrum delegavit. Commendo ſanctitati tuæ (fili fratris mei Lupe Epiſcope) ex præfatis villis, quos libertos eſſe percupio, Cattuſionem, & Aulietenam coniugem ſuam: Nonnionem qui meam vineam facit, Sonnoverſam, quam captivam redemi, bonis parentibus natam, & eius filium Leuberedum, Mellaridum & Mellatenam, Vaſantem, Coeum, Cæſariam, Dagaraſenam, & Baudoroſenam Leonis neptem, & Marcoleiſum filium Totnonis, hos totos (fili fratris mei Lupe Epiſcope) ſacerdotali auctoritate liberos defenſabis. Tibi autem heredi, meæ Eccleſiæ, Flavianum & uxorem ſuam Sparagildem dono. Eorum filiolam parvulam Flavaraſenam, liberam eſſe conſtitui. Fedamiam uxorem Melani, & eorum parvulam Remenſes presbyteri & diaconi poſſidebunt. Ciſpiciolum colonum liberum eſſe præcipio, & eius familiam ad nepotem meũ Aetium pertinere: ad utrumque, id eſt, ad Aetium & Agathimerum pervenire coloniam Paſſiacum. Pronepti meæ Prætextatæ dono Modereſenam. Profuturo Leudocharium puerum trado. Profuturæ dari iubeo Leudoneram. Laudunenſibus Subdiaconibus,*

nibus, Lectoribus, Oſtiariјs, & Iunioribus quatuor ſolidos derelinquo. Pauperibus in matricula poſitis ſolidus dabitur ad eorum refectionem. Delegoque ex dato præfati Principis, Salvonarias ſupra Moram: & decem ſolidos Eccleſiæ Sueſſionicæ pro commemoratione nominis mei. Nam Sablonarias ſupra Matronam heredibus meis deputavi. Catalaunenſi Eccleſiæ ex dono ſæpe dicti filij mei, Gellonos ſupra Matronam, & decem ſolidos. Eccleſiæ S. Memmij, Faſcinarias ex dono præſcripti Principis, & ſolidos octo. Moſomagenſi, ſolidos quinque. Vongenſi, agrum apud officinam molinarum, quæ ibi eſt conſtituta. Catarigenſi Eccleſiæ, ſolidos quatuor, totidemque Portenſi pro commemoratione mei nominis inferentur. Eccleſiæ Attrebatenſi, cui, Dòmino annuente, Vedaſtum fratrem meum chariſſimum Epiſcopum conſecravi, ex dono iam dicti Principis villas duas in alimonijs Clericorum deputavi, Orcos videlicet, & Sabucetum: quibus etiam pro memoria nominis mei ſolidos viginti dari iubeo. Vrſi Archidiaconi familiaribus uſus obſequijs, dono ei domitextilis caſulam ſubtilem, & aliam pleniorem, duo ſaga delicata, Tapete quod habeo in lecto, & tunicã quam tempore tranſitus mei reliquero meliorem. Heredes mei Lupe Epiſcope, & Agricola Presbyter, porcos meos inter vos æqualiter dividetis. Friaredus, quem ne occideretur, quatuordecim ſolidis comparavi, duos conceſſos habeat. Duodecim det ad Baſilicæ Domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris cameram faciendam. HÆC ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR. CETERI OMNES EXHEREDES ESTOTE SVNTOTE. HVIC AVTEM TESTAMENTO MEO DOLVS MALVS ABEST, ABERITQVE: IN QVO SI QVA LITVRA, VEL CARAXATVRA FVERIT INVENTA, FACTA EST ME PRÆSENTE, DVM A ME RELEGITVR ET EMENDATVR. *Neque ei duo priora Teſtamenta, primum quod*

ante

ante quatuordecim, & alterum quod anteſeptem condidi annos, obſiſtere, obuiare, aut ullatenus nocere poterunt : eo quod quecquid in ipſis continebatur, in præſentia fratrum meorum, hic inſerta, & quæ deerant adiuncta : in ſuper & quæ Dominus mihi largiri in poſtmodum dignatus eſt, ſuperaddita noſcuntur. Sed inconvulſum & incontaminatum præſens hoc condidi teſtamentum, à fratribus meis, ſucceſſoribus videlicet Remorum Epiſcopis, conſervandum. A regibus quoque Francorum, filijs ſcilicet meis chariſſimis, quos per Baptiſmum Ieſu Chriſti dono & gratia Spiritus ſancti cooperante, Domino conſecravi, ubique defenſum atque protectum contra omnia, & in omnibus, inviolabilem perpetuamque ſemper obtineat firmitatem. Et ſi quis in ordine Clericali a Presbytero uſque ad Tonſum contradicere, aut obuiare ei præſumpſerit, & correptus a ſucceſſore meo ſatisfacere neglexerit, convocatis ex vicinioribus locis Remorum diœceſeos tribus Epiſcopis, deponatur a gradu. Si vero (quod non opto, nec cupio, ſed neque ſpero) ſucceſſor quilibet mihi in hac ſede Remorum Epiſcopus, exſecrabili cupiditate ductus, res præfatas, ſicut a me auctore Domino Ieſu Chriſto, ad illius honorem, & eius pauperum conſolationem ordinatæ ſunt, aliorſum diſtrahere, immutare, cõmutare ſeu quolibet obtentu in uſus laicorũ, beneficij gratia dare, aut a quolibet datas, favere, aut conſentire præſumpſerit, convocatis totius diœceſeos Remorum Epiſcopis, Presbyteriſque ac Diaconibus, necnon & ex filijs meis chariſſimis Francis religioſis quam plurimis, reatus ſui pœnam, privatione ſui Epiſcopatus, perſolvat : & nequaquam ultra, recuperationem gradus amiſſi, in hoc ſeculo promerebitur. Quicumque vero ex laico habitu a nobis ſtatuta paruipendens, ſibique favens, quæ pauperibus Eccleſiæ attributa ſunt, abuti, aut uſurpare quolibet obtentu præſumpſerit, pari ſimul perpetuaque damnatione, alienator, peti-

tor.

tor, dator, acceptor, pervaſor, Anathematis vinculo ab Eccleſia catholica ſeiungantur, donec valeant, Deo miſerante, condignæ ſatisfactionis emendatione indulgentiam promereri. Sin autem in hoc perſeverare, cuiuſcumque donationis occaſione, quilibet delegerit, ſpes ei præſentis ac futuræ reſtitutionis a ſucceſſore meo, Remorum ſcilicet Epiſcopo, omnimodis auferatur. Generi tantummodo Regio, quod ad honorem ſanctæ Eccleſiæ, defenſionem pauperum, una cum fratribus meis & coepiſcopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atque Neuſtriæ in regiæ maieſtatis culmen perpetuo regnaturum ſtatuens elegi, baptizavi, a fonte ſacro ſuſcepi, donoque ſeptiformis ſpiritus conſignavi, & per eiuſdem ſacri chriſmatis unctionem ordinato in Regem, parcens, ſtatuo, Vt ſi aliquando genus illud regium per benedictionem meam toties Domino conſecratum, mala pro bonis reddens, Eccleſiarum Dei pervaſor, deſtructor, depopulator gravis aut contrarius exiſtere voluerit, convocatis Remorum diœceſeos Epiſcopis, primum moneatur: deinde urbs præfata adiuncta ſibi ſorore Eccleſia Treverenſi, iterum conveniatur. Tertio vero, Archepiſcopis tantummodo Galliarum tribus aut quatuor convocatis, Princeps ille, quicumque fuerit, moneatur: ita ut ad ſeptimam monitionẽ, ſi prius ſatisfacere renuerit, paternæ pietatis longanimitate differatur. Tandemque ſi poſt poſitis omnibus præfatis benedictionibus, incorrigibilis contumaciæ ſpiritũ non depoſuerit, & ſe per omnia Deo ſubdi nolens, benedictionibus Eccleſiæ participare noluerit, elogiũ ſegregationis a corpore Chriſti, ab omnibus ei porrigatur, quod per Prophetam & Regem David longe ante eodem qui in Epiſcopis eſt, dictante ſancto Spiritu, noſcitur decantatum: Quia perſecutus eſt (inquit) hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde, & non eſt recordatus facere miſericordiam, & dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: Totum-

que

que ei quod in perſona Iudæ traditoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & malignorum Epiſcoporum Eccleſia decantare ſolet, pi ſingulis ei decantetur Eccleſiis. Quia Dominus dixit, Quamdiu feciſtis ex minimis meis, mihi feciſtis: & quamdiu his non feciſtis, nec mihi feciſtis. Et ideo quod probatur in capite, in membris intelligendum eſſe non dubitetur. Vnum tantummodo ibi verbum per interpoſitionem commutetur: Fiant dies eius pauci, & principatum eius accipiat alter. Quod utique ſi ſucceſſores mei Remorum Archiepiſcopi, operari, ſicut a me ordinatum eſt, neglexerint, in ſe quicquid in Principibus reſeruandum fuerat, maledictionibus depravati reperiant: ut fiant dies eorum pauci, & Epiſcopatum eorum accipiat alter. Si vero Dominus meus Ieſus Chriſtus vocem orationis meæ, quam quotidie pro genere illo in conſpectu divinæ maieſtatis ſpecialiter fundo, audire dignatus fuerit, ut ſicut a me accepit, ita in diſpoſitione regni & ordinatione ſanctæ Dei Eccleſiæ perſeveret, benedictionibus quas ſpiritus ſanctus per manum meam peccatricem ſuper caput eius infudit, plurimæ ſuper caput illius per eundem ſpiritum ſanctum ſuperaddantur: & ex ipſo Reges & Imperatores procedant, qui in præſenti & in futuro, iuxta voluntatem Domini ad augmentum ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, virtute eiuſdem, in iudicio & iuſtitia confirmati & corroborati, regnum obtinere atque augere quotidie valeant: & in domo David, hoc eſt, in cælesti Hieruſalem, cum Domino in æternum regnaturi, ſublimari mereantur, Amen. Peractum Remis, die & Conſule ſupradicto, intercedentibus & mediis ſignatoribus. EGO REMIGIVS EPISCOPVS, TESTAMENTVM MEVM RELEGI, SIGNAVI, SVBSCRIPSI: *& in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti (deo adiuvante) complevi. Vedaſtus Epiſcopus, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, & ſubſcripſi.*

ſi. Genebaudus Epiſcopus, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque ſubſcripſi. Medardus Epiſcopus, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque ſubſcripſi. Lupus Epiſcopus, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque atque ſubſcripſi. Benedictus Epiſcopus, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque ſubſcripſi. Eulogius Epiſcopus, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque ſubſcripſi. Agricola Presbyter, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque ſubſcripſi. Theodonius Presbyter, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque ſubſcripſi. Celſinus Presbyter, Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque ſubſcripſi. Papolus interfui atque ſubſcripſi. Eulodius interfui & ſubſcripſi. Euſebius interfui & ſubſcripſi. Ruſticolus interfui & ſignavi. Eutropius interfui & ſignavi. Davveus interfui & ſignavi. poſt conditum Teſtamentum, immo ſignatum, occurrit ſenſibus meis, ut Baſilicæ Dominorum martyrum Timothei & Apollinaris Miſſorium argenteum ſex librarum ibi deputem, ut ex eo ſedes futura meorum oſſium componatur.

3. BELLVM BVRGVNDICVM.

Regnabant adhuc apud Burgundos duo Gunderici regis filij Gundebadus & Godegiſilus, animis inter ſe diſſentientibus. Gundegiſilus qui fratrẽ Gundebadũ metuebat, clam legatos ad Clodoveum miſit ſpondẽs

ſe illi tributum annuum daturum, ſi ſibi adverſus fratrem auxilio eſſet. Quod Clodoveus pro viribus facturum pollicitus ſtatim adverſum Gundebadum exercitum deſtinavit. Gundebadus pactorum prorſus ignarus miſit ad germanum ſuum Gundegiſelum, oratum ut ſibi adverſus Clodoveum in ſe hoſtiliter ruentē adeſſet, & ſecum commune regnum ab hoſtis cōmunis incurſione tutaretur. Gundegiſelus aliud pectore, aliud ore verſans reſponſum quidem ſpecie benignum fratri reddidit; verum ubi exercitus ad oppidum Divionem conveniſſent, Godegiſilus Clodoveo ſibi adiuncto, Gundobadum ſuper Oſcaram amnem invaſit, atque in fugam converſum trepido agmine ſeſe recipere Avenionem coegit & regni parte Clodoveo conceſſa, ipſe Viennam, quæ Rhodano adiacet, proceſſit. Clodoveus vero Gundebadi tergo inſiſtens exercitum Avenionē promovit atque urbem obſidione circumdedit. His rebus Gundebadus in magnam conſiliorū difficultatem adductus Aredium ex fidis amicis miſit ad Clodoueum, qui ſe ei quod è re eſſet conſilium daturum affirmavit; ut nimirum agrorum vaſtationibus urbiſque oppugnatione, quæ magnam eſſet habitura difficultatem, omiſſa, Gundebadum annuo tributo ſibi obnoxium redderet. Quod cum ille probaſſet, Gundebado obligato, deceſſit. Atque ita Gundebadus regnum ſuum recuperavit. Narrat fere in hunc modum Gregorius Turonenſis. * Procopius ait Germanos, Francos intelligens, contra Burgundiones ultro contendiſſe & Regem Theodoricum auxilio advocaſſe; devictiſque Burgundionibus partam cum Theodorico regionem ex pacto diſtribuiſſe. Vtut habet, Gundeba-

*Lib. 1. Bell. Goth.

debadus, viribus ex ſuperiori clade reſumpſis promiſſa Clodoveo tributa perſolvere abnuens exercitum adverſus fratrem Godegiſilum duxit eumque Viennæ incluſum obſidere cæpit.

4. *BELLVM CVM ALARICO.*

Eodem hoc tempore annum circiter, ut nonnulli putant, 506, Alaricus, qui in Gallia Narbonenſi diu cum magna iuſtitiæ laude pacateque Viſegothis præfuerat, Theodoſianum, inter cetera, Codicem, qui hodieque exſtat, in compendium relatum publicari curavit. Hoc eius ocium Clodoveus bello internecino, quod ob ſuperius burgundicum in ſpeciem depoſuerat, intrepide illato, perrupit. Nam ut refert prolixè Aimonius, cum Alaricus Galliarum potiſſimam partem, à Ligeri nimirum ad iuga uſque Pyrenea, teneret, Arianæ hæreſeos, unà cum Burgundionibus, præcipuus fautor, pupugit id haud leviter Clodoveum, veræ religionis aſſertorem ac vindicem acerrimum. Quapropter, miſſa ad Alaricum legatione, de pace ac regni finibus deque exulibus Francorumque hoſtibus haud recipiendis, ferociorem eum deprehendit legatiſque inſultantem. Quod nequaquam ferens Clodoveus pro aſſerenda Catholica fide, tum & iure gentium, quod aſpectu legatorum violatum exiſtimabat, bellum minatur. Sed Theodoricus Oſtrogothorum in Italia Rex animi anxius, quod cum utroque affinitas eſſet: legatos ad utrumque cum literis de concilianda concordia miſit, & primo quidem ad *Alaricum* hunc in modum ſcripſit: *Quamvis fortitudini veſtræ confidentiã*

506.

tribuat parentum noſtrorum innumerabilis multitudo, & Attilam potentem reminiſcimini Viſegothorum viribus inclinatam, tamen quia populorum ferocia corda longa pace molleſcunt, cavete ſubito in aleam mittere, quos conſtat tanto tempore exercitia non habere. Suſtinete donec ad Francorum regem legatos noſtros mittamus, & litem veſtram amicorum iudicia amputent. Inter duos nobis affinitate coniunctos nolumus aliquid tale fieri &c. Deinde ad *Lodoinum* (ſic enim *Clodoveum* appellat) hoc pacto: *Miramur animos veſtros ſic cauſis levibus excitatos, ut cum filio noſtro Alarico rege, duriſſimum velitis ſubire conflictum, ut multi qui vos metuunt, de veſtra cõcertatione lætentur. Ambo eſtis ſummarum gentium reges, ambo ætate florentes. Non leviter regna veſtra quaſſatis, ſi data partibus libertate confligitis. Inpatiens ſenſus eſt, ad primam legationẽ protinus arma movere, à propinquis quod quæritur, electis iudicibus expetatur. Abijcite ferrũ, qui in meum vultis pugnare opprobriũ. Iure patris vobis interminor, & amantis: Ille nos & amicos noſtros patietur adverſos, qui talia monita crediderit eſſe temnenda.* Hæ literæ apud Caſſiodorũ hodieq; leguntur: Verũ Clodoveus ſuperbũ exiſtimavit totius orbis moderatorẽ Oſtrogothum videri, ac paulo ante, eodẽ contendẽte, veniam ſeceſſioni Alemanorum datam & nunc arma Francorũ abſterreri ne in Viſegothos ferrentur. Sprevit itaq; monita Theodorici, tali fere ad eum reſponſione tranſmiſſa: *Non alio animo erga Alaricum ſum, quam te velle æquum eſt, cum domum ſuam ſtatuerit hoſtibus domus meæ eſſe receptaculum. Non ego illi, ſed ipſe mihi bellum indicit. Indictum ne capeſſam geramque? Oro ne mihi author ſis contra atque patrius mos naturaque mea ſuadet.* Qua aliaque cauſæ Alarici Theodoricum magis iunxerunt.

Lib. 3. Var.

Quæ

Quapropter eveſtigio ad Burgundiones & Reges Herulorum ac Turcilingorum, qui in ſubalpinis regnabant, literas deſtinat, inclementes in Clodoveum: Eius aures æquo ac juri clauſas in viribus ac ferro omnia repònere : Communem gentium cauſam agi, ne opes Francorum nimis augeſcerent : futuras exitio reliquis regnis, ſi, everſis Alemanis, etiam Viſegothi tollantur. Omnium reliquorum regum unum concilium corpuſque conſtituendum, ad cuius iudicium Francus evocetur. Singulorum ſalutem, univerſorum prudentia contineri: mittendos undique ad Clodoveum oratores abſterrendi eius ergo. Permotuſque jam Theodorici prenſatione Burgundio, nimia contentione rem inviſam apud Francos egit. Et mox captâ Viennâ, quam obſeſſam à Gundibado ſupra memoratum, captoque ſimul atque occiſo fratre Godegiſalo, promiſſum Clodoveo tributum renuere Gundebadus eſt viſus. Qua multò, quam antea juſtiore cauſa coactus ac ductus in Burgũdiones exercitus ad incitas eundem Gundebadum redegit. Nam ad Oſtrogothos fuga elapſus, prius quam copijs Francorum circumvallaretur euaſerat: nec multo poſt in exilio deceſſit. Hinc omni cura ac conatu in bellum adverſus Viſegothos Clodoveus incumbit. Ac ſtatim traiecto Ligeri, ad oppidum in campis Vogladenſibus obvium Alaricum pari ferocia habuit. Inſtructæque deinde acies decem ab urbe M. P. ſtrenue concurrerunt. Et poſt dubium aliquot horarum prælium, tandem in fugam converſis Gothis, Franci ſuperiores fuerunt. Inter ceteros, quos pugnæ impetu-

perculti

perculit ipſe Alaricus rex cecidit, annis viginti & duobus regno potitus. Nec ipſe Clodoveus primo in agmine rem gerens periculo abfuit. Nam Alaricum conſpicatus memorque minarum ferociumque verborum, gloriæ etiam cupiditate ſtimulante, in eum unum intendit. Quo conſpecto, Viſigothorum duo equites Regis ſui caſu irritati, antequam rex regem conficeret, diverſi haſtas equorumque curſum in latus Clodovei dirigunt. Sed loricæ beneficio, & oportuno Clodorici iuvenum fortiſſimi occurſu incruentus ac ſalvus evaſit. Ex hoc prælio Amalaricus Alarici filius puer in Hiſpaniam, deploratis iam Galliæ rebus, abductus eſt. Gothi Giſelarico (Gaſelico eſt in Procópio) Alarici notho ſublecto, ad regni defenſionem ſe contulerunt. Theodoricus, Clodovei filius, ad urbes Gothicas expugnandas, iuſſu patris profectus, præter ceteras, Tholoſam, regni caput, cum regio theſauro ſuam in poteſtatem abduxit. Inde ad alia oppida circumductus exercitus, Gothis, qui in præſidijs erant, haud minore pertinacia illa tutantibus, quā oppugnantibus Francis. Atque ità Germani, Francorum, ut dixi, vocabulo tum paſſim noti, Gallijs maiorem in partem potiti Carcaſionem urbem, ut addit Procopius, celerrime ſimul obſident, utpote in qua conditas eſſe regias opes acceperant, quas Alaricus quondam ſenior, cum Romam cepiſſet, abſtulerat. In his Salomonis fuiſſe pretioſiſſimam ſupellectilem ac ſpectatu digniſſimam, ut quā ingentis pretij gemmis ornatam ex Hieroſolymis avexiſſent quondam Romani; vulgo ferebatur. Sed Theodoricus Oſtrogothorum rex Carcaſione ex urbe rebus omnibus, quæ ibi Gothorum

Lib. 1. Bel. Goth.

Gothorũ regibus ſervabantur,ſecum avectis,citiſſime Ravennam in Italiã regreſſus eſt.IpſeClodoveus capta Burdegala, ibi hiemavit. in finibus eiuſdẽ Burdegalæ Viſegothi,qui cõflictu Vogledenſi abſuerat,auſi fortunã prælij tentare tanta clade victi ſunt,ut locus,in quo pugnatum fuit, Cãpus Arianus ab indigenis vocitatus nomen exinde ad poſteros tranſmiſerit. Igitur præter Tholoſam &Burdigalã,Cadurci,Rutheni ſe ſtatim dedidêre. Arverni,amiſſo in aciê Apollinari duce, Sidonij Avernorũ epiſcopi cõſanguineo, poſtremi omniũ ſe Clodoveo tradidêre. Mox Turonos regreſſus multa Baſilicæ S.Martini donaria intulit. Dumq; ibi ſtativa agũtur,Græca legatio advenit.Anaſtaſius enim imperator,cognitis rebus à Clodoveo præclare geſtis,virtutẽ tanti herois admiratus eximia ad eum dona & codicillos de cõſulatu ex ipſa,ubi bellum curabat,Meſopotamia tranſmiſit. Quibus acceptis, Clodoveus filium Theodoricum accerſiri ac Francis ſolemne indici imperavit. Qui ubi frequentes cõveniſſent in Baſilica S. Martini,ſemet muneribus Auguſtalibus,tunica trabeata. Chlamyde & corona aurea gemmis prætioſis diſtincta ornavit. Inde,equo conſcenſo, urbem ſpecioſo ſuorum agmine comitatus perambulavit. Et denique cõmunis lætitiæ cauſa ſtipe aurea argenteaque in populum ſparſa, tanquam conſul & Auguſtus ab omnibus paſſim eſt ſalutatus. Inde Turonibus egreſſus Pariſios venit.

Anaſtaſius Imperator.

5. CLODOVEI ADVERSVS POPVLARES SEV minores aliquot Francorum reges expeditiones.

Lutetiæ Pariſiorũ conſiſtens Clodoveus ad alia&domeſtica

meſtica præſertim ſananda mala tollendaque ſe totum convertit. Occaſionem præcipue horum præbuerant Francorum reguli, & inter ceteros, *Sigebertus*, *Canaricus* & *Rachnacharius* diverſis territorijs agentes. *Sigebertus* Agrippinenſibus cis ultraque Rhenum haud exiguis finibus imperitabat. Huic filius erat *Clodericus*, cuius & ſupra meminimus. Ipſe Sigebertus Clodoveo ad Tolbiacum, uti & modò memoravimus, auxiliaris, ſe pro regis gloria ſanguinem fudiſſe, ingenti accepto vulnere, nec magnam ſibi relatam gratiam nō obſcure differebat. Filio interim eius *Clodorico* ut patri poſt obitum certo ſuccederet, ſponſione Clodoveus promiſerat. Iuvenis regis verba promiſſaque ità interpretatus eſt, quaſi fata patris approperare juberetur: Patrem Colonia egreſſum ipſe quoque, traiecto Rheno, in ſilvam *Burconiam*, nunc *Veſterwald* appellari exiſtimant, ſecutus occidit. Clodoveus ignarum ſe huius cædis populo profeſſus ſupplicio filij necem ſenis eſt ultus, regnumque eius, offerentibus ſubditis, ſuo adiecit.

Chanaricus, vel, ut alij, *Chataricus* magnæ cognationis vir, minus reverens regis videbatur, præſertim cum jã arma adverſus Syagrium eſſent ſumta, Clodoveoque adeſſet, uti diximus, auxiliaris, remiſſiorem tunc ſe in acie & veluti ambigentem quam partem eligeret, præbuiſſe credebatur. Hoc Clodoveus alta mente repoſtum gerens & ipſum & filium jam puberem monachos ſe profiteri coegit. Adoleſcens lanuginem ſuam abraſumque caput contrectans; *mi pater*, inquit, *hæ frondes in virenti florentique arbore ſtrictæ ſua maturitate ſuccreſcent: faxit Deus, ut author putandæ comæ tam cito areſcat,*

ſcat, ipſe eiuſque ſoboles, quam hæ felici vere revireſcent. Quod dictum ſicuti latere Clodoveum non potuit, ita in animum eius altius dimiſſum. Ideoque & patri & filio mortem indicere è re bonoque iudicavit.

Inde adverſus *Rachnacharium* Cameracenſium & Attrebatum regem, hominem cum luxurioſum, tum vetuſta generis nobilitate tumentem procinctum movit. Inter cetera, cauſam ſimultatis atque iræ hanc referunt, quod is ſibi, utpote Clodionis abnepoti, regnum Francorum præcipue deberi publice atque identidem prædicaret. Idque cum ingratum atque odioſum Clodoveo accideret, ipſum fratreſque proditos necari mandavit. Quæ ſimiliaque, externis jam bellis propemodum profligatis, domi dum patrat, biennio fere poſt anno nimirum, ut vulgo putant & inter ceteros Sigonius, DXI, regni ſui triceſimo, vita exceſſit, relictis filijs quatuor; quorum *Childeberto* regnum Pariſiorum, *Clotario* Sueſſionum, *Clodomiro* Aurelianenſum, *Theodorico*, Mediomatricum obvenit. Hanc Gregorius Turonenſis libro 2. cap. 1. *æqua lance* diviſionem appellat, cum inquit: *Defuncto Chlodoveo, quatuor eius filij, id eſt, Theodoricus, Chlodomerus, Childebertus atque Chlotharius regnum eius accipiunt, & inter ſe æqua lance dividunt.* Agathias dicit æquas ſingulos portiones accepiſſe lib. 1. hiſtoriæ Iuſtiniani Imp. 511.

CAP. V.

ARBORICHI FRANCIS IVNCTI.
Deque Arborichis & quænam ea gens fuerit quæſitum.

HOc propemodum temporum tractu, tot circumquaque diſtrictibus auctum Francorum imperiũ acceſſione inſuper haud invalida gentis *Arborichorum*, maximas vires maximumque robur acquiſivit. Non enim accipiendum aliter, & huc præcipue traducendum, quod narrat prolixè ſuper Arborichis primo belli Gothici, & quantum memini, ſolus Procopius. Alios, inter quos Goropius * Becanus, qui in Clodionis tempeſtatem, cum in limine adhuc Galliarum Franci laborarent, idipſum reijciunt, arguat cum temporum, tum rerum & ſtatus ratio, quod addat Procopius utrũque tunc populum, *Arborichos* puta & Francos Chriſtianos fuiſſe; quod in ævum nequaquam Clodionis, quantum ad Francos attinet, ſed huius præcipue Clodovei aut filiorum eius, quo & floruit Procopius, referri amat. Verum operæ erit Procopij ipſius verba ſubijcere; ubi id imprimis præmonendum, quod Franci perpetuo etiam in textu Græcanico non *Celtarum* ſed *Germanorum* vocabulo veniant. Verba quæ dico, ità habent, Chriſtophoro Perſona interprete: *Erant Arborichi Romanorum tum milites, quos ſibi Germani cum obedientes facere ac ſubditos vellent, ut qui finitimi eſſent,*

* Lib. 3. Francic.

eſſent, & priſtinos vitæ mores penitus immutaſſent, eorum agros aſſiduè populari, & hos copijs univerſis invadere. Arborichi verò cum & virtutem per ſe & erga Romanos benevolentiam ferrent, viros fortes eo in bello ſe praſtiterunt, cumque his vim inferre Germani non poſſent, ſocietatem ut ſecum ſaltem inirent, & connubia inter ſe mutuo facerent, precabantur; quas non inviti conditiones Arborichi mox accepere. Erant namque utrique CHRISTIANÆ *fidei ſectatores. Sic itaque unum hi coeundo in populum ad maximam potentiam evaſere. Romanorum interea milites alij, qui in Galliæ finibus erant cuſtodiæ gratia conſtituti, cum neque Romam iam redire poſſent, nec ad hoſtes, ut Arianos, concedere; ſeſe cum ſignis, & locum inſuper, quem pro Romanis ſervarent, Arborichis Germaniſque prodidere, ac mores ſuos continenter ſervatos tranſmiſère ad poſteros; adeo ut vel ad hanc noſtram ætatem eodem tenore & cultu priſtinos ſervare ritus non dedignentur. Deſcripto namque ex numero ad id ferme tempus hi demonſtrantur, quo taxati antiquitus militabant: quandoquidem & ſuis productis nunc ſignis in aciem prodeunt, ac patrijs utuntur perpetuo legibus Romanumque habitum, ut in ceteris alijs, ita & in ſoccis nunc ſervant.* Hactenus Procopius, ſatis indicans primò de rebus ſui, non anterioris ævi verba ſe facere; deinde ſtipendia Romanis *Arborichos* feciſſe, ut poſte eorundẽ fæderatos & ſocios, ſed mox Germanis (ità appellatos Procopio Francos ante monuimus) ſocietate iunctos etiam Romanorum reliquias ſuas in partes traxiſſe; puta Syagrio iam capto & ſecuri, ut ante memoratum, ſubiecto. Quod verò *Abotritos* non *Arborichos* legendum apud Procopium, præter Divæum, Hadrianus Iunius Capite Bataviæ ſuæ nono autumarit, eos fugit ratio, cum Abo-

 drito-

odritorum vocabulum ſequentibus demum ſeculis,& vix ante Caroli Magni ævum, authoribus Aimonio, Vitichindo & Eginharto uſurpatum reperiatur; nec ad Albim *Arborichi*, ut *Abotriti*, ſed in ipſis Gallijs ſedes habuerint. Sic enim de illis paulo ante idem Procopius loco citato haud obſcure; ubi ait: *In oceanum Rhenus illabitur; paludes præterea his in locis non paucæ, ubi primitus Germani, gens barbara, habitabat; nec magni tum primum momenti viri, qui Franci nunc vocantur. His finitimi Arborichi accolæ erant, qui cum cetera Gallia atque item Hiſpania iam pridem Romanis parebant.* Quibus in verbis cũ dicat *Arborichos cum ceterâ Galliâ* jam pridem Romanis paruiſſe, nonne intelligi diſerte dat, non Albi accolas, ſed Galliarum eos portionem fuiſſe? adeo ut manifeſto hallucinati hac parte Divæus & Iunius fuerint; vixque ambigendum Eburones, Tungros & Toxandros inter præcipuos & primos Arborichos exſtitiſſe; utpote populos à Francis perpetuo impetitos & vexatos, ut liquet vel ex rebus Iuliani, à quo in ipſa Toxandria victi Franci narrantur; quomodo ſuo ſupra loco * memoratum. Hodie veſtigia eius nominis ſupereſſe in *Verichijs* & *Gorichijs* ſive, ut vulgo vocamus, *Gorichemijs* & *Worichemijs*, Hollandiæ ad Moſam opidis, ob alluſionẽ inter ſe nominum ac vicinitatem ſuſpicabatur fere noſter Scriverius: Niſi vocabulum potius gentis, aut vocabuli ſaltẽ reliquias, hærere dicamus in urbe Galliæ *Arbois*, quã *Arboroſã* Ammianus Marcellinus lib. 16. nominaverit, cum inquit: *Alijs per Arboroſam, quibuſdã per ſedes Leucorum iri debere firmantibus.* Atq; hæc ſuper *Arborichis* hoc loco ac tempore ſufficere exiſtimo, dum aut nos, aut alij, certiora edocti reperiamus.

* Pag. 274. Lib. 4.

CAP. VI.

CAP. VI.

TEMPORVM AC RERVM CLODOVEI ſuperius enarratarum accuratior Chronologia ex Libris Ioſephi Scaligeri de Temp. Emend. ob oculos poſita.

TEmpora ſuperius *Faramundi*, *Clodionis* & *Merovei* ad veram æram, ut eam è varijs Chronologis & Gregorio, præſertim Turonenſi conſtituit ſeculi decus Scaliger, reducta propoſuimus. Nunc reliquum eſt, ut idem quoque in rebus atque annis Clodovei eiuſque filiorum ac nepotum appareat. Ait ergo Scaliger: *Obÿt Sidonius Apollinaris anno* V. *Zenonis* Lib.6.de
Auguſti, poſt conſulatum ipſius Zenonis, Fl. Baſilio iuniore Emend.
V.C. Coſſ. anno ſecundo Hlodovei, ut poſtea demonſtabitur, Temp.
indictione tertia, X. *Kal. Sept. Sabbato. Ab exceſſu Martini, ad exceſſum Hlodwin ſecundi, quem Hlodoveum vocat, annos putat (Gregorius Turonenſis)* CXII. *qui etiam numerus non notis, ſed verbis conceptus extat apud Adonem Viennenſem, ut omnis ſuſpicio erroris abſit. Martinus autem obÿt anno Chriſti* CCCXCV. *ut ſupra demonſtratum eſt. Ergo Hlodoveus, ſive Hlodwin ſecundus, obÿt anno* DVII. *Sed ipſe putat obitum Martini ab anno* CCCXCVII, *Attico & Cæſareo Coſſ. Hoc pacto Hlodoveus obierit anno Chriſti*, DVIIII. *Hoc demonſtrandum eſt. In tertio concilio Aurelianenſi, in fine ità ſcriptum eſt:* Die nonarum menſis tertij quarto, Paulino iuniore, viro clariſſimo Conſule, anno domini Hildeberti

berti XXVI. *Iſte Paulinus fuit Conſul cum Iuſtiniano quartum Conſule, indictione* XII, *& proinde anno Chriſti* DXXXIV, *cyclo Lunæ tertio. Si annus* XXVI *Hildeberti Hlodovei filij erat tertius cycli, ergo primus eiuſdem Regis erat* XVI *cycli, & proinde cæpit regnare anno* 509, *quo ſcilicet pater obijt. Rurſus in quinto concilio Aurelianenſi ita legimus:* Concilium Aurelianenſe quintum circa tempora Pelagij Papæ primi habitum ſub die V Kalend. Novemb. anno XXXVIII Regni domini Hildeberti Regis, indictione XIII, poſt conſulatum, anno XII. *Duodecim anni poſt conſulatum Paulini ad* XXVI. *annum Hildeberti adiecti componunt annum* XXXVIII *Hildeberti. Itaque error non eſt: & erat annus* Chriſti DXLVI, *indictione* IX. *Error eſt igitur in indictionis notatione. Triginta autem annos regnaſſe dicit. Igitur initium Hlodivin ſecundi, ſive Hlodovei, aut, ut Remigius, Hlodovici, cadit in annum Chriſti* 479. *Et quia quinque annos dicit vixiſſe poſt prælium Vocladenſe; ergo illud memorabile prælium incidit in annum Chriſti* 504, *non autem* 508, *Celere & Venantio Coſſ. ut quidam conjiciunt ex Caſſiodoro. Eſt aut Vocladum Caſtrum in planis Pictavienſis territorij ſitum, ab urbe Pictavienſi* X *millibus paſſuum diſtans, ut etiam notat hiſtoricus, & quidem adhuc nomen retinens, ſed Pictonica pronunciatione diſtortum &* Voglai *dictum. Ea planities porrecta in aliquot millia paſſuum patet, locus plane idoneus pugnæ. Quare is eſt vere locus, & annus tam inſignis prælij: quem deſignavimus ideo, ut Annalium Gallicorum ſcriptores ſuo loco notare poſſint.*

Deprehenſo anno exceſſus Hlodovei, tenemus initia quatuor eius filiorum, Hlotarij Sueſſonum, Theodorici Metenſium & Remorum, Hlodomiri Aurelianorum, Hildeberti Pariſienſium Regum. Videtur autem noſter Gregorius ignoraſſe multa, aut ſciens præterijſſe. Nam confuſè omnia tradit. Quatuor igitur illi Re-

ges

ges fratres Hlodwin ſecundi, ſive Hlodvei filij incipiunt regnare anno Chriſti 509: quod aperte demonſtratum eſt, & confirmatur anno XII *poſt conſulatum Baſilij V.* C. *indictione prima, quo anno Hlotarium regnaſſe annos* XLIV *teſtatur Marcellinus Comes. Id eſt, anno* XII *poſt conſulatum Baſilij, qui erat 553 Chriſti, iam annos* XLIV *abſolutos Hlotarius imperaverat. In quo advertenda locutio etiam familiaris huic noſtro Gregorio, cum Theodoricum ait obijſſe viceſimo tertio anno regni ſui, filiũ autem eius Theodebertum quartodecimo, non utique fluentes annos ex conſvetudine ſermonis Latini, ſed abſolutos intelligendum. Præterea ab exceſſu Hlodovei, ad exceſſum Theodeberti, putat annos abſolutos* XXXVII. *tot enim faciunt 23. cum 14. Ita igitur Theodebertus Theuderici filius cœperit regnare anno 532: Theudwaldus autem Theuderici filius anno 546. Libro* IV *cap.* IX. *ponitur Theudwaldi Regis obitus & expeditio Hlotarij in Saxones rebellantes. Vtrumque, teſte Marcellino, contigit indictione prima, anno* XII P.C. *Baſilij V.* C. *anno Chriſti 553. Regnavit igitur annos abſolutos* VII. *quod intelligit Gregorius ex uſu ſuo loquendi, cum ait, ſeptimo anno regni obijſſe: id eſt, abſoluto. Geſta capitis* XIV. *pertinent ad annum 555, qui erat* XIV. *poſt conſulatum Baſilij V.* C. *indictione* III. *Vide Marcellinum Comitem eadem referentem, quæ Gregorius memoriat. Geſta capitis* XVII. *pertinent ad annum ſequentem, auctore Marcellino, ubi perperam Chriſtianus legitur pro* Chramnus. *Quam vocem imperiti librarij exiſtimarunt eſſe compendium, quaſi ſcriptum fuiſſet Chrãnus: quod notat Chriſtianus. Sed ex idiomate priſcorum Francorum ſcribendum erat ſine* C. *Hramnus. In eundem quoque annum 555 conferendus obitus Hildeberti Regis ex eodem Marcellino: cuius mentio fit capite* XX, *non adiecto regni tempore. Regnavit igitur annos abſolutos* XLVI. *cap.* XX, *Hildebertus moritur.*

Morelij editio anni 1561 recte habet Chrãnus.

Hoc contigit indictione V. *Auctor Marcellinus Comes. Ergo anno Chriſti* 557. *Proinde obijt anno regni ſui* XLIX. *Tot enim ab anno Chriſti* 509 *putandi ſunt. Itaque rectè Aimonius monachus lib.* II. *ait obijſſe anno regni* XLIX. *Sequenti capite obitus Hlotarij refertur, anno* LI *regni ſui, hoc eſt, abſoluto, quæ eſt hominis uſitata loquutio. Obijt igitur anno Chriſti* 560. *Sed quod capite proximo retulit de Chramno cum uxore & liberis conbuſto, hoc accidit anno* XVII *P. C. Baſilij V. C. indictione* VI, *hoc eſt anno Chriſti* 558. *Auctor Marcellinus. Ergo inter caput* XX *&* XXI *interiectum fuit trienniū ſolidum.*

Patri Hlotario in regno ſucceſſerunt quatuor filij, Hilpericus *vir Fredegundæ, Sueſſonū Rex:* Haribertus *Pariſiorū:* Guntchrānus *Aurelianorum:* Sigebertus *Metenſium & Remenſiū, vir Brūnichildis, mulieris Hiſpanienſis, Wiſegothorū ſanguinis.*
Vide ſupra pag. 240. *De Hilperico ità Fortunatus:* Hilperice potens, ſi interpres barbarus extet Adiutor, fortis hoc quoq; nomē habes. *Apertè ſignificat barbara dialecto, id eſt Teutonofrācica,* Hilperice *idem eſſe, quod* ADIVTOR POTENS *ſeu* FORTIS: *quod verū eſt. In fine operis Gregorius ait annū* 597 *eſſe* XXIX *Gunthchramni, & Fredegarius annum* 600, *eſſe* XXXII *eiuſdē Gunthchramni. Cæpit igitur regnare anno* 568, *aut* 569: *& cōſequenter falſum fuerit, patrē eius Hlotarium obijſſe anno* 560. *Rurſus Alboin Longobardorū Rex ingreſſus eſt Liguriā indictione ineunte tertia, tertio Nonas Septembris, hoc eſt, anno Chriſti* 599. *Auctor Paulus Diaconus lib.* II *cap.* XXV: *atque ijſdem diebus, quibus Longobardi Italiā invaſerunt, idem Paulus ſcribit, Francorū Regnū, mortuo Hlotario rege, ab eius quatuor filijs diviſum fuiſſe, lib. codē cap.* X. *Sed hallucinabatur ille Longobardus & annis novē plus dicit. Capite* XXXI *narrat Kal. Octob. ita Solē obſcuratum apparuiſſe, ut nec quarta quidē pars in eodē lucēs remaneret,*

ſed

ſed tetrum atq́; decolorẽ, quaſi ſaccum viſum fuiſſe. Novi lunium non potuit contingere Kal. Octobris illo ſeculo, niſi anno 574. Sed illis Kal. Sol obſcurari non potuit: neq́; ulla defectio Solaris contingere. quod valde miror. Sed cum capite XXXIII *mentio iniecta ſit de obitu Iuſtiniani, qui contigit anno 575, haud dubie illã obſcuritatem ſolis anno 574 contigiſſe neceſſe eſt, quòd neſcio quomodo fieri potuerit Kal. Octobris, cum motus Latitudinis valde abhorreat. Videtur legendum Kal. Septẽbris non Octobris. Et verum eſt. Ecce in fine libri quarti, à tranſitu Hlodovei, ad tranſitum Sigeberti eius ex Hlotario nepotis, putat annos 37, & 29, hoc eſt 66. Hlodoveus vero obijt anno 509. Ergo eius nepos Sigebertus obijt anno 575. Regnavit annos* XIV. *Itaque anno 560, aut 561 cœpit regnare: ut prius collectum erat. Et tamen anno 569 videbatur inijſſe imperium. Hic ſcrupulus valde me exercet. Quod autem Sigebertus Rex obierit anno 575, confirmatur ex capite* XIX, *in quo mentio fit Iuſtini Imperatoris, qui cum inutilis imperando propter mentis alienationem factus eſſet, aſſumptus eſt in ſocietatem imperij Tiberius Conſtantinus eius filius, anno 576. Sed & magis confirmatur cap.* XVII, *in quo hæc verba notanda:* Eo anno dubietas Paſchæ fuit. In Gallijs vero nos cum multis civitatibus, quarto decimo Calendas Maias ſanctum Paſca celebravimus; alij vero cum Hiſpanis, duodecimo Calendas Aprilis hanc ſolemnitatem tenuerunt: *Erat annus ſecundus Hildeberti, hoc eſt, abſolutus, ut ipſe ſemper loquitur. Proinde fuit Chriſti 577. Cyclus Lunæ* VIII: *Solis* XXVI. *Litera dominicalis C. Terminus Paſchalis* XIV *Kal. Mai. Ergo ipſo termino Paſcha celebratum. Quod valde miror. Capite* XXV: Anno quoque tertio Hildeberti regis, qui erat Hilperici & Gunthchramni ſeptimus decimus. *Ex iſtis magis*

confirmatur initium Gunthchramni, non ab anno 569, ſed à 560, ſumendum. Si annus Chriſti 578 eſt XVII *Gunthchrãni abſolutus, id eſt* XVIII *(nam ita ſemper loquitur) ergo annus 584 erit* XXIV, *indictione ſecunda. Propterea in Concilio Valentino* II *recte ſcriptum extat:* Synodus habita in urbe Valentina x Kal. Iulij, anno XXIV regni glorioſiſſimi Domini Gunthchramni Regis, indictione ſecunda. *In Concilio Lugdunenſi primo:* Synodus habita in civitate Lugdunenſi, anno ſexto regni glorioſiſſimi Gunthchramni Regis, indictione tertia. *Proculdubio legendum, indictione tertia decima. Erat enim annus 565, ſextus fluens ab anno 560, quo obijt Hlotarius, & eius filius Guntchramnus inivit regnum*. Et poſt aliquot, ex eodẽ etiamnum Gregorio Turonenſi, recitata atq; examinata loca, addit tãdẽ de ipſo authore: *Opus fuit conſtantia in hoc opere diſcutiendo. Amor enim hiſtoriæ & veritatis fecit, ut auctori propter res, quas deſcribit, magis neceſſario quam iucundo, hanc operam dederim: ut hiſtoria regum priſcorum Franciæ, à mendis purior quam antehac, ederetur. Noſtro exemplo alij excitati forſan in ſuis vernaculis hiſtorijs idem ſtudium collocabunt. Nos neque meliorem, neque vetuſtiorem in hiſtoria Francorum habemus*. Hucuſque de Gregorio Turonenſi & calculo illorum temporũ Ioſephus Scaliger.

CAP.

CAP. VII.

IMPERII FRANCICI INCREMENTA ET magnitudo. Occidua & Orientalis Francia: Veſtraſia item & Auſtraſia, earumque limites ac diſtrictus indicati.

HActenus hiſtoriæ ac rerum geſtarum ſeries nos veluti manu ad illud tẽpus deduxit, quo imperium hoc ſub Clodoveo in Gallijs primo, atque inde viciſsim trans Rhenum victis Alemanis longe lateque in Germania conſtitutum, & à poſteris exinde non conſervatum modo, ſed auctum indies, nova ſibi cum novis terrarum tractibus vocabula acquiſivit. Nam ſtatim poſt illuſtrem illam circa Tolbiacum victoriam victi ac ſubiugati Alemani, Turingi etiam domiti, tranſcendere denuo Rhenum Francos coegerunt, non ut in Gallijs ſicuti prius, verum è Gallijs procinctu facto, in ortiva atque interiori, quam *magnam* appellari ſuperius diximus, Germaniâ novum limitem novaſque ſedes defigerent. Hinc ergo *Auſtráſia Veſtraſiaque* in Gallijs nomina regnaque enata; & apud Germanos *Orientalis Francia*, ſuperatis nimirum Thuringis & Alemanis; aſpectu *occidua*, quæ Galliam pæne totam, id eſt, *Auſtraſiam* quoq; ipſam *Veſtraſiamque* continebat. Quin & eadem *Occidua Francia*, ut liquet ex * Luitprando Ticinenſi, iterum bifariam tunc accepta, ita ut ea, quæ Rheno quam proxima erat, non *Auſtraſia* ſolum, * Lib. 1, cap. 6.

* Lib. 5. cap. 14. 18 & populi, ut eſt apud *Turonenſem, *Auſtraſij*, ſed *Teutonica* ſubinde *Francia* diceretur, quod ibi, ut plurimum, Teutonicè loquerentur indigenæ; *Romana* vero *Francia* quidquid interioris erat Galliæ; quod ibi loquerentur Romane, hoc eſt, Romano in Gallicam Germanicamque phraſim detorto idiomate: Vnde Reginoni ad annũ 939 *Ludovicus Galliæ ſeu Franciæ Romana Rex* appellatur. Adeò ut *Neuſtria*, vel, ut mediæ ætatis ſcriptores rectius habent à *Veſtrich* formato nomine, *Veſtraſia* cõtinuerit quidquid inter Ligerim & Sequanã ad Oceanum pæne uſq; terrarũ jacet: *Auſtraſiorũ* vero territorium, cuius metropolis erant *Mediomatrices*, tam late patuit atq; ipſa *Teutonica Francia*: nam in hac non tantum erat *ſuperior* illa, Tacito olim atque Ammiano, de qua
* cap. 4. *primo libro egimus, dicta *Germania*, ſed *inferior* quoq; quæ præter ceteros complectebatur *Brabantos*, *Gelros*, *Iuliacenſes* & *Batavos*. Nam liquet ex diviſione Ludovici accepiſſe Lotharium præter Italiam & Provinciam hoc quoque *Auſtraſiæ* regnum; cui *Rhenus*, *Moſa*, *Voſagus mons*, *Carbonaria ſilva*, *Schaldis* atque *Oceanus* ad *Sequanam* uſque includebatur. Quo terrarum ſpacio noſtro nunc ævo comprehenditur *Lotharingia*, *Elſatia*, *Vormacia*, *Maguncia*, *Treveri*, *Palatinatus pars*, *Comitatus Salicienſis*, *Hannonia*, *Cameracum*, *Namurcum*, *Limburgum*, *Leodium*, *Brabantia*, *Flandria*, *Clivia*, *Iuliacum*, *Gelria*, *Hollandia*, *Zelandia*, *Traiectum* ac *Zutphania Comitatus*. Primis temporibus, puta poſt ævum Clodovei, cum jam rerum potirentur eius filij, non *Auſtraſia* modò, ſed *Auſtria* quoq; dicta colligitur ex verbis Remigij ſupra in Teſtamento eius poſitis, ubi *villarum* in *Auſtria* ſive *Tongria* (ità enim legere malim quam *Toringia*) habetur mentio.

mentio. In hac eadem *Francia* præcipuas habuerunt ſedes priſci Francorum reges & ipſe præſertim Carolus Magnus huiuſque nepotes. Demonſtrant id ædificia regia, *Aquenſe* & *Neomagenſe palatia*, & *Ingelſheimium* prope Maguntiacum: Præterea *Kircheimum* inter Seleſtadium & Argentoratum verſus Voſagum: *Ruſacum* ſupra Colmariam: quamvis lapſu deinde annorum, cum jam Lothario Lodovici pij, ut diximus, filio hæreditate hoc totũ, præter cetera, obveniſſet, ab eius nomine Lotharij regnũ ac poſtea *Lotharingia* cœperit appellari. Et ut conſtet quantum in univerſum quamque latè patuerit, cum jam ad ſumma perventum eſſet Caroli Magni tempore, hoc Francicorum regum imperium, adſcribam verba Eginharti, qui ipſi Carolo ab epiſtolis fuit. Ita enim habet in Commentario, ſive ſynopſis eſt, rerum ac vitæ eiuſdem Magni Caroli: *Hæc ſunt bella, quæ rex potentiſſimus per annos quadraginta ſeptem, tot enim annis regnaverat, in diverſis terrarum partibus ſumma prudentia atque felicitate geſſit. Quibus regnum Francorum, quod poſt patrem Pipinum, magnum quidem & forte ſuſceperat, ità nobiliter ampliavit, ut pæne duplum ei adiecerit. Nam cum prius non amplius quam ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim Oceanumq; & mare Balearicum jacet, & pars Germaniæ, quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumque & Salam fluvium, qui Turingos & Sorabos dividit, poſtea à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Alemani atque Boarij ad regni Francorum poteſtatem pertinerent, ipſe per bella memorata primò Aquitaniam & Vaſconiam, totumq; Pyrenei montis jugum, & uſque ad Hiberum amnem, qui apud Navarros ortus & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertuſæ civitatis mœnia Balearico mari miſcetur; deinde*

Italiam

Italiam totam, quæ ab Auguſta Prætoria uſque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum & Beneventanorum conſtat eſſe confinia, decies centum, & eo amplius paſſuum millibus longitudine porrigitur: Tum Saxoniam quæ quidem Germaniæ pars non modica eſt, & ad eam quæ à Francis incolitur, latitudine dupla putatur, quum longitudine poſſet eſſe conſimilis. Poſt utramque Pannoniam, & oppoſitam in altera Danubij ripa Daciam, Hiſtriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & iunctum cum eo foedus Conſtantinopolitanum imperatorem habere permiſit. Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ intra Rhenum ac Viſtulam fluvios Oceanumque & Danubium poſitæ, lingua quidem pæne ſimiles, moribus vero atque habitu valde diſsimiles, Germaniam incolunt, ità perdomuit, ut eas tributarias effecerit. Inter quas fere præcipui ſunt Vuelatabi, Sorabi, Abotriti, Boemanni; cum ijs namque conflixit; ceteras quarum quidem multo maior eſt numerus in deditionem ſuſcepit. Auxit etiam gloriam regni ſui quibuſdam regibus ac gentibus per amitiam ſibi conciliatis: adeo namque Adelphonſum Galatiæ atq; Aſturicæ regem ſibi ſocietate devinxit, ut is cum ad eum vel literas vel legatos mitteret, non aliter ſe apud illum quã propriũ ſuum appellari iuberet. Scotorum quoque reges ſic habuit ad ſuam voluntatem per ſuam munificentiam inclinatos, ut eum nunquam aliter quàm dominum, ſeque ſubditos ac ſervos eius pronunciarent. Exſtant epiſtolæ ab eis ad eum miſſæ, quibus huiuſmodi affectus eorum erga illum indicatur. Cum Aaron rege Perſarum, qui, excepta India totum pæne tenebat Orientem talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam eius omnium qui in toto orbe terrarum erant regum & principum præponeret, ſolumque illum honore ac munefecentia ſibi colendum iudicaret: ac proinde cum legati eius, quos cum donariis ad ſacratiſſimum

domini

domini & ſalvatoris noſtri ſepulchrum locumque reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, & ei domini ſui voluntatem indicaſſent, non ſolum quæ petebantur fieri permiſit, ſed etiam ſacrum & ſalutarem locum, ut illius poteſtati adſcriberetur conceſſit & revertentibus legatis ſuos adiungens, inter veſtes & aromata & ceteras orientalium terrarum opes, ingentia illa dona tranſmiſit, cum ei paucos ante annos eum, quem tunc ſolum habebat, tranſmitteret elephantem. Imperatores etiam Conſtantinopolitani Nicephorus, Michael & Leo, ultro amicitiam & ſocietatem eius expetentes, complures ad eum miſère legatos: cum quibus tamen propter ſuſceptum à ſe IMPERATORIS *nomen, & ob hoc ei, quaſi qui imperium eius eripere vellet, valde ſuſpectum, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes cuiuſlibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia. Vnde & illud Græcum exſtat proverbium:* τὸν φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτον' οὐκ ἔχῃς, *id eſt, Francum amicum habeto, vicinum ne habeto.* Hæc Eginhartus. Quibus accedat quod habet de eodem his verbis Aventinus: *Cimbricæ peninſulæ cervicem, limitem* Lib. 4. *regni ſui, qua Saxoniã attingit, aggere & vallo munire ſtatuit. Quicquid loci inter Oceanum occidentalem, & ſinum Codanum orientalẽ, in longum tenditur, per ripam Egiduræ Borealẽ munimento deſtinat, relictis qui exſtruẽdæ tutelæ præeſſent, ducibus. Adgeſta igitur terra truncis, & ſtipitibus arborũ cõpacta, ingens ſepimentum ſurgit; unica, quo equiti carroque ſive rhedæ aditus pateret, porta relicta.* Itẽ Nauclerus Gen. 27: *Carolus,* inquit *Magnus Rex Francorum dicebatur, quod idem erat ac ſi nominatus fuiſſet Rex Germaniæ & Galliæ. Nam clarum eſt, quod eo tempore omnis tranſalpina Gallia & etiam Germania à montibus Pyreneis uſque in Pannonias, Francia dicebatur: illa, id eſt, Germanica Francia, Orientalis: illa, id eſt, Gallica Francia,*

occidentalis; in quo vera hiſtoria conſentiunt omnes. Quæ aliaque & præſertim illa poſteriora Eginharti ſi contendantur cum Taciti verbis libro hiſtoriarum 4: Quibus præcinuiſſe, temporibus Veſpaſiani, Druidas ait, Romanum imperium Germanis ac tranſalpinis gentibus fato debitum, agnoſcetur haud abs re nec vanum aut temerarium fuiſſe id augurij. Sed Taciti verba inſerenda notandaque iudico: *Nihil*, inquit, *æquè quam incendium capitolij, ut finem imperij adeſſe crederent, impulerat: Captam olim à Gallis urbem, ſed integra Iovis ſede, manſiſſe imperium. Fatali nunc igne, ſignum cæleſtis iræ datum ac poſſeſſionem rerum humanarum tranſalpinis gentibus portendi, ſuperſtitione vana Druidæ canebant.* Et ſane qui imperij hoc corpus cum Romano contulerit, animadvertet Europam pæne univerſam ei dicto audientē paruiſſe, ſi pauca excipiantur Græciæ loca ab imperatoribus Orientis & Turcis exinde poſſeſſa: Quamvis ipſos Turcas & Aſiaticos tantus poſtmodū Francici nominis terror habuit, ut nō tunc modò, ſed hodieq; Europæos illi univerſim *Francos*; ipſumque pontificem *Francobegum*, id eſt, *Francorum principem*, & denique religionem Chriſtianam *Franckiam*, nuncupare adhuc vulgo conſveverint. Idque jam tum eoſdem Aſiaticos ab ipſis Orientis imperatoribus, quibus præcipue formidabilis Francorum vicinitas ac nomen habebatur, hauſiſſe perſvaſum habeam. Nec id tantum, ſed, ut liquet ex iiſdem ſuperius Eginharti citatis verbis, etiam diadema imperatorium Francis delatum eoſdem Græcos haud leviter uſſit. Qui licet dolorem, Carolo adhuc ſuperſtite, preſſerint; in apertum tamen erupit poſtmodum invidia. Et hinc eſt quod Conſtantinus

Por-

Porphyrogeneta Imperator in Thematibus ſuis Lodovicum imperatorem non βασιλέα, Græcorum more aut imperatorem appellet, ſed ῥῆγα φραγγίας, *Regem Franciæ*; ſecutus in hoc maiorum ſuorum in Francos, & præſertim Lodovicum, odium. Nam & avus eiuſdem Conſtantini paternus Baſilius imperator è literis Adriani II per legatos allatis Conſtantinopolim, nomen imperatorium Lodovico tributum abradi iuſſerat, miſſa ad eundem legatione & literis, quibus exhortabatur, ut abſtineret à nomine βασιλέως. Ad quas molles Baſilij querelas exſtat Lodovici epiſtola Apologetica gravis, acris, elaborata & Romano imperatore digna; Quam è ſcripto codice hiſtoriæ Longobardicæ nuper erutā, & à Frederico Morelio Animadverſionibus ad Conſtantini Themata liberaliter inſertam etiā hîc pro parte ponendam judicavimus. Ità enim habet:

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei æterni, Lodovicus divina providentia Imperator Auguſtus Rom. dilectiſſimo ſpiritualique fratri noſtro Baſilio glorioſiſſimo ac piiſſimo æque Imp. novæ Romæ &c. Quia de imperatorio nomine multa nobis ſcripſiſti; cogimur & nos quoque ad ſcripta tua quædam reſcribere, ne ſi uſquequaque ſuper hoc ſiluerimus, non ut contentionem vitantes, ſed quaſi ratione convicti ab inſipientibus videamur. Fruſtrà cauſandum ducit prudentia tua, alios præter ſe βασιλεῖς *appellandos, niſi forte radendos ducat totius codices mundi, in quibus fere cunctarum gentium principes à priſcis temporibus, & deinceps* βασιλεῖς *inveniuntur ſcripti. Illud ridere libuit, quod de imperatorio nomine dixiſti, neque paternum eſſe, neque genti convenire. Quomodo enim paternum non eſt, quod jam in avo noſtro paternum fuit? quomodo autem genti non convenit, cum ſciamus ex Hiſpanorum, Iſaurorum &*

Cæſarorum gente Impp. Romanos effectos. Neque enim veraciter aſſeverabis nationes has gente Francorum aut religione aut virtute clariores. Hactenus Lodovici epiſtola; quæ licet apud Morelium prolixior habeatur, hîc tamen præcipua, & quæ ad rem faciant, excerpſiſſe ſufficiat. Vt ergo ad noſtra, id eſt priora redeam, patere etiam ex ijſdem Eginhardi allatis verbis haud obſcure poteſt, quod demonſtratum voluimus, Francos nimirum, poſtquam ex veteri & vernaculâ ſua, quam ſuperius definivimus, Francia, Rheno tranſmiſſo, Gallias invaſerint, eaſdemque ſui juris fere totas fecerint, denuo Rheni alveum tranſcendiſſe & tum demum ſuperiorem illum è regione Magunciaci & cis ultraque Mænum, ad Boios uſque, Germaniæ tractum ſuo adieciſſe dominio. Verba ex modo citatis, quæ proprie huc ſpectant, ſunt in principio ſtatim, iſta: *Regnum Francorum quod poſt patrem Pipinum magnum quidem ſuſceperat, ita ampliavit, ut penè duplum illi adiecerit. Nam cum prius non amplius, quam ea pars Galliæ quæ intra Rhenum & Ligerim Oceanumque & mare Balearicum jacet, & pars Germaniæ quæ intra Saxoniam & Danubium Rhenumque & Salam fluvium qui Turingos & Sorabos dividit, poſtea à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Alemani & Boarij ad regni Francorum poteſtatem pertinerent, ipſe per bella &c.* Manifeſto enim ex illis liquere puto primo tranſcenſo ex ueteri Francia Rheno Galliam; atque inde viciſſim è Gallijs procinctu facto trans Rhenum, interiorem ex adverſo Magunciaci Bohemos & Boios verſus occupatam Germaniam; eamque aſpectu Galliæ ſeu *Franciæ Romanæ*, ubi jam *Francia* erat *Occidua*, *Orientalem* nominatam. Quid enim illa verba, *poſtea*

poſtea à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, aliud innuant? Vt ita quidquid cis ultraque Rhenum imperij Francici haberetur, duobus hiſce vocabulis, *Orientis* & *Occidentis* inſignitum fuerit: ipſos Francos vernaculo ſermone *Oſtenrich* & *Veſtenrich* nuncupaſſe non ſit dubiū; & indicant præſertim Regino & Otho Friſingenſis; quorum Regino ad annum 778 Auſtraſiæ vocabulum cum Boioariæ coniungit. Otho vero ad annum 743 hæc habet: *Pipinus & Carolomannus &c. Regnum dividunt; Carolomano Auſtriam, Alemanniam, Turingiam; Pipino vero Neuſtriam & Provinciam ſortito.* Quo loci *Auſtriæ*, ut & ante ex Remigij Teſtamento oſtenſum eſt, illud totum ſit quod intra Gallias cis Rhenum *Neuſtriæ* ſive *Veſtraſiæ* opponitur: Sed Othonem Friſingenſem ſecutus deinde Godefridus Viterbienſis Chronici parte 17 ad annum 881 multo hoc ipſum luculentius ob oculos poſuit & *Auſtriam* ſub *Lotharinga* ac Friſiæ nominine intelligens ad regnum tamen Teutonicum & *Franciam Orientalem* pertinere oſtendit. Ait enim: *Arnulphus totam Orientalem Franciam, quæ hodie Teutonicum regnum vocatur, id eſt, Bavariam, Sveviam, Saxoniam, Turingiam, Friſiam & Lotharingiam rexit: Occidentalem vero Franciam Odo tenuit.* Atque hinc labentibus annis, non ambigendum, quin ille Germaniæ interior verſus Pannoniam diſtrictus, quem Oſtenriche, ſive *Auſtriā* Latine adhuc dicimus, tam late patentis imperij veluti lacinia aliqua, & ex ingenti naufragio relicta tabella, huius nunc maieſtatem nominis vel ſola ſuperſtes retineat.

Lib. 5. Cap. 39.

CAP. VIII.

FRANCICI IMPERII AD SAXONES devolutio. Eiuſque cauſæ atque occaſiones.

HOc tã ingens tamque florens imperiũ, à Græcis ut innuimus, ad Francos ubi deveniſſet, annis centum & duobus penes eoſdem inviolatum conſtitit. Quomodo verò exinde decreverit, & quomodo à Francis viciſſim in Saxones tranſlatum ſit, varie referri ſolet. Marſilius de Menandrino Patavinus ita rem denarrat: *Imperator Arnulphus, ultimus de gente Caroli Magni, effeminatus & remiſſus contra Berengarium tyrannum, qui tunc in Italia Romanam eccleſiam impugnabat. Quinimo ipſemet tunc erat Romanæ perſecutor eccleſiæ, ut Martinus Polonus ſcribit. Filio enim Arnulphi prædicti, qui nondum imperialem benedictionem acceperat, à prædicto Berengario Italiæ tyranno devicto, & apud Veteriam mutilato genus Caroli defecit in imperio: & cæpit dictus Berengarius in Italia dominari, & Romana eccleſia perſecutionibus urgentibus vacillare: cum, quia dictus tyrannus eandem moleſtabat, tum quia Eccleſiæ non verus paſtor ſed mercenarius præerat Iohannes videlicet Alberti filius, ut tradit Robertus Cremonenſis epiſcopus magnus Hiſtoriarum ſcriptor. Vnde Cardinales ex communi concordia, anno à nativitate Chriſti 950 ſcripſerunt Othoni duci Saxoniæ, qui vir magnæ potentiæ dominabatur ſuper univerſam Alemaniam: qui religioſus erat, fide Catholicus, in conſilio providus, in iudicio iuſtus, in commiſſo fidelis, in bellicis ſtrenuus & univer-*

Cap. 10. de Imperij tranſlatione.

univerſorum morum honeſtate præclarus ad Dei eccleſiam devotus. Huius ergo principis auxilium implorarunt, ut Eccleſiam Romanam, quæ procellis impellentibus multis modis vacillabat, protegeret atque iuvaret. Qui magnum parans exercitum, in Italiam tranſivit & cum Berengario pugnavit, ipſumque cum eius exercitu in exilium miſit. Poſtmodum vero Romam pergens, concilium Cardinalium congregavit, & de ipſorum concilio Papam noſcens incorrigibilem, monuit, ut Papatui renunciaret. Quem induratum in caſtro Sancti Angeli violenter incluſit, & Papatui ipſum renunciare coegit. Et factus eſt tunc Romanæ Eccleſiæ paſtor Leo Octavus: qui allectus beneficio Romanæ Eccleſiæ per prædictum Othonem collato, tam de Berengario, qui vexabat eandem, quam de reformatione eccleſiæ facta per ipſum, eaſdem dignitates Othoni conceſſit, quas Carolo contulerat Adrianus: factaque ſynodo & clero ac populo congregato, ipſum Othonem conſtituerunt, multa electione præcedente, quæ poſt annos XL fuit inſtituta. Sicque facta fuit Imperij trãſlatio de Francis ſeu Gallicis in Germanos. Habuit ſiquidem hic Otho primus ex ordinatione imperium pacificè. Habuerunt etiã imperium ſucceſſive filius atque nepos ſine contradictione. Hactenus Marſilius. In quibus, præter alia, quæ nota indigeant, illud ſanè minus commodè dicitur, à Francis nimirum ſeu Gallis ad Germanos tranſlatum imperium cum & Franci, non Galli, ſed Germani etiam fuerint. Diſtinctos autem à Francis Gallos, etiam intra Galliam agentibus, cum ex epiſtola Remigij ſuperius poſita, tum ex capitulari quoque Caroli Magni ſatis intelligi conceditur. Tranſlatum ergo à Francis imperium ad Saxones dicere Marſilius voluit, aut ſaltem dicere debuit. Deinde nec uni aut ſimpliciter Arnulpho imperij periodus & ad alios tranſlatio accepta

refe-

referenda. Nam cum ex omnibus circumquaque, quæ Romanum imperium certatim peſſundare ac diſcerpere aggreſſa ſunt gentibus, ſolis Francis imperij diadema obtigerit, maximæ eorum opes ac regnum florentiſſimum fuit Caroli Magni ac Lodovici Pij ſeculo, Poſtea extincto Pio, quod vivente gliſcere cæperat, inter filios civile bellum exarſit, atque ita vires Francorum attrivit, ut ex eo pene conciderint. Plus quam centum millia hominum in primo conflictu cecidiſſe, præter ceteros, Aventinus perhibet. Lotharius enim occupato imperio iure ſucceſſionis & nominationis, quod à patre ſucceſſor eſſet deſignatus, reliquos fratres eo adigere voluit, ut Lodovicus Bavaria, Carolus Aquitania beneficio ipſius & conceſſione contenti, a reliquo imperio abſtinerent, & ipſi tanquam imperatori parerent. Fratres indigne ferentes, ſe a iuſta hæreditate excludi, coniunctis armis bellum Lothario inferunt, & ad Fontanedum vicum Antiſſidorienſem in Gallia Lugdunenſi prælio victum profligant, exercitu eius pene ad internecionem cæſo. Pugnatum eſt anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo primo, ſeptimo Calend. Iulij. Lotharius ex fuga Aquiſgranum delatus, bellum reparat: cui denuo fratres ad Argentoratum occurrunt, anno ſequenti. Sed Lotharij exercitus memoria cladis ſuperioris dilapſus deſertum eum fugere coegit. Non quievit tamen Lotharius: ſed revocatis ex fuga ac recollectis copijs, caſtra locat ad Matiſconem, urbem Burgundiæ. Eo accedentibus fratribus proceres imperij ſe medios interponunt, remq; eò deducunt conſtituta tetrarchia, ut Lodovicus Germaniam, unde & Germanici nomen

adeptus

adeptus eſt; Carolus Franciam; Lotharius Italiam cum imperio, & in Germania quæ inter Rhenum & Moſellam flumina ad veteres Mediomatrices, Leucos & Treveros pertinuerunt; Pipinus filius Aquitaniam teneret. Hæc tranſactio promulgata eſſe memoratur Veroduni, anno octingenteſimo quadrageſimo tertio. Quæ Lodovico in ea partitione attributa fuerunt, *regnum Orientale*: Carolo, *Occidentale regnum* dicta fuerunt: ut ab imperio, quod Lotharius retinuit, diſcernerentur. Ea vero Germaniæ pars, quæ utrique regno interiecta, utrumque ceu limes dirimeret, à Lotharij nomine tum primum vocabulum *Lotharingiæ* acquiſivit, ut & ante innuimus.

Diſtractis ad huncmodum & occupatis Civili bello fratribus, peregrinæ gentes his occaſionibus uſæ, ſeſe rurſus ex omni parte commoverunt. In Italia cum Saracenis res fuit Lothario eiuſque filio Lodovico. In Saxonia ſervile bellum excitatum Lodovico Germanico negotium faceſſijt. Normanni quoque ſive Dani, quorum arma primum Gallia ſenſit, Rege eorum exiſtente Chothilaco, ut refert Gregorius. Turonenſis lib. 3. regnante in Gallijs Theodorico, filio Clodovei; atque inde ſub Carolo Magno ac Lodovico non ſemel repulſi, nunc ſeriò tandem littus Gallicum claſſe ingreſſi, & per Ligerim amnem populabundi intra Galliã invecti, aduſque Pariſiorum urbem penetrarunt. Quibus cum impar eſſet Carolus rex, regno ut excederent pacatoſque haberet, nõ armis, ſed pecunia, ſola perſvadere potuit. Nec Bohemi, Sorabi & Marcomanni ſibi in his occaſionibus defuêre. Contra quos, bella aut belli metus continenter fuerunt

Lodovico Germanico. Quin & inter ipſos fratres ſubinde recruduerunt diſſidia; ut fit cum ſemel in exulceratis animis, præſertim agnatorum, altius odia inſederunt. Lotharius bellum minitatus eſt Carolo: Carolus Pipini filios Pipinum & Carolum Aquitaniæ principatu deiectos, in monaſteria incluſit, hunc in Corbeienſe, illum in Sueſſionenſe, & cuſtodia elapſos poſtea retraxit. Tandem Lotharius tædio, ut multi exiſtimant, vitæ præſentis, imperio ſponte depoſito, in Brumiam monaſterium apud Treviros ingreſſus anno 855, ſequente anno è vivis exceſſit. Poſt Lotharij obitum filio eius Lodovico rebus admoto, vix unquam, ad Ottonē uſque primum, quieta fuit ob inteſtina ac fraterna hæc certamina Italia. Nec longa pax Germaniæ aut Gallijs conceſſa eſt, quas eædem agnatorum diſcordiæ & earum occaſione irruptiones vicinarū gentium, ac præſertim Normannorum, non ſiverunt conquieſcere. Lodovico deinde ſine hærede maſculo defuncto, Carolus Calvus patruus cum exercitu tranſijt in Italiam ut imperium ſibi ac Francis vindicaret. Qua re animadverſa, Lodovicus Germanicus utrumque filium Carolomannum & Carolum, qui poſtea cognominatus eſt Craſſus, fratri obviam miſit, ut Italiæ aditu eum prohiberent. Ipſe invaſit Franciam, ſed filios a patruo Calvo vel muneribus pacatos, vel potentia territos, rebus infectis redijſſe tradunt. Progreſſus ergo Calvus Romam renunciatus eſt imperator. Qui dum bellis exinde fraternis diſtinetur, conduxit VVidechindi Saxonis operam adverſus Normannos, & mox eiuſdem VVidechindi filium Rupertum contra eoſdem ducem exercitus conſtituit,

qui

qui & in prælio occubuit. Poſtremum Carolus, quē dixi, Craſſus, poſt Calvi, &, qui eum ſecutus, Lodovici tertij obitum imperator declaratus eiecit ex Italia Saracenos; reverſus in Germaniam Franciæ adminiſtrationem tutorio nomine ſuſcepit, quod Lodovicus Balbus Carolum Simplicem poſthumum reliquiſſet. Irrumpentibus autem Normannis in agrum Atrebatum, Morinorum & Menapiorum, Godefrido & Sigefrido ducibus, Carolus oppreſſis opitulaturus, cum res parum ſuccederet, facta cum hoſtibus pace, Sigefrido Giſelam Lotharij patruelis filiam deſpondit, adiuncta dotis loco Friſia. Sed ne tunc quidem ceſſantibus Normannis, verum Rollone duce Neuſtriam antiquitus dictam invadentibus, Carolus ita cum hoſtibus pepigit, ut fœdere facto & ſocietate inita, tradiderit eis partem Neuſtriæ, quæ ab Epta flumine ad Britones terminatur & Oceano Gallico clauditur, cuius regni caput eſt Rotomagum. Ab his novis colonis *Normannia* dici cœpit, quæ antea *Neuſtria* dicta fuit. Hinc *Rolloni* initiato ſacris Chriſtianis, vocatoque *Roberto*, Carolus Simplex Lotharij filiam Ægidiam in uxorem dedit, quod alij Craſſo tribuunt. Ab hoc *Roberto* deſcendunt longa propaginis ſerie duces Normannorum, & in hunc uſque diem perdurans Regum Britanniæ ſucceſſio. Quorum Normanniæ ducum Richardus ſecundus Apuliam, Siciliam & Calabriā bello acquiſivit, exturbatis inde Græcorum reliquijs & Saracenis oppreſſis. Carolus Craſſus tandē, quod ob adverſos in bello caſus, & iniquas cū hoſtib⁹ pactiones in odiū veniſſet & cōtētū apud ſuos, morboq; fractus nec mente cōſtaret, nec valeret corpore, imperio cedere iuſ-

 ſus

Lodovico Germanico. Quin & inter ipſos fratres ſubinde recruduerunt diſſidia; ut fit cum ſemel in exulceratis animis, præſertim agnatorum, altius odia inſederunt. Lotharius bellum minitatus eſt Carolo: Carolus Pipini filios Pipinum & Carolum Aquitaniæ principatu deiectos, in monaſteria incluſit, huncin Corbeienſe, illum in Sueſſionenſe, & cuſtodia elapſos poſtea retraxit. Tandem Lotharius tædio, ut multi exiſtimant, vitæ præſentis, imperio ſponte depoſito, in Brumiam monaſterium apud Treviros ingreſſus anno 855, ſequente anno è vivis exceſſit. Poſt Lotharij obitum filio eius Lodovico rebus admoto, vix unquam, ad Ottonē uſque primum, quieta fuit ob inteſtina ac fraterna hæc certamina Italia. Nec longa pax Germaniæ aut Gallijs conceſſa eſt, quas eædem agnatorum diſcordiæ & earum occaſione irruptiones vicinarū gentium, ac præſertim Normannorum, non ſiverunt conquieſcere. Lodovico deinde ſine hærede maſculo defuncto, Carolus Calvus patruus cum exercitu tranſijt in Italiam ut imperium ſibi ac Francis vindicaret. Quare animadverſa, Lodovicus Germanicus utrumque filium Carolomannum & Carolum, qui poſtea cognominatus eſt Craſſus, fratri obviam miſit, ut Italiæ aditu eum prohiberent. Ipſe invaſit Franciam, ſed filios a patruo Calvo vel muneribus pacatos, vel potentia territos, rebus infectis redijſſe tradunt. Progreſſus ergo Calvus Romam renunciatus eſt imperator. Qui dum bellis exinde fraternis diſtinetur, conduxit VVidechindi Saxonis operam adverſus Normannos, & mox eiuſdem VVidechindi filium Rupertum contra eoſdem ducem exercitus conſtituit,

qui

qui & in prælio occubuit. Poſtremum Carolus, quē dixi, Craſſus, poſt Calvi, &, qui eum ſecutus, Lodovici tertij obitum imperator declaratus eiecit ex Italia Saracenos; reverſus in Germaniam Franciæ adminiſtrationem tutorio nomine ſuſcepit, quod Lodovicus Balbus Carolum Simplicem poſthumum reliquiſſet. Irrumpentibus autem Normannis in agrum Atrebatum, Morinorum & Menapiorum, Godefrido & Sigefrido ducibus, Carolus oppreſſis opitulaturus, cum res parum ſuccederet, facta cum hoſtibus pace, Sigefrido Giſelam Lotharij patruelis filiam deſpondit, adiuncta dotis loco Friſia. Sed ne tunc quidem ceſſantibus Normannis, verum Rollone duce Neuſtriam antiquitus dictam invadentibus, Carolus ita cum hoſtibus pepigit, ut fœdere facto & ſocietate inita, tradiderit eis partem Neuſtriæ, quæ ab Epta flumine ad Britones terminatur & Oceano Gallico clauditur, cuius regni caput eſt Rotomagum. Ab his novis colonis *Normannia* dici cœpit, quæ antea *Neuſtria* dicta fuit. Hinc *Rolloni* initiato ſacris Chriſtianis, vocatoque *Roberto*, Carolus Simplex Lotharij filiam Ægidiam in uxorem dedit, quod alij Craſſo tribuunt. Ab hoc *Roberto* deſcendunt longa propaginis ſerie duces Normannorum, & in hunc uſque diem perdurans Regum Britanniæ ſucceſſio. Quorum Normanniæ ducum Richardus ſecundus Apuliam, Siciliam & Calabriā bello acquiſivit, exturbatis inde Græcorum reliquijs & Saracenis oppreſſis. Carolus Craſſus tandē, quod ob adverſos in bello caſus, & iniquas cū hoſtib⁹ pactiones in odiū veniſſet & cōtētū apud ſuos, morboq; fractus nec mente cōſtaret, nec valeret corpore, imperio cedere iuſ-

 ſus

ſus eſt ac paucis poſt diebus in pago Sveviæ ignobili vitã finijt anno 888. In locum eius collocatus eſt, de quo ſupra dicere cæperamus, Arnulphus Carolomanni naturalis filius, in quo ut ſtirpis Carolinæ, ità imperij quoque, tam varijs, ut indicatum, factionibus jã enervati ac fracti finis fuit. In Craſſo autem ſummam felicitatem cum ſumma infelicitate coniunctam animadvertere eſt operæ pretium. Nam & Monarcha effectus ac dominus regnorum avitorum omnium; Et viciſſim ex eodẽ mox faſtigio deturbatus abiectuſque infra pene mortales omnes iacuit; ut videatur in hoc uno extremas experiri vires fataque Carolinæ domus complere fortuna voluiſſe. Exſtat in æde Monaſterij, quod eſt in inſula Rheni prope Cõſtantiã Reichenaw dicta, eius epicedium. Quod ego ante annos duodecim, cum eà iter facerem, præſens inſpexi ac deſcripſi, dignum, non modò ob antiquitatis reverentiam ſed ob rerum quoque, quas continet, memoriam, quod ibi non ſolum ſpectetur. Eſt autem eiuſmodi:

CAROLVS CRASSVS REX SVEVIÆ, PRONEPOS CAROLI MAGNI ITALIAM POTENTER INTRAVIT EAMQVE DEVICIT. IMPERIVMQVE ROMANVM, VBI CAESAR CORONATVS, OBTINVIT. AC MORTVO FRATRE LVDOVICO VNIVERSAM GERMANIAM, ET GALLIAM IVRE HEREDITARIO ACQVISIVIT. DEMVM ANIMO, MENTE ET CORPORE DEFICIENS AB IMPERIO, SANE MAGNO CVM FORTVNÆ LVDIBRIO DEIECTVS, A SVIS OMNIBVS POSTPOSITVS, HVMILI HOC IN LOCO SEPVLTVS IACET. OBIIT ANNO DOMINI DCCCLXXXVIII IDIB. IAN.

In cuius memoriam Chriſtophorus Dei gratia Epiſcopus

copus Conſtantienſis Augiaque maioris Dominus monimentum iſtud de novo reſtaurari ac refici curavit.*

* *De inepta hac nomenclatura* Richenaviæ, *vide Diſcept. noſ. Chorograph. Diſcep.* 3.

Saxo, ſub quo conditur, hæc inciſa præterea legi:

Pannonas & Cimbros diverſo Marte ſubegit
Carolus à Craſſo corpore nomen habens.
Sed bene quas juvenis Regni tractarat habenas,
His iterum ſenior diſpoliatus obit.

Atque hæc hactenus, occaſione præſertim eorum, quæ ſuper imperij huius periodo poſuimus, verborum Marſilij Patavini. Quibus omnibus, tum & antecedentibus, in univerſum conſideratis; hoc eſt, ſive ad originem gentis eiuſque incrementa ac progreſſus, ſive ad ſtatum complexumq; regnorum vertamus oculos, optimo jure me exiſtimabo huic libro ceteriſque jam enarratis cum hoc elogio colophonem imponere, NVLLARVM *ſcilicet* GENTIVM, POST DISCERPTVM A BARBARIS NATIONIBVS ROMANVM IMPERIVM, OPES VALIDIORES, IMPERIVM ILLVSTRIVS, LAVDEM BELLI MAIOREM FVISSE, QVAM FRANCORVM. Nunc, quod ultimo promiſſum fuit, ad inſtituta, mores, leges aliaſque gentis antiquitates, transferendus eſt ſtilus.

IOHANNIS ISACII PONTANI

ORIGINVM FRANCICARVM

LIBER VI

ſive

ſingularis,

Qui eſt de gentis inſtitutis, moribus lingua aliiſque antiquitatibus, exhibens ſpecimen maioris operis.

IOHANNIS ISACII

PONTANI

ORIGINVM FRANCICARVM

LIBER VI.

CAP. I.

VETERVM FRANCORVM PAGAniſmus. Eorundem ad Chriſtum ac verum Deum converſio. Deque Deo ac divinis ſenſus ac Synodi.

Lib. 2. cap. 10.

DE veterum Francorum religione eorumque ad Deum Opt. Max. converſione locuturis, illud Gregorij Turonenſis ante omnia in medium adducendũ, ubi ait *Francos*, antequã Chriſtianis ſacris imbuerentur, *ſilvas, aves & aquas pro numinibus coluiſſe iiſque ſacrificare ſolitos*; ut conſtet haud alios tunc adhuc fuiſſe, quàm ævo Taciti, cum Germanorum etiamnum vocabulo promiſcue cenſi, *lucos*

lucos & *nemora* conſecrarent, *Deorumque nominibus* appellarent, *ſecretum illud, quod ſola*, ut inquit idem Tacitus, *reverentia videbant*. Nec id modò Francis noſtris priſcæque Germaniæ ſolenne & proprium fuiſſe tunc reperias, ſed omnibus omnino gentibus, & quicunque verum Deum ignorabant, adeò ut de ſe quoque ſuo ævo haud abſimilia retulerit his verbis Plinius: *Priſco ritu etiamnum Deo præcellentem arborem ſimplicia rura dicant: Nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulacra, quam lucos & in ijs ipſis ſilentia adoramus. Adoramus* ait, ut nec ſe excludat ſcilicet. Maximus ſimiliter Tyrius, Platonicus Philoſophus Diſſertatione 39, ubi quæritur an Dijs ſint dicanda ſimulacra, inter cetera cum oſtendiſſet nullā non gentem mutuari aliquid vel à terra, vel cælo, quo numini, cujus quaſi inſita menti vis, honorē deferat, addit poſtremo hæc verba: *Quid ergo ultra de his inquirendum? quæ de ſimulacris lex ferenda? Animus modo Deum proponat ſibi. Ceterum ſive memoriam eius repreſentet Græcis ars Phidiæ, aut Ægyptijs animalium cultus, aut alijs fluvius, aut ignis alijs, varietatem non damno* &c. *Nemora* autem, non *templa* habuiſſe tunc ſacra dicataque maiores illos noſtros ideò Tacitus dixit, *quia*, ut idem eleganter addit, *cohibere parietibus deos præter magnitudinem cæleſtium arbitrarentur*. Cæſar ſuo ævo deorum numero ſolum eos duxiſſe ipſos notat, quos cernerent, & quorum apertè opibus juvarentur, *Solem*, *vulcanum*, & *Lunam*; reliquos nec fama quidem accepiſſe. Verum Cornelius Cæſare tanto poſterior, præter ceteros, *Mercurium, Martem* & *Iſidem* recenſet. Nam & *Hertham* id eſt, *terram* alioſque pro dijs habuiſſe ait: Sanè *Mercurium* imprimis coluiſſe non tantum libro de Morib.

Lib. 12. cap. 1.

Lib. de morib. German.

Germanorum, ſed & Annal. 13 refert, ubi Hermunduri diverſam aciem Marti ac Mercurio ſacravêre. Lucanus etiam ipſis vocabulis genti tunc uſitatis rem expreſſit, *Theutatem*, *Heſum* & *Tharamim* denominans. Exſtat enim Pharſ. 1.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro,
Teutates, horrenſque feris altaribus Heſus,
Et Taranis Schyticæ non mitior ara Dianæ.

Quo loci *Teutates* indubie *Mercurius* intelligendus. Mercurio enim etiam Tacitus *humanis hoſtijs litatum certis diebus* in Germania* indicat. Et ut ad rem noſtram; etiam Francos adhuc paganos agnoviſſe eoſdē Deos, dierum vernacula vocabula, nobis veluti per manus relicta, ſatis manifeſtum faciunt. Nam *Solis* & *Lunæ*, quorum Cæſar meminit, antiquum olim cultum fuiſſe, primores ſtatim hebdomadæ apud noſtrates dies, **Sondach** & **Maendach**/ ſicuti & ceteros Tacito nominatos, ſimiliter numinis loco habitos, indicio ſunt ſequentium apud nos dierum nomenclaturæ, **Dinſdach**/ **Woenſdach**/ **Donderdach** / **Vriedach** / **Saterdach**/ id eſt, *Martis*, *Mercurij*, *Iovis*, *Veneris* & *Saturni dies*. Quorū **Woenſdach** ſeu **Wodenſdach**/ *Wodæ*, qui *Mercurius* habebatur, memoriam reducit. Paulus Diaconus primus quod ſciam ex noſtrate idiomate id vocabuli in literas retulit; Aitque omnium in univerſum Germanorum communem Deum fuiſſe. Verba eius notabilia ſunt: *Vodan*, inquit, *quem adiecta litera* Guodan *dixerunt, ipſe eſt qui apud Romanos* Mercurius *dicitur, & ab univerſis Germaniæ gentibus*

* Lib. de Morib. Ger.

Lib. 1 cap. 9 de Geſt. Longob.

bus ut Deus adoratur, &c. Ex quibus & hoc liquet, non eſſe temerarium quod noſtratium nonnullorum dialecto, non modò **Woensdach** vel, ut Angli, **Wednesday** / ſed **Goensdach** & **Guodensdach** idem dies appelletur; cum & **Guodan** & **Wodan** vocabula promiſcue antiquitus uſurpata fuerint. Dani abiecta primore litera **W**. **Odensdag** & contracte **Oensdag** dicunt; quemadmodum & ijdē *ord, unſce, ull* pro **woord/ wunſche/ wull**/ id eſt *verbum, opto, lana*: abiecta ubique **W**, vulgo efferunt. Accedit, quod etiam Hollandiæ rhythmicum chronicon, ſub annum 609 de VVillebrodo, ad Friſios erudiendos iuſſu Pipini Francorum regis miſſo, agens, commemoret Mercurij ſimiliter ſtatuam à populo Friſico tunc adoratam & ab eodem VVillebrodo confractam fuiſſe. Ita enim habent verba iſtius Chronologi vernacula:

Doe zende hy (Pipijn) inden landen ſchiere
Willebrorde die eerſte bekeerde
Dē Vrie'en/ende t'ghelove leerde.
Tot Weſtcappelen dat hy quam/
Daer hy aenbedende vernam
Mercurioſe over eenen Godt, etc.

Et Meierus ad annum 633 de Gandavo loquens, *Aræ*, inquit, *Mercurij, quem Deum ibi colebant, everſæ, luci ſuccisi.* Deinde *Veneris dies* **Vriedach** nobis dictus, *Fream* ſuggerit, quam idem Diaconus inter numina Germaniæ ſimiliter nominat: M. Adamus & Saxo Grammaticus *Friggo* ſcribunt; fueritque pacis ac voluptatis dea, id eſt, *Venus* aut *Iſis* Taciti. *Iovis* vero ſive Tonan-

 tis

tis diem, quem **Donderdach** noſtrates, Angli **Thurſday** ſive **Tharſday**, Dani *Thaarſda* Lucanus, ut ſupra patuit, veterum Gallorum idiomate, *Tharan* ſive *Tharanin* flexione Latina ad Anglorum & Danorum dialectum proxime accedente. M. Adamus *Thaar* ſive *Thur* Borealioribus indigitatum commemorat; additq; in aere præſediſſe & modò ſerenitatē modo tempeſtatem inducere ſolitū. Qui idem Adamus etiam *Wodæ* meminit, niſi quod in eo à Diacono abeat quod *Martem*, nō *Mercurium* faciat, affirmetque, non in nemoribus, ut habet Tacitus, ſed in æde etiam aurata poſteriori ævo jam cultum dicatumque. Ait enim de Vpſala & idolis hiſce verba faciens: *In hoc templo, quod totum ex auro paratum eſt, ſtatuas trium deorum veneratur populus; ita ut potentiſſimus eorum* Thaar *in medio ſolum habeat triclinium, hinc & inde locum poſſident* VVodan *&* Fricco. *Quorum ſignificationes eiuſmodi ſunt,* Thaar *inquiunt præſidet in aere, qui tonitrus & fulmina, ventos imbreſque, ſerena & fruges gubernat; alter* VVodan, *id eſt, fortior, bella regit hominique miniſtrat virtutem contra inimicos. Tertius eſt,* Fricco *pacem voluptatemque largiens mortalibus, cuius etiam ſimulachrum fingunt ingenti priapo;* VVodanem *vero ſculpunt armatum, ſicut noſtri Martem ſolent.* Thaar *autem cum ſceptro Iovem exprimere videtur.* Hæc ante quingentos & quod excurrit, annos M. Adamus Canonicus & Hiſtoricus Bremenſis, ut citat ad Diaconum Lindebergius; quamvis non ibi ſed apud Olaum Magnum reppererim. Addi his poteſt, ſingulis iſtis Dijs ſuos ſeorſim exſtitiſſe ſacerdotes; & in templis quidem ipſa idola ſervata, ſed in lucos & rupes ſacrificij cauſa, ut memorant, per pompam & ſolemnitatem traducta

circum-

circumlataque. Si quando ergo ſerenitas expeteretur, aut alias tempeſtatem deprecarentur, *Tharani* ſive *Thaara* ſupplicabant. Bellum geſturi litabant *Wodæ*, & denique nuptias ambientibus, aut aliàs liberos exoptantibus, conſilium atque oraculum *Frea* petebatur. Arma etiam hoſtium eiſdem, ut trophea quædam, ſuſpendebant. Vnde eſt quod Annal. 1 Tacitus Arminium inter cetera ſic loquentem introducit: *Cerni adhuc Germanorum in lucis ſigna Romana, quæ dijs patrijs ſuſpenderit.*

Reliquorum *Martis* & *Saturni* dierum, prior noſtratibus **Dingſdach** eſt à **dingen**/ quod eſt *litem agitare*; & Danis qui contracte **Thiſdag**/ à **Ting**, quod hodieque illis *forum iudiciale* notat. Anglorum **Tevedaꝛ** pro eodem, altioris videtur indaginis, & à *Teutate*, cuius ex Lucano meminimus, modo & ille pro Marte cultus ſit, fortaſſe deducendus. Diem denique omnium ultimum Belgis **Saterdach** à *Saturno* habere notationẽ vocabulum utriuſque vocis loqui videtur; quamvis Dani *Loffverda* appellantes, alio videntur reſpicere; puta vel ad lotionem publicam, cui illo die vacarent; vel ad nuptiarum contractus poſt nimirum acceptum à *Frea* connubij auſpicium. Vnde &, **Lovbẽ/loffté** & **Bꝛuyloffte** nuptialia apud nos adhuc verba ſunt; & Danis **Troelowelſe** eſt fidei pactum promiſſumque. Germanos ſuum **Sambſtag** ſive **Sabathſtag**/ à *Sabatho* formaſſe ſeculis poſterioribus veriſimile eſt; nam & alias **Sonabend** dicunt, quaſi **Sontags abend.** **Sontag** verò & **Sonatag**/ut eò redeam, non omnes à **Son**/id eſt, *Sole* deducunt, ſed à voce potius **Sonen**, germane Germanica, quę *Iudicare*

 ſignificet.

ſignificet. Nam in Symbolo Apoſtolico, quod edidit veteri idiomate Germanico Cl. v. Marquardus Freherus, **Sonen** ita accipitur illis verbis, **Thana chuimſtic iſt ſonen qhuekhe enti tote**/ id eſt, *unde venturus & judicare vivos & mortuos.* Et Marner verſic. 4: **Es nahet gegen der Suenotage / das Gott will ſuenen alle klage.** Id eſt, *appropinquat dies Dominicus, quo indicaturus eſt deus omnia.* Sed de hoc plura lib. 3. pag. 241 ſupra.

Verum Franci ævo mox ſtatim Clodovei, ipſo præeunte Clodoveo, anno, ut ſupra memoratum, circiter 500, Epiſcopum Remis agente Remigio, relicto paganorum cultu ac moribus, Chriſtum agnoſcere cæperunt: Nec ut Gothi omniſque ille Orientalis Germaniæ populus, Arianis dediti; ſed orthodoxis optimiſque inſtitutis imbuti recta de Deo eiuſque filio crediderunt. Reliquias interim paganiſmi in animis ipſorum & præſertim ferocioribus illis, puta Saxonia & Alemaniæ vicinioribus, hæſiſſe aliquandiu, cum ex Procopij lib. 2. Bell. Goth. tum etiam ex Caroli Magni Synodis & Capitulari ſparſim eſt colligere. Nam eius adhuc ævo neceſſum fuit de arboribus & lucis (de quibus jam ex Tacito & Gregorio Turonenſi diximus) deſtruendis, ex Canonum autoritate agere, ut habet Synodi Francofurtenſis Capitulum 44. In Aquiſgranenſi conventu eodem ſpectantia, item lib. 1 Capitul. 64 hæc inveniuntur: *De arboribus vel petris vel fontibus, ubi aliqui ſtulti luminaria, vel alias obſervationes faciunt, omnino mandamus, ut iſte peſſimus uſus & Deo execrabilis, ubicunque invenitur, tollatur & deſtruatur.* Quod vero ad illam veram & ab Orthodoxis acceptam Francorum

rum fidem attinet, eam Agathias, qui eodem propemodum Clodovei aut filiorum eius ſeculo, Iuſtiniani & ipſorum Francorum Gothorumque in Italia res Græcè conſcripſit, eiuſmodi elogio ad memoriam poſterorum retulit: *Sunt Franci omnes Chriſtiani, & rectiſſimæ inter ceteros de Deo opinionis.*

Vniverſam autem Francorum confeſſionem totiuſque fidei regulam ex perſona ſua loquens literis tunc mandavit Gregorius Turonenſis, quæ eſt eiuſmodi: *Credo in Deum patrem omnipotentem: Credo in Ieſum Chriſtum filium eius unicum dominum Deum noſtrum, natum à patre non factum: non poſt tempora, ſed ante cunctum tempus ſemper fuiſſe cum patre: nec enim pater dici poterat, niſi haberet filium: neque filius eſſet, ſi patrem non haberet: illos vero qui dicunt, Erat quando non erat, exſecrabiliter renuo; & ab eccleſia ſegregari conteſtor. Credo Chriſtum hunc verbum eſſe patris, per quem facta ſunt omnia. Hunc verbum carnem factum credo: cuius paſſione mundus redemptus eſt: & humanitatem non deitatem ſubiacuiſſe paſſioni credo. Credo eum die tertia reſurrexiſſe: hominem perditum liberaſſe. Aſcendiſſe in cælos: ſedere ad dexteram patris; venturum ac judicaturum vivos ac mortuos. Credo ſanctum ſpiritum à patre & filio proceſſiſſe, non minorem & quaſi ante non eſſet, ſed æqualem & ſemper cum patre & filio coæternum Deum, conſubſtantialem natura, æqualem omnipotentia, conſempiternum eſſentia, ut nunquam ſine patre fuiſſe vel filio, neque minorem patrem vel filio. Credo hanc trinitatem ſanctam in diſtinctione ſubſiſtere perſonarum, & aliam quidem perſonam patris, aliam filij, aliam ſpiritus ſancti, in qua trinitate unam deitatem, unam potentiam, unam eſſentiam eſſe confiteor. Credo beatam Mariam, ut virginem ante partum, ita virginem & poſt partum. Credo animam immortalem,*

mortalem, nec tamen partem habere deitatis. Et omnia quæ à trecentis decem & octo epiſcopis Niceæ cōſtituta ſunt credo &c. Hæc Gregorius annum circiter DC. Qui & congreſſus cum Rege Francorum Childerico ad Arianiſmū propendente, diſputationem habuit, quam omnino hic ipſius quoque Gregorij verbis adſcribendam cenſeo:

A.C. ut vulgo putant, 574. *Per idem,* inquit, * *tempus Chilpericus rex ſcripſit indiculum, ut ſancta trinitas non in perſonarum diſtinctione, ſed tantum Deus nominaretur, adſerens indignum eſſe, ut Deus perſona, ſicut homo carneus nominetur; adfirmans etiam ipſum eſſe patrem qui eſt filius, itemque ipſum eſſe ſpiritum, qui pater & filius. Sic inquit prophetis & patriarchis apparuit, ſic eum ipſa lex nunciavit. Cumque hæc mihi recitari juſſiſſet, ait, ſic volo ut tu & reliqui doctores eccleſiarum credatis. Cui ego reſpondi; Hac credulitate relicta, pie rex, hoc te oportet ſequi quod nobis poſt Apoſtolos alij doctores eccleſiæ reliquerunt. Quod Hilarius Euſebiuſque docuerunt, quod & in baptiſmo es confeſſus. Tunc iratus rex ait, manifeſtum eſt mihi in hac cauſa Hilarium Euſebiumque validos inimicos haberi. Cui ego reſpondi; Obſervare te convenit nequo Deum neque ſanctos eius habere offenſos. Nam ſcias quia in perſona aliter pater, aliter filius, aliter ſpiritus ſanctus. Non pater adſumpſit carnem, neque ſpiritus, ſed filius: ut qui erat Dei filius, ipſe ad redemptionem hominis, filius haberetur & virginis. Non pater paſſus, neque ſpiritus ſanctus, ſed filius: ut qui carnem adſumpſerat in mundo, ipſe offerretur pro mundo. De perſonis vero quod ais, non corporaliter, ſed ſpiritualiter ſentiendum eſt. At ille commotus ait, ſapientioribus te hæc pandam, qui mihi conſentiant. Et ego, nunquam erit ſapiens, ſed ſtultus, qui hæc quæ proponis, ſequi voluerit. Ad hæc ille frendens ſiluit. Non poſt multos vero dies adveniente Salvio Albigenſi epiſcopo, hæc ei præcepit recen-*

recenſeri, deprecans ut ſibi conſentaneus fieret. Quod ille audiens ità reſpuit, ut ſi chartam, in qua hæc ſcripta tenebantur, potuiſſet attingere, in fruſtra diſcerpſiſſet. Et ſic rex ab hac intentione inquievit. Hæc idem Gregorius. Et notabile eſt retinuiſſe perpetuo Francos eam ſymboli partem inviolatam, qua dicitur *ſpiritum ſanctum à patre & filio proceſſiſſe*, ut patet vel ex iſto quoque Gregorij ſymbolo, tum & fidei indiculo ſub Carolo Magno in Concilio Arelatenſi recitato. Adeo ut etiam Leo Papa tribus & quod excurrit, ante Carolum ſeculis, Conſtantinopolitanum ſymbolum ſic paſſim legi, & præſertim apud Hiſpanos, voluerit, ut eo nimirum confutarentur Priſcillianiſtæ. Vnde quoque eſt quod habet diſtinctione 1 magiſter ſententiarum, Leonẽ tertium à Carolo Magno rogatum, ut illa verba, *& filio*, ad idem Conſtantinopolitanum ſymbolum etiam Romæ adderetur, non modo id facere penitus recuſaſſe, verum etiam iſtud ipſum ſymbolum abſque eo additamento in argentea tabula exaratum in altari poſt corpus S. Pauli perpetuo cuſtodiri voluiſſe, ne quibuſlibet liberum eſſet, aliquid ad ſanctum ſymbolum ſuperaddere. Poſtea verò cum jam Franci ceteræque Boreales gẽtes his offenderentur, adeo ut periculum ſchiſmatis immineret, quod Romana ſcilicet eccleſia eam doctrinam eamque de ſpiritu Sancto deque filio Dei confeſſionem profiteri renueret, quam ad probandos Catholicos & convincendos hæreticos Magnus Leo tot ante ſecula Hiſpanis tradidiſſet, quam & Franci Chriſtianis ſacris initiati perpetuo retinuiſſent, viſum tandem Benedicto huius nominis ſeptimo Pontifici Ro. ut idem ſymbolum cum hoc eodem additamento in

Vide Binium Tom. 1 Concili ad Concil. Conſtanti.

Eccleſia caneretur.

Et poſtmodum, ſequentibus nimirum poſt Gregorium Turonenſem ſæculis, iterum ſæpiuſque Regum decretis repetita confirmataque fuit pia hæc Chriſtianæ regulæ exemologeſis. Et præſertim ſub annũ 855, Lothario regnante, cum Valencenæ, apud Hannones Belgij, in domo, ut acta habent, Baſilicæ D. Iohannis, trium provinciarum Lugdunenſis, Arelatenſis & Viennenſis epiſcopi conveniſſent; non tantum ſymbolis ſuum robur & autoritas firmata, ſed concepta quoque, præter alia, de *divina præſcientia* & *prædeſtinatione* formula fuit, ad pacem Eccleſiæ, quæ diſſidere & diſputare tunc cœperat, comparata. Eam formulam ad præſcriptum maximè beati Auguſtini & Arauſicani Concilij adverſus Pelagianos, cum jam ſibi & viribus ſuis tribuere nonnulli nimium inciperent, celebrati, fuiſſe conſtitutam ipſa ſatis acta indicant, in quibus, præter cetera, hæc leguntur:

Baron. ad ann. 848.

De Dei præſcientia & prædeſt. Synodus Lotharij.

1. *Deum præſcire & præſciſſe æternaliter, quæ fiunt, & bona, quæ boni erant geſturi: & mala, quæ mali erant facturi, Dan. 13.* Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiunt.

2. *Deum bonos præſciſſe omnino per gratiam ſuam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos præſciſſe per propriam malitiam malos futuros, & per ſuam iuſtitiam æterna ultione damnandos, iuxta Pſal. 6.* Quia poteſtas dei eſt & miſericordia ut reddat cuique ſecundum opera ſua.

3. *De prædeſtinatione autem, iuxta Apoſtolicam autoritatem, quæ dicit*; an non habet poteſtatẽ figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud verò in con-

contumeliam, *hac ſtatuerunt:*

Eſſe prædeſtinationem electorum ad vitam: & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in electione ſalvandorum, miſericordiam dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere iuſtum dei iudicium.
4. Prædeſtinatione autem Deum ea tantum ſtatuiſſe quæ ipſe vel gratuita miſericordia, vel iuſto iudicio facturus erat, ſecundum ſcripturam dicentē, Qui fecit, quæ futura ſunt: *in malis vero ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt.*

In his unanimis quidem erat epiſcoporum conſenſus, quamvis inter eoſdem fuiſſe etiam nonnullos Hincmarus indicat, quibus licet non plane alius, ſaltem preſſior de eiſdem ſententia fuit. Præter ceteros Godeſchalci & Ratrarij monachi, necnon epiſcoporū aliquot, cum Godeſchalco & Ratrario facientium, idem Hincmarus meminit. Et Flodoardus de Hincmaro deque negotio hoc toto agens ait, maximum volumen de prædeſtinatione Dei & libero arbitrio contra Godeſchalcum & Ratrarium monachum Corbienſem ab Hincmaro collectum. Quapropter haudquaquam præter rem exiſtimo, ſi articulos illos eiuſdem Godeſchalci, cuiuſmodi ab Hincmaro citantur, hic ſubijciam. Ita enim habent:

Godeſchalci poſitiones de prædeſtinatione anno 848.

1. Dicit id quod antiqui Prædeſtinatiani etiam dicebant: Quod ſicuti Deus quoſdam prædeſtinavit ad vitam æternam; ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinavit.
2. Quod Deus non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed duntaxat eos, qui ſalvantur. Nam ſi omnes non ſalvantur, quos Deus vult ſalvari, non omne fecit, quod voluit. Quod ſi velit id quod poteſt facere, non eſt omnipotens: at eſt, & iuxta

ſcripturam, omnia quæcunque voluit Deus fecit in cælo & in terra, *ergo &c.*

3 *Quod Ieſus Chriſtus non ſit crucifixus neque mortuus pro redemptione totius mundi, id eſt, pro ſalute omnium hominum, ſed tantum pro his qui ſalvantur.*

4 *Inſuper idem Godeſchalcus dicit: abſit velim non ſolum dicam cogitare, verum etiam ſemel muſſitare, quod ſerpens antiquus ad ſe rapere poſſit unum eorum, pro cuius redemptione Deo patri ſuo Dominus ſanguinem ſuum pretioſum effudit, amen.*

5 *Et alloquens Deum dicit: Quare manifeſtum eſt, nullum eorum perire, qui ſanguine tuæ crucis redemptus eſt.*

Hæc de Godeſchalci, quod ad Dei prædeſtinationẽ, ſententiâ & theſibus Hincmarus. Quæ, vel ideo unà cum actis Synodi ſuperiorib. adducẽda prolixius duxi, ut noſtros & mores & ſeculum in illo veteri quodammodo recognoſceremus. Quod autem infert Hincmarus idem aſſeruiſſe Godeſchalcum quod antiqui olim Prædeſtinatiani; penes lectorem iudicium eſto, an ex citatis id colligi poſſit. Proſper enim Pithæanus qui ad annum 414 commemorat, *ex libris Auguſtini malè intellectis, ortam Prædeſtinatorum*, vel ut hic habetur, *Prædeſtinatianorum hæreſim*; quos ità dictos Sigebertus notat, quod nec piè viventibus prodeſſe bonorum operum laborem, ſi à Deo ad interitum forent prædeſtinati: nec impijs obeſſe, quod improbè viverent, ſi prædeſtinati ad vitam eſſent, ſtatutum haberent, rogo an tale quid habeant Godeſchalci poſitiones? Nam quod idem Godeſchalcus quemadmodum prædeſtinationem ad vitam æternam; ſic etiam ad mortem æternam eſſe prædeſtinationẽ aſſeveret, quæſo quid eo ponit, quod Auguſtinus (ad cuius ſententiam, quod

ad

ad hunc articulum attinet, conſtitutam ſuperiorem Synodum modò indicavimus) ſimiliter non dixerit? Sunt enim diſerta Auguſtini verba de Civitat. dei lib. 22. cap. 24. *Quid dabit eis, quos prædeſtinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædeſtinavit ad mortem?* Item, de perfecta Iuſt. *Hoc bonum, quod eſt requirere Deum, non erat qui faceret, non erat uſque ad unum, ſed in genere hominum, quod prædeſtinatum eſt ad interitum.* Hunc *interitum* & *mortẽ* alibi, ut tract. 48 in Ioh. *ſempiternum interitum* appellat; alibi, ut ad Duſcitium Epiſt. 61, *pœnas extremas* dicit:. Et denique Tract. 107 ad illa verba: *Non periijt, niſi filius perditionis, filium perditionis* interpretatur *perditioni deſtinatum.* Vt itá qui ſcrupulum hîc verbis Godeſchalci inijciunt, merito id facerent, ſi ad culpam aut ad peccatum prædeſtinatos dixiſſet. Prædeſtinati itaque dicuntur reprobi ad interitum, id eſt, pœnam, non ad culpam; ad ſupplicium, non ad delictum; ad fines non ad media; ad Dei gloriam illuſtrandum, & ſempiterum interitum ſuis ipſorum meritis debitum, non ad peccatum. Quo poſito, nos ad ſobrietatem ſapientes eſſe atque obtinere in iſtis Dei ſolum *bene-placitum ſolamque divinam voluntatem magis agno- *Luc. 12. ſcamus, quam cauſas beneplaciti ac voluntatis eiuſdẽ 32. item curioſius rimemur: idque iuxta Apoſtolum, qui huc Eph. 1. 9 reſpiciens nihil inquirendum *ultra divinam revelationem*, ſed exclamandum hîc potius habuit: *O abyſſus divitiarum & ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Rom. 11.

CAP. II.

AGATHIÆ DE FRANCORVM IN genere inſtitutis ac moribus, cum circa ſacra tum propha- na, teſtimonium ac verba poſita; & dicendorum ex ijs ordo collectus.

VErum Agathiæ ſuperius nobis laudati verba cum prolixius eodem loci habeantur, nec ea ſolum, quæ Chriſtianam Francorum pietatem externaque exercitia ſpectant, ſed & alia, ut gentis primogenia inſtituta, politiam, leges, habitus, mores, cõſvetudines, armaturam, linguam ceteraque ſimilia uno quaſi complexu proponant, operæ pretium facturus
Lib. 1. hiſtor. reor ſi & illa huc advocavero, ut ità accuratius & per partes exinde in ſingulis procedat oratio. Ait itaque Agathias: *Sunt Franci non, ut fere barbarorum plerique, nomades & vagi, ſed & politia, ut plurimum, utuntur Romana*
Politia. *& legibus ijſdem; eandem etiam contractuum & nuptiarum rationem & divini numinis cultum tenent. Chriſtiani enim*
Religio. *omnes ſunt rectiſsimeque de Deo ſentiunt. Habent & magiſtratus in urbibus & ſacerdotes: feſta etiam perinde atque nos celebrant, & pro barbara natione valde mihi videntur civiles & urbani; nihiloque à nobis differre, quam ſolummodo barbarico*
Lingua. *veſtitu & linguæ proprietate. Ego certe eos cum ob alia, quibus præditi ſunt bona, tum vero ob mutuam inter ſe iuſtitiam & concordiam, ſummopere miror. Frequenter enim jam & olim & mea ætate, modò inter tres, modò inter plures diviſo ipſis impe-*

imperio, nunquam adverſus ſeſe mutuo bellum moviſſe, neque civili ſanguine patriam inquinaſſe conſtat. Atqui ſit fere ubi magni ſunt exercitus, æqualis aut dubiæ inter ſe potentiæ, ibi etiam ut animi elatiores inflatioreſque evadant, & ambitioſæ æmulationes, & de primo honoris gradu contentiones aliíque innumeri affectus tumultibus & ſeditionibus gignendis aptiſſimi ſuboriantur; apud illos tamen, tametſi in quam plurimos principatus eos eſſe diviſos contingat, nihil tale uſu venit: Sed ſi quæ forte inter principes oriatur controverſia, omnes quidem aciem inſtruunt tanquam ad bellandum remque armis decernendam: Deinde ſimul conveniunt; conſpicatæ vero ſeſe utrimque copiæ, ſtatim abiecta offenſione, ad concordiam redeunt, jubentque ut principes jure potius controverſias decernant; Sin minus, ut ſingulari inter ſe certamine agant, & ſuorum ipſimet capitum periculum adeant. Neque enim æquitati aut PATRIÆ CONSVETVDINI *conſentaneum cenſent, ut privatæ ipſorum ſimultatis cauſa publicum labefactetur ac ſubvertatur. Confeſtim itaque & exercitum ſolvunt & arma deponunt, paceque redintegrata tutò rurſus inter ſe commeant, ſublatis e medio difficultatibus. Adeo apud illos ſubditi ſunt iuſtitiæ & patriæ ſtudioſi, principes vero, ubi opus eſt, placidi & obſecundantes. Idcirco utique firmam degunt habentes potentiam, iiſdem legibus utentes, ſua tutantes nihilque amittentes, quam plurima verò acquirentes. Iuſtitia enim & amicitiæ ubi vigent, beatam firmamque efficiunt rempublicam, & nequaquam hoſtibus expugnabilem. Franci itaque hoc modo optime vitam ſuam inſtituentes & ſibi ipſis & finitimis imperant; Filiį patribus in regnum ſuccedunt. Eo tempore quo Gothi legationem ad eos miſerunt, tres ipſis erant principes. neque vero abs re facturus mihi videor, ſi paulo altius repetito genere, breviſſimeque enarratis iis qui antea eos rexerunt, in iis qui eo tempore imperabant digreſſionis finem*

Duella.

Æquitas & iuſtitia.

Succeſſio.

ſinem fecero. Childebertus *quidem &* Lotharius, *præterea vero* Theodoricus *&* Chlotomerus *germani fratres fuerunt. Hi mortuo patre Chlotoao in quatuor partes regnum partiti, ſecundum urbes & populos, ita ut æquas ſinguli portiones, ut arbitror, acciperent. Non multo poſt tempore* Chlotomerus *adverſus Burguſiones exercitum aucens in ipſo prælio, pectus iaculo ictus, interijt. Quo humi jacente Burguſiones promiſſam illius laxamque comam & ad ſcapulas uſque pertingentem conſpicati, confeſtim intellexerunt ſe ducem hoſtium interfeciſſe.*

Reges intonſi.

Solemne eſt Francorum regibus nunquam tonderi: ſed à pueris intonſi manent. Cæſaries tota, decenter eis in humeros propendet. Anterior coma è fronte diſcriminata in utrumque latus deflexa. Neque vero quemadmodum Turcis & Barbaris impexa ijs & ſqualida ſordidaque eſt coma, vel complicatione indecenter cirrata, ſed ſmigmata varia ipſi ſibi adhibent, diligenterque curant: idque veluti inſigne quoddam eximiaque honoris prærogativa regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur. Et libro exinde ſecundo ſtatim ſub initium: *Vilis eſt &*

Armatura.

neglecta Francicæ nationis armatura, quæque varijs opificibus non indigeat, ſed facile ab ipſis qui ea utuntur, ſi quid forte fractum fuerit, refici poteſt. Loricas enim & ocreas non norunt. Capita pleriq; eorum non muniunt, pauci vero galeis tecti pugnãt. Pectoribus & tergoribus ad lumbos uſq; ſunt nudis, unde braccis ſeu femoralibus alij lineis, alij coreaceis cincti tibias cooperiunt. Equis vero non utuntur, niſi admodum paucis, quippe qui ad pedeſtrem pugnam, quæ ipſis familiaris patriaque eſt, optimè ſint exercitati. Enſis femori, & ſcutum ſiniſtro lateri appendet: arcubus aut fundis, vel alijs telis quæ eminus jaciuntur, non utuntur; ſed ancipitibus ſecuribus & angonibus, quibus præcipue rem gerunt. Sunt vero angones

ἀγγῶνας haſta quadam neque admodum parva, neque admodum magna, ſed & ad iactu feriendum ſicubi opus fuerit, & ubi cominus collato pede confligendum eſt impetuſque faciendus, accommodata. Hæ pleraque ſui parte ferro ſunt obducta, ita ut parvarum ligni laminis ferreis nudum conſpiciatur, atque adeo vix tota ima haſta cuſpis. Supra vero ad extremitatem ſpiculi, adunci quidam mucrones utrimque prominent, ex ipſo ſpiculo inſtar hamulorum inflexi, & deorſum vergentes. In conflictu itaque Francus miles hunc angonem jacit; quod quidem ſi corpori inflictum adigitur quidem intro, uti veriſimile eſt cuſpis; neque is qui ictus eſt facile telum evellere poteſt, obſtant enim acuminati illi hamuli altius carni inhærentes, & acerbos cruciatus excitant, adeo ut etiam ſi hoſtem nequaquam lethale vulnus accepiſſe contingat, ex eo tamen intereat. Si vero ſcuto impactū fuerit, ſtatim ex eo propendet & circumagitur, infima ſui parte ſolum verrens & verſans. Is vero qui ictus eſt, neque enſe amputare, quod nimirum ad lignum pertingere non poſſit, ferreis laminis quibus id obductum eſt obſiſtentibus; quod ſimulac viderit Francus, confeſtim pede inſultat, & proculcans imā haſtam, ſcutum pondere ſui corporis deprimit, ita ut, geſtantis manu ſeſe non nihil laxante ac remittente, caput & pectus nudentur. Tum ille nudum hoſtem neque munitum nactus facile trucidat, ſive ſecuri frontem feriens, ſive alia haſta jugulum trajiciens. Ac talis quidem eſt Francorum armatura. Hactenus Agathias. Quæ ut diſtinctius ob oculos proponi poſſint, ante omnia ad rem divinam ſpectantia, prout cæpimus, exſequi conſilium eſt. Cum enim ſuperiori Capiti quænam univerſæ genti, poſtquam agnoſcere Chriſtum cæpiſſet, in ijs quæ rectum atque internum de Deo ſenſum tangunt, ſententia fuerit, ſic ſatis, & quantum propoſito ſufficere putavimus, de-

monſtratum ſit, conſequens eſt, ut ea etiam, quæ in cultu externo verſantur, & quænam eidē de præcipuis opinio & praxis exſtiterit, dilucidius aperiamus. Idq; ut ordine fiat, omnium, quæ huc pertinere videbūtur, *tres* præcipue *Claſſes* ſunto. Quarum *prima*, loca, ut vocant, ſacra continebit; *Secunda*, de Perſonis aget; *Tertia* & ultima, Ceremoniarum ritus ediſſeret: Atque inde ad Politiæ ac Magiſtratus rationem ceteraque progreſſi ſuo unumquodque loco reddemus.

CAP. III.

DE MONASTERIIS AC LOCIS ſacris: Francorumque circa eadem ſtudium ac cultus: Quid etiam ſimile aut diſſimile noſtris moribus habuerint.

FRancorum veterum cuiuſmodi circa divina externa & primo quidem circa eccleſias ac monaſteria cura ac ſtudium fuerit, ut rite pertexatur, hoc ex ſuperioribus Agathiæ verbis repetendum, quod Francos eundem cum Romanis divini numinis cultū habuiſſe referat; intelligens nimirum eos, poſtquam è Francia ſua Rhenum tranſgreſſi longius exinde à ripa Galliam intraſſent, devictæ gentis conſvetudine ac moribus cultiores paulatim civilioreſque redditos,

ac

ac Remigio demum adhortatore, quem Remis epiſcopatu tum functum diximus, ad Chriſti fidem ac religionem, quam toties antea ac tantopere dum è Gallia profligandis Romanis incumbunt, affecerant, cõverſos fuiſſe: Gallos enim multis jã ante annis Chriſtiana ſacra à Romanis & è Græcia accepiſſe vel Irenæus eſſe teſtis poteſt, qui eccleſiarum cis Rhenum meminit, ipſe Lugdunenſis Celtarum Epiſcopus: Et notum eſt D. Hieronymum Stridonenſem multo tempore Treveris egiſſe, priuſquam Franci è Germania & ſuis ſedibus moviſſent. Clodoveo igitur, clariſſimo principe, à Remigio, ut memoratum, cum ſuis baptizato, ſumma ope defendere ac promovere res eccleſiæ Franci cæperunt, neque non & authores exinde fuerunt ſuſcipiendæ religionis nõ modo Alemanis, quos devicerant, ſed Boiarijs etiam, Saxonibus & Toringis alijſque Germaniæ populis, qui partim provincias occuparunt, partim ſuas ſeſe intra ſedes continuerũt. Quin & elogia & acclamationes, quibus gaviſi, nullas potiores duxere, quam quibus profeſſi Catholicam fidem demonſtrarentur. Exſtant hodieque in legum Salicarũ proloquio bina eiuſmodi è vernaculo haud dubiè Francorum idiomate hunc in modum utcunque à ſcribis reddita:

GENS FRANCORVM INCLYTA: AVTHORE DEO CONDITA. FORTIS IN ARMIS: FIRMA PACIS FOEDERE PROFVNDA CONSILIO, CORPORE NOBILIS ET INCOLVMIS, CANDORE ET FORMA EGREGIA, AVDAX VELOX ET ASPERA, NVPER AD CATHOLICAM FIDEM CONVERSA, IMMVNIS AB HÆRESI.

Et ſtatim ibidem:

VIVAT QVI FRANCOS DILIGIT. DEVS EORVM REGNVM CVSTODIAT ET RECTORES DE LVMINE SVÆ GRATIÆ REPLEAT. EXERCITVM PROTEGAT, FIDEI MVNIMINA TRIBVAT, PACIS GAVDIA ET FELICITATIS TEMPORA DOMINANTIVM DOMINO IESV CHRISTO ASPIRANTE CONCEDAT.

Hanc deinde in rem religionis pietatem atque impenſum ſtudium etiam re atque opere demonſtratum reliquerunt: Et extra controverſiam eſt, vix ullam gentem in illa duritie barbarieque ſeculorum eccleſijs ornandis fovendiſque plus Francis impendiſſe. Veterum enim eccleſiarum provincialium circa Rhenum & Danubium quaſdam reſtaurarunt amplis cenſibus additis, quaſdam è fundamentis novas exædificarunt, nihil minus donatas & ornatas quam illas priores. Ex reſtauratis præcipuè cenſentur Colonienſis, Treverenſis, Magunciacenſis & Auguſta Vindelicorum. Acceſſit poſtremum & cœnobiorum ac monaſteriorum ſtudium. Prima, ut plures exiſtimant, Eccleſiarum Latinarum Europæ provincia Gallia cænobia vidit, quum imperante Theodoſio iuniore Iohannes cognomento Caſſianus duo monaſteria, ut habet Gēnadius Maſſiliæ condidiſſet annum circiter CCCCXL. Quamvis antea Epiſcopus Turonenſis Martinus collectis

lectis diſcipulis aliquam monaſticæ diſciplinæ regulã tradidiſſet circiter annum ſalutis CCCLXXXIV. Poſtea cum jã in Gallias præter Francos Gothi, Burgundiones aliæque nationes confertim irruiſſent, refrixit non nihil id ſtudij; dum tandem Clodoveus Chriſtianiſmum, ut diximus, profeſſus cæpto monachiſmo non defuit, qui & in Alemania à ſe devicta & magnam partem ſubiugata, propagandæ fidei ergò monaſteria inſtituit, domos ſcilicet, in quibus regijs donationibus fovebantur, qui verbo domini rudes adhuc & feras gentes ad fidem Chriſti cohortarentur: Fuiſſeque eas domos primis illis ſeculis, ut plurimum, ligneas ſine omni ſuperflui ornatus cura nec magna ſtructuræ elegantia, præter Eugippum in vita S. Severini, ubi eiuſmodi ædis mentio, etiã Egmondanum Hollandiæ primum monaſterium indicio ſit, quod anno demum 970, curante Theodorico, comite eius nominis ſecundo, ex ligneo lateritium eſt redditum. Nec alia templa dijs ſuis exſtruxiſſe olim Germanos Vellei fragmentum à Goldaſto editũ oſtendit. Ibi enim de Ciſa deâ Auguſtæ Vindelicorum cultâ hæc verba reperiuntur: *Cuius templum ex lignis Barbarico ritu conſtructum*; Barbarico ritu, id eſt, Germanico. Poſt deinde Clodoveum annis plus minus xxx, ſub Iuſtiniano Imp. emerſit in Italia S. Benedictus, monachorum archiſtrategus; Qui & monaſterijs omnia ubiq; replevit, quãvis in legibus etiamnum Iuſtinianeis *Xenodochiorum*, *Noſocomiorum*, *orphanatrophiorum*, *gerontocomiorum* ſimiliumque, verè piarum ædium (de quibus nos* alibi) crebrior fere, quam *monaſteriorum*, occurrat mentio. adeò ut re ipſa nõ tam monaſteria, quàm Xenodochia

* Libro de Rebus Amſt.

tunc adhuc fuiſſe videantur; cum & cænobijs & ijſdem ſæpenumero conſeptis incluſa pauperum erant hoſpitia, quæ & hoſpitalia durante adhuc hodie vocabuli memoria appellabant. Et ut formam primorum in Gallijs cænobiorum veluti ſub exemplo intueamur libet addere Gregorij Turonenſis verba de S. Aredio, qui ipſo adhuc Clodoveo ſuperſtite & poſtmodum etiam aulicus Palatinus ſub Theodoberto claruit: Is inquam Turonenſis hunc Aredium ait *ex familia* Lib. 10. cap. 29. *propria* (ſunt Gregorij formalia) *tenſuratos inſtituiſſe monachos cænobiumque fundaſſe, in quo non modò Caſſiani verum etiam Baſilij & reliquorum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere* (*Aredij nimirum matre, Pelagia nomine*) *victum ac veſtitum ſingulis miniſtrante*. Quibus in verbis quod Baſilij mentio habeatur, ſciendum monachiſmi quidem in Græcia authorem extitiſſe doctiſſimum & ſolitudinis amantiſſimum virũ, ſed haud alia de cauſa eiuſmodi inſtituto faviſſe, quam quod ſacrarũ literarum ſtudium dignum iudicarit, quod otio ſilentioque ac ſeceſſu excoleretur. Vt certo *hinc argumento conſtet monaſteria ac cænobia illis ſeculis fuiſſe, quod noſtris Gymnaſia ſunt & Academiæ Principum liberalitate fundatæ. Proinde ex monaſterijs veluti ex quodam ſeminario legi & aſſumi ad eccleſiaſtica munera conſveverant viri, qui inter omnes probatiſſimæ vitæ & eruditionis habebantur, ut docemur vel ex Auguſtino ad Aurelianum. Vocati autem ad eccleſiæ miniſterium monaſticum inſtitutum officiumq; deſerebant, quo maiori præſtantiorique muneri vacarent. Monachus enim non docentis tunc, ſed diſcentis, & ut Hieronymus

*Vide Epiſ. Baſ. de vita ſolit.

loqui-

loquitur, plangentis habere officium credebatur. Quo facit Sidonij in obitum Claudiani Mamerci Epiſcopi Epicedium, etiam alibi nobis laudatum, in quo hæc habentur: Adverſus Vigilant.

Hoc dat ceſpite membra Claudianus
Triplex Bibliotheca quo magiſtro
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit:
Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit inſtitutione.

Et ut ſemel conſtet quàm fuerint primis illis temporibus monaſteria non otij, ut hodie, ſed honeſtarum artium & verè litterarum ac laborum Gymnaſia, vel inde colligi poteſt, quod ipſa loca aſciteria & monachi chironacti Græcis vocitati ſint, quod manuum etiã labore nonnulli victum quærere tenebantur. Vnde illud Auguſtini Pſal. 99. *In illa vita communi fratrum, quæ eſt in monaſteria magni viri ſancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei vivunt, cum lectione illis res. Laborant manibus ſuis.* Et clarius poſtmodum imperator Iuſtinianus: *Duabus potiſſimum rebus operam & diligentiam reponere oportet monachos, ut aut ſacris vacent ſcripturis, aut, quas manuarias vocare ſolent artes decenter meditentur exerceantque. Siquidem mens inerti otio dedita haudquaquam ſine quidquam bonorum operum pepererit.* Novell. 133. cap. ult.

Nec abſimile vero videtur ea præſertim diſciplinæ ſeveritate ac profeſſionis conditione factum, ut & criminoſorum latibula, & veluti ergaſtula, ipſa haud raro monaſteria antiquitus fuerint, regibus etiam & epiſcopis raſis & intruſis, qui vel mentis inopia, vel animi Criminoſorum carceres monaſteria.

libidine

libidine facinus aliquod deſignaſſent, aut indigni eſſent judicati, qui publicæ rerum adminiſtrationi præeſſent. Sic enim intruſi perinde atque in exilium relegati, aut in inſulam deportati habebantur. Pipinus Caroli Magni filius, ante Carolomannus dictus, quum adverſus patrem conſpiraſſet, ſcelere tandem detecto, per iudicem attonſus & in monaſterium detruſus fuit: Quemadmodum & Thaſſilo Boiariorum princeps, regnante eodem Carolo, in publicis comitiis læſæ maieſtatis accuſatus & convictus, quum capitali ſententia damnatus eſſet, Carolo demum miſerante (frater enim conſobrinus erat) unà cum filio Theodone detonſus in monaſterim amandatus eſt. Et exſtant apud Gregorium Turonenſem exempla hiſce multò vetuſtiora. Et ipſe poſtmodum Iuſtinianus quoque Novell. 134 ſancit mulierem adulteram in monaſterium mittendam.

Capitul. lib. 1. cap. 140. Aſyla. Porro ut erant hoc pacto veluti carceres monaſteria, ſic ex adverſo & aſyla & refugia facinoroſis præter monaſtria etiam eccleſias fuiſſe, annuentibus Francorum regibus, conſtat. Cuius origo à Romulo repetenda videtur, qui ad exemplum Cadmi Thebani ut quam ocyſſime urbem civibus repleret, locum conſtituit, ad quem quiſquis etiamſi ſceleratus confugiens ab omni pœna tutus eſſet: ut inde fortaſſis obtinuerit, quod tanta ubique gentium dignatione templa fuerint. Nam & Iudæi & ſacræ literæ aſyla agnoverunt, ſed eiuſmodi tamen quæ illis tantũ perfugio fuere, qui delicta nõ voluntaria commiſiſſent; cuiuſmodi* Moſes ex tribus, quas condiderãt urbibus conſtituiſſe legitur: Et Tacitus Græcorum exceſſum ac nimiam licentiam

*Exod. 21. 13. Num. 35. 11.

hoc

hac parte reprehendens habet Annalium 3. digna quæ hic legantur: *Crebreſcebat*, inquit, *Græcas per urbes licentia atque impunitas aſyla ſtatuendi. Complebantur templa peſſimis ſervitiorum. Eodem ſubſidio obærati adverſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum ſatis validum imperium coercendis ſeditionibus populi, flagitia hominum ut ceremonias deûm protegentis. Igitur placitum ut mitterent civitates jura atque legatos: Et quædam, quod falſo uſurpaverant ſponte omiſere. Multæ vetuſtis ſuperſtitionibus, aut meritis in populum Romanum fidebant, &c.* At Romani pontifices, ut authoritatem ſacris ædibus magis magiſque circumponerent, ad modum Romuli illamque Græcanicarum urbium ſuperſtitionem promiſcuis etiam ſceleribus hanc impunitatem ſancivêre. Et aſſenſi impenſo promovendæ pietatis ſtudio Francici Reges &, præter ceteros, Clodoveus primus Francorum Chriſtianus Rex: ad quem reſcriptum exſtat Concilij Aurelianenſis, in quo, præter alia, ſancitum habetur de homicidis, adulteris & furibus, ſi ad eccleſiam confugiſſent, quod ab atrijs eccleſiæ vel domo Epiſcopali abſtrahere eos haud liceret. Sequentes tamen exinde reges hiſtoriæ & leges latæ indicant haud perpetuo id obſervaſſe, præſertim ſi jurejurando quiſpiam aut aliàs adverſum principem aut magiſtratum conſpiraſſet. Ius enim Comiti fuit in vincula eiuſcemodi repoſcere, etiamſi ad eccleſias monaſteriave confugiſſent, triginta ſolidorum pæna in eos decreta, qui poſtulatos confeſtim non reddidiſſent. Quod ſi elapſi fuiſſent, juramento ſe præſides purgabant, quod nihil eſſet dolo malo reis indultum. Si collecta manu Comiti perquirenti

repugnatum eſſet, pœna erat ſexcentorum ſolidorum. Obſervandum etiam, illo ſeculo *eccleſias* rariſſimè *templa*, ſed *baſilicas* pæne ſemper nuncupatas. Ipſi Franci è Græco ac Latino idiomate detorta voce, modo **Kyrch** modò **Dom**/appellitare conſveverant, ut patet ex verbis Valefridi Strabonis, ubi ait: *ab ipſis Græcis* **Kyrch** · *κύριος & alia multa accepimus: ſicut enim* domus Dei, Baſilica, *id eſt*, regia à rege, *ſic etiam* Kyrica, *id eſt*, Dominica à domino *nuncupatur, quia Domino dominantium & regi regum in illa ſervitur.* Omnium vetuſtiſſimum eſt, quod apud Otfridum occurrit Francorum vernaculum vocabulum, **Druthines haus**/quod ſimiliter tunc valebat, *Domini domus:* Nam **Druthin**, quod hodieque Iſlandi retinent, Franci tunc pro *domino* frequentabant. **Dom** autem ſive *Thum*, quod dixi, hodieque plures in Germania vulgo uſurpant, manifeſto à *Dominico* Latinorum per contractionem derivatum. Quo & Cyprianus uſus eſt libro de Elemoſynis; *In Dominicum ſine ſacrificio venis.* Et laudat quoque Itinerarium quoddã Hieroſolymitanum in Notis ad Symbolum Alemanicum V. C. Marquardus Freherus, ubi hæc habentur: *Ibidem juſſu Conſtantini Imp. Baſilica facta eſt, id eſt, dominicum miræ pulchritudinis.* Ammianus Marcellinus ſcriptor gentilis, oblata Chriſtianorum mentione, *templa* eorum perpetuo fere *eccleſias* nominat; Hieronymus *Baſilicas*, *templi* vocem diſerte abominans, ut gentium propriam. Verba ſunt eius adverſus Vigilantium, iſta: *Angeli, qui candidis veſtibus utebantur, mortuo cadaveri atque polluto præbebant excubias, ut poſt multa ſecula Dormitantius ſomniaret, imo eructaret immundiſſimam crapulam, & cum Iuliano perſecutore ſanctorum Baſilicas aut diſtrueret aut*

in

in templa converteret. Et ante Hieronymum Tertullianus quoque ſatis teſtatur ſuo ævo *Domum Dei & eccleſias* non *templa* appellaſſe Chriſtianos, cum inquit lib. de Idol. cap. 7: *Tota die ad hanc partem Zelus fidei perorabit ingemens Chriſtianum ab idolis in eccleſiam venire; de adverſarij officina in domum Dei.* Quem ſecutus Zeno Veronenſis Serm. in Pſal. 126, laudante Heraldo ad Arnobium: *Conventus eccleſiarum, conſvetudo noſtra domum Dei ſolita eſt appellare.*

Monaſterium unius monachi, id eſt, ſolitarij habitatio proprie dicebatur; ſicuti plurium, & in commune viventium, *Cænobium*. Nunc promiſcue & indifferenter utrumque vocabulum accipi uſus obtinuit. Vtraque, & monaſteria & eccleſias, primo illo Francorum ævo ſolius principis conſenſu & approbatione fundata atque excitata reperio. Reditus & opes huc ſpectantes Carolus Martellus ita diſpertiri ac dividere erat ſolitus, ut epiſcopis & Abbatibus tantum ſupereſſet, quantum ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium erat. Quam tamen conſvetudinem abolevit, atque antiquavit Carolus Magnus facto decreto quod exſtat apud Anſegiſum lib. 1. cap. 83. Martellus fortaſſe illud Pauli 1. Timoth. 6 aſpexiſſe videtur: *Habentes victum & tegumentum his contenti ſimus.*

monſtratum ſit, conſequens eſt, ut ea etiam, quæ in cultu externo verſantur, & quænam eidē de præcipuis opinio & praxis exſtiterit, dilucidius aperiamus. Idq; ut ordine fiat, omnium, quæ huc pertinere videbūtur, *tres* præcipue *Claſſes* ſunto. Quarum *prima*, loca, ut vocant, ſacra continebit; *Secunda*, de Perſonis aget; *Tertia* & ultima, Ceremoniarum ritus ediſſeret: Atque inde ad Politiæ ac Magiſtratus rationem ceteraque progreſſi ſuo unumquodque loco reddemus.

CAP. III.

DE MONASTERIIS AC LOCIS ſacris: Francorumque circa eadem ſtudium ac cultus: Quid etiam ſimile aut diſſimile noſtris moribus habuerint.

FRancorum veterum cuiuſmodi circa divina externa & primo quidem circa eccleſias ac monaſteria cura ac ſtudium fuerit, ut rite pertexatur, hoc ex ſuperioribus Agathiæ verbis repetendum, quod Francos eundem cum Romanis divini numinis cultū habuiſſe referat; intelligens nimirum eos, poſtquam è Francia ſua Rhenum tranſgreſſi longius exinde à ripa Galliam intraſſent, devictæ gentis conſvetudine ac moribus cultiores paulatim civilioreſque redditos,

ac

ac Remigio demum adhortatore, quem Remis epiſcopatu tum functum diximus, ad Chriſti fidem ac religionem, quam toties antea ac tantopere dum è Gallia profligandis Romanis incumbunt, affecerant, cõverſos fuiſſe: Gallos enim multis jã ante annis Chriſtiana ſacra à Romanis & è Græcia accepiſſe vel Irenæus eſſe teſtis poteſt, qui eccleſiarum cis Rhenum meminit, ipſe Lugdunenſis Celtarum Epiſcopus: Et notum eſt D. Hieronymum Stridonenſem multo tempore Treveris egiſſe, priuſquam Franci è Germania & ſuis ſedibus movisſent. Clodoveo igitur, clariſſimo principe, à Remigio, ut memoratum, cum ſuis baptizato, ſumma ope defendere ac promovere res eccleſiæ Franci cæperunt, neque non & authores exinde fuerunt ſuſcipiendæ religionis nõ modo Alemanis, quos devicerant, ſed Boiarijs etiam, Saxonibus & Toringis alijſque Germaniæ populis, qui partim provincias occuparunt, partim ſuas ſeſe intra ſedes continuerũt. Quin & elogia & acclamationes, quibus gaviſi, nullas potiores duxere, quam quibus profeſſi Catholicam fidem demonſtrarentur. Extant hodieque in legum Salicarũ proloquio bina eiuſmodi è vernaculo haud dubiè Francorum idiomate hunc in modum utcunque à ſcribis reddita:

GENS FRANCORVM INCLYTA: AVTHORE DEO CONDITA. FORTIS IN ARMIS: FIRMA PACIS FOEDERE. PROFVNDA CONSILIO, CORPORE NOBILIS ET INCOLVMIS, CANDORE ET FORMA EGREGIA, AVDAX VELOX ET ASPERA, NVPER AD CATHOLICAM FIDEM CONVERSA, IMMVNIS AB HÆRESI.

Et ſtatim ibidem:

VIVAT QVI FRANCOS DILIGIT. DEVS EORVM REGNVM CVSTODIAT ET RECTORES DE LVMINE SVÆ GRATIÆ REPLEAT. EXERCITVM PROTEGAT. FIDEI MVNIMINA TRIBVAT, PACIS GAVDIA ET FELICITATIS TEMPORA DOMINANTIVM DOMINO IESV CHRISTO ASPIRANTE CONCEDAT.

Hanc deinde in rem religionis pietatem atque impenſum ſtudium etiam re atque opere demonſtratum reliquerunt: Et extra controverſiam eſt, vix ullam gentem in illa duritie barbarieque ſeculorum eccleſijs ornandis fovendiſque plus Francis impendiſſe. Veterum enim eccleſiarum provincialium circa Rhenum & Danubium quaſdam reſtaurarunt amplis cenſibus additis, quaſdam è fundamentis novas exædificarunt, nihil minus donatas & ornatas quam illas priores. Ex reſtauratis præcipuè cenſentur Colonienſis, Treverenſis, Maguntiacenſis & Auguſta Vindelicorum. Acceſſit poſtremum & cœnobiorum ac monaſteriorum ſtudium. Prima, ut plures exiſtimant, Eccleſiarum Latinarum Europæ provincia Gallia cœnobia vidit, quum imperante Theodoſio iuniore Iohannes cognomento Caſſianus duo monaſteria, ut habet Gẽnadius Maſſiliæ condidiſſet annum circiter CCCCXL. Quamvis antea Epiſcopus Turonenſis Martinus col-

lectis

lectis diſcipulis aliquam monaſticæ diſciplinæ regulã tradidiſſet circiter annum ſalutis CCCLXXXIV. Poſtea cum jã in Gallias præter Francos Gothi, Burgundiones aliæque nationes confertim irruiſſent, refrixit non nihil id ſtudij; dum tandem Clodoveus Chriſtianiſmum, ut diximus, profeſſus cæpto monachiſmo non defuit, qui & in Alemania à ſe devicta & magnam partem ſubiugata, propagandæ fidei ergò monaſteria inſtituit, domos ſcilicet, in quibus regijs donationibus fovebantur, qui verbo domini rudes adhuc & feras gentes ad fidem Chriſti cohortarentur: Fuiſſeque eas domos primis illis ſeculis, ut plurimum, ligneas ſine omni ſuperflui ornatus cura nec magna ſtructuræ elegantia, præter Eugippum in vita S. Severini, ubi eiuſmodi ædis mentio, etiã Egmondanum Hollandiæ primum monaſterium indicio ſit, quod anno demum 970, curante Theodorico, comite eius nominis ſecundo, ex ligneo lateritium eſt redditum. Nec alia templa dijs ſuis exſtruxiſſe olim Germanos Vellei fragmentum à Goldaſto editũ oſtendit. Ibi enim de Ciſadeâ Auguſtæ Vindelicorum cultâ hæc verba reperiuntur: *Cuius templum ex lignis Barbarico ritu conſtructum*; Barbarico ritu, id eſt, Germanico. Poſt deinde Clodoveum annis plus minus xxx, ſub Iuſtiniano Imp. emerſit in Italia S. Benedictus, monachorum archiſtrategus; Qui & monaſterijs omnia ubiq; replevit, quãvis in legibus etiamnum Iuſtinianeis *Xenodochiorum*, *Noſocomiorum*, *orphanatrophiorum*, *gerontocomiorum* ſimiliumque, verè piarum ædium (de quibus nos alibi) crebrior fere, quam *monaſteriorum*, occurrat mentio. adeò ut re ipſa nõ tam monaſteria, quàm Xenodochia

Libro de Rebus Amſt.

tunc adhuc fuiſſe videantur; cum & cœnobijs & ijſdem ſæpenumero conſeptis incluſa pauperum erant hoſpitia, quæ & hoſpitalia durante adhuc hodie vocabuli memoria appellabant. Et ut formam primorum in Gallijs cœnobiorum veluti ſub exemplo intueamur libet addere Gregorij Turonenſis verba de S. Aredio, qui ipſo adhuc Clodoveo ſuperſtite & poſtmodum etiam aulicus Palatinus ſub Theodoberto claruit: Is inquam Turonenſis hunc Aredium ait *ex familia*

Lib.10. cap.29. *propria* (ſunt Gregorij formalia) *tenſuratos inſtituiſſe monachos cœnobiumque fundaſſe, in quo non modò Caſſiani verum etiam Baſilij & reliquorum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ; beata muliere (Aredij nimirum matre, Pelagia nomine) victum ac veſtitum ſingulis miniſtrante.* Quibus in verbis quod Baſilij mentio habeatur, ſciendum monachiſmi quidem in Græcia authorem extitiſſe doctiſſimum & ſolitudinis amantiſſimum virũ, ſed haud alia de cauſa eiuſmodi inſtituto faviſſe, quam quod ſacrarũ literarum ſtudium dignum iudicarit, quod otio ſilentioque ac receſſu excoleretur. Vt certo * hinc argumento conſtet monaſteria ac cœnobia illis ſeculis fuiſſe, quod noſtris Gymnaſia ſunt & Academiæ Principum liberalitate fundatæ.

* Vide Epiſt. Baſ. de vita ſolit.

Proinde ex monaſterijs veluti ex quodam ſeminario legi & aſſumi ad eccleſiaſtica munera conſverant viri, qui inter omnes probatiſſimæ vitæ & eruditionis habebantur, ut docemur vel ex Auguſtino ad Aurelianum. Vocati autem ad eccleſiæ miniſterium monaſticum inſtitutum officiumq; deſerebant, quo maiori præſtantiorique muneri vacarent. Monachus enim non docentis tunc, ſed diſcentis, & ut Hieronymus loqui-

loquitur, plangentis habere officium credebatur. Quo facit Sidonij in obitum Claudiani Mamerci Epiſcopi Epicedium, etiam alibi nobis laudatum, in quo hæc habentur: Adverſus Vigilant.

Hoc dat cæſpite membra Claudianus
Triplex Bibliotheca quo magiſtro
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit:
Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit inſtitutione.

Et ut ſemel conſtet quàm fuerint primis illis temporibus monaſteria non otij, ut hodie, ſed honeſtarum artium & verè litterarum ac laborum Gymnaſia, vel inde colligi poteſt, quod ipſa loca aſciteria & monachi chironacti Græcis vocitati ſint, quod manuum etiã labore nonnulli victum quærere tenebantur. Vnde illud Auguſtini Pſal. 99. *In illa vita communi fratrum, quæ eſt in monaſterio magni viri ſancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei vivunt, cum lectione illis res. Laborant manibus ſuis.* Et clarius poſtmodum imperator Iuſtinianus: *Duabus potiſſimum rebus operam & diligentiam reponere oportet monachos, ut aut ſacris vacent ſcripturis, aut, quas manuarias vocare ſolent artes decenter meditentur exerceantque. Siquidem mens inerti otio dedita haudquaquam ſine quidquam bonorum operum pepererit.* Novell. 133. cap. ult.

Nec abſimile vero videtur ea præſertim diſciplinæ ſeveritate ac profeſſionis conditione factum, ut & criminoſorum latibula, & veluti ergaſtula, ipſa haud raro monaſteria antiquitus fuerint, regibus etiam & epiſcopis raſis & intruſis, qui vel mentis inopia, vel animi Criminoſorum carceres monaſteria.

libidine

libidine facinus aliquod deſignaſſent, aut indigni eſſent judicati, qui publicæ rerum adminiſtrationi præeſſent. Sic enim intruſi perinde atque in exilium relegati, aut in inſulam deportati habebantur. Pipinus Caroli Magni filius, ante Carolomannus dictus, quum adverſus patrem conſpiraſſet, ſcelere tandem detecto, per iudicem attonſus & in monaſterium detruſus fuit: Quemadmodum & Thaſſilo Boiariorum princeps, regnante eodem Carolo, in publicis comitiis læſæ maieſtatis accuſatus & convictus, quum capitali ſententia damnatus eſſet, Carolo demum miſerante (frater enim conſobrinus erat) unà cum filio Theodone detonſus in monaſterim amandatus eſt. Et exſtant apud Gregorium Turonenſem exempla hiſce multò vetuſtiora. Et ipſe poſtmodum Iuſtinianus quoque Novell. 134 ſancit mulierem adulteram in monaſterium mittendam.

Capitul. lib. 1. cap. 140. Aſyla.

Porro ut erant hoc pacto veluti carceres monaſteria, ſic ex adverſo & aſyla & refugia facinoroſis præter monaſtria etiam eccleſias fuiſſe, annuentibus Francorum regibus, conſtat. Cuius origo à Romulo repetenda videtur, qui ad exemplum Cadmi Thebani ut quam ocyſſime urbem civibus repleret, locum conſtituit, ad quem quiſquis etiamſi ſceleratus confugiens ab omni pœna tutus eſſet: ut inde fortaſſis obtinuerit, quod tanta ubique gentium dignatione templa fuerint. Nam & Iudæi & ſacræ literæ aſyla agnoverunt, ſed eiuſmodi tamen quæ illis tantũ perfugio fuere, qui delicta nõ voluntaria commiſiſſent; cuiuſmodi [a] Moſes ex tribus, quas condiderãt urbibus conſtituiſſe legitur: Et Tacitus Græcorum exceſſum ac nimiam licentiam

[a] Exod. 21. 13. Num. 35. 11.

hoc

hac parte reprehendens habet Annalium 3. digna quæ hic legantur: *Crebreſcebat*, inquit, *Græcas per urbes licentia atque impunitas aſyla ſtatuendi. Complebantur templa peſſimis ſervitiorum. Eodem ſubſidio obærati adverſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum ſatis validum imperium coercendis ſeditionibus populi, flagitia hominum ut ceremonias deûm protegentis. Igitur placitum ut mitterent civitates jura atque legatos: Et quædam, quod falſo uſurpaverant ſponte omiſêre. Multæ vetuſtu ſuperſtitionibus, aut meritis in populum Romanum fidebant, &c.* At Romani pontifices, ut authoritatem ſacris ædibus magis magiſque circumponerent, ad modum Romuli illamque Græcanicarum urbium ſuperſtitionem promiſcuis etiam ſceleribus hanc impunitatem ſancivêre. Et aſſenſi impenſo promovendæ pietatis ſtudio Francici Reges &, præter ceteros, Clodoveus primus Francorum Chriſtianus Rex: ad quem reſcriptum exſtat Concilij Aurelianenſis, in quo, præter alia, ſancitum habetur de homicidis, adulteris & furibus, ſi ad eccleſiam confugiſſent, quod ab atrijs eccleſiæ vel domo Epiſcopali abſtrahere eos haud liceret. Sequentes tamen exinde reges hiſtoriæ & leges latæ indicant haud perpetuo id obſervaſſe, præſertim ſi jurejurando quiſpiam aut aliàs adverſum principem aut magiſtratum conſpiraſſet. Ius enim Comiti fuit in vincula eiuſcemodi repoſcere, etiamſi ad eccleſias monaſteriave confugiſſent, triginta ſolidorum pæna in eos decreta, qui poſtulatos confeſtim non reddidiſſent. Quod ſi elapſi fuiſſent, juramento ſe præſides purgabant, quod nihil eſſet dolo malo reis indultum. Si collecta manu Comiti perquirenti

repugnatum eſſet, pœna erat ſexcentorum ſolidorum. Obſervandum etiam, illo ſeculo *eccleſias* rariſſimè *templa*, ſed *baſilicas* pæne ſemper nuncupatas. Ipſi Franci è Græco ac Latino idiomate detorta voce, modo **Kyrch** modò **Dom**/appellitare conſveverant, ut patet ex verbis Valefridi Strabonis, ubi ait: *ab ipſis Græcis* **Kyrch** *κύριος & alia multa accepimus: ſicut enim* domus Dei, Baſilica, *id eſt*, regia à rege, *ſic etiam* Kyrica, *id eſt*, Dominica à domino *nuncupatur, quia Domino dominantium & regi regum in illa ſervitur*. Omnium vetuſtiſſimum eſt, quod apud Otfridum occurrit Francorum vernaculum vocabulum, **Truthines haus**/quod ſimiliter tunc valebat, *Domini domus*: Nam **Truthin**, quod hodieque Iſlandi retinent, Franci tunc pro *domino* frequentabant. **Dom** autem ſive *Thum*, quod dixi, hodieque plures in Germania vulgo uſurpant, manifeſto à *Dominico* Latinorum per contractionem derivatum. Quo & Cyprianus uſus eſt libro de Elemoſynis; *In Dominicum ſine ſacrificio venis*. Et laudat quoque Itinerarium quoddã Hieroſolymitanum in Notis ad Symbolum Alemanicum V. C. Marquardus Freherus, ubi hæc habentur: *Ibidem iuſſu Conſtantini Imp. Baſilica facta eſt, id eſt, dominicum miræ pulchritudinis*. Ammianus Marcellinus ſcriptor gentilis, oblata Chriſtianorum mentione, *templa* eorum perpetuo fere *eccleſias* nominat; Hieronymus *Baſilicas*, *templi* vocem diſerte abominans, ut gentium propriam. Verba ſunt eius adverſus Vigilantium, iſta: *Angeli, qui candidis veſtibus utebantur, mortuo cadaveri atque polluto præbebant excubias, ut poſt multa ſecula Dormitantius ſomniaret, imo eructaret immundiſſimam crapulam, & cum Iuliano perſecutore ſanctorum Baſilicas aut diſtrueret aut*

in

in templa converteret. Et ante Hieronymum Tertullianus quoque ſatis teſtatur ſuo ævo *Domum Dei & eccleſias* non *templa* appellaſſe Chriſtianos, cum inquit lib. de Idol. cap. 7: *Tota die ad hanc partem Zelus fidei perorabit ingemens Chriſtianum ab idolis in eccleſiam venire; de adverſarij officina in domum Dei.* Quem ſecutus Zeno Veronenſis Serm. in Pſal. 126, laudante Heraldo ad Arnobium: *Conventus eccleſiarum, conſvetudo noſtra domum Dei ſolita eſt appellare.*

Monaſterium unius monachi, id eſt, ſolitarij habitatio proprie dicebatur; ſicuti plurium, & in commune viventium, *Cœnobium.* Nunc promiſcue & indifferenter utrumque vocabulum accipi uſus obtinuit. Vtraque, & monaſteria & eccleſias, primo illo Francorum ævo ſolius principis conſenſu & approbatione fundata atque excitata reperio. Reditus & opes huc ſpectantes Carolus Martellus ita diſpertiri ac dividere erat ſolitus, ut epiſcopis & Abbatibus tantum ſupereſſet, quantum ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium erat. Quam tamen conſvetudinem abolevit, atque antiquavit Carolus Magnus facto decreto quod exſtat apud Anſegiſum lib. 1. cap. 83. Martellus fortaſſe illud Pauli 1. Timoth. 6 aſpexiſſe videtur: *Habentes victum & tegumentum his contenti ſimus.*

monſtratum ſit, conſequens eſt, ut ea etiam, quæ in cultu externo verſantur, & quænam eidē de præcipuis opinio & praxis exſtiterit, dilucidius aperiamus. Idq; ut ordine fiat, omnium, quæ huc pertinere videbūtur, *tres* præcipue *Claſſes* ſunto. Quarum *prima*, loca, ut vocant, ſacra continebit; *Secunda*, de Perſonis aget; *Tertia* & ultima, Ceremoniarum ritus ediſſeret: Atque inde ad Politiæ ac Magiſtratus rationem ceteraque progreſſi ſuo unumquodque loco reddemus.

CAP. III.

DE MONASTERIIS AC LOCIS ſacris: Francorumque circa eadem ſtudium ac cultus: Quid etiam ſimile aut diſſimile noſtris moribus habuerint.

FRancorum veterum cuiuſmodi circa divina externa & primo quidem circa eccleſias ac monaſteria cura ac ſtudium fuerit, ut rite pertexatur, hoc ex ſuperioribus Agathiæ verbis repetendum, quod Francos eundem cum Romanis divini numinis cultū habuiſſe referat; intelligens nimirum eos, poſtquam è Francia ſua Rhenum tranſgreſſi longius exinde à ripa Galliam intraſſent, devictæ gentis conſvetudine ac moribus cultiores paulatim civilioreſque redditos,

ac

ac Remigio demum adhortatore, quem Remis epiſcopatu tum functum diximus, ad Chriſti fidem ac religionem, quam toties antea ac tantopere dum è Gallia profligandis Romanis incumbunt, affecerant, cōverſos fuiſſe: Gallos enim multis jā ante annis Chriſtiana ſacra à Romanis & è Græcia accepiſſe vel Irenæus eſſe teſtis poteſt, qui eccleſiarum cis Rhenum meminit, ipſe Lugdunenſis Celtarum Epiſcopus: Et notum eſt D. Hieronymum Stridonenſem multo tempore Treveris egiſſe, priuſquam Franci è Germania & ſuis ſedibus movíſſent. Clodoveo igitur, clariſſimo principe, à Remigio, ut memoratum, cum ſuis baptizato, ſumma ope defendere ac promovere res eccleſiæ Franci cæperunt, neque non & authores exinde fuerunt ſuſcipiendæ religionis nō modo Alemanis, quos devicerant, ſed Boiarijs etiam, Saxonibus & Toringis alijſque Germaniæ populis, qui partim provincias occuparunt, partim ſuas ſeſe intra ſedes continuerūt. Quin & elogia & acclamationes, quibus gaviſi, nullas potiores duxere, quam quibus profeſſi Catholicam fidem demonſtrarentur. Exſtant hodieque in legum Salicarū proloquio bina eiuſmodi è vernaculo haud dubiè Francorum idiomate hunc in modum utcunque à ſcribis reddita:

GENS FRANCORVM INCLYTA: AVTHORE DEO CONDITA FORTIS IN ARMIS: FIRMA PACIS FOEDERE PROFVNDA CONSILIO, CORPORE NOBILIS ET INCOLVMIS, CANDORE ET FORMA EGREGIA, AVDAX VELOX ET ASPERA, NVPER AD CATHOLICAM FIDEM CONVERSA, IMMVNIS AB HÆRESI.

Et ſtatim ibidem:

VIVAT QVI FRANCOS DILIGIT. DEVS EORVM REGNVM CVSTODIAT ET RECTORES DE LVMINE SVÆ GRATIÆ REPLEAT. EXERCITVM PROTEGAT. FIDEI MVNIMINA TRIBVAT, PACIS GAVDIA ET FELICITATIS TEMPORA DOMINANTIVM DOMINO IESV CHRISTO ASPIRANTE CONCEDAT.

Hanc deinde in rem religionis pietatem atque impenſum ſtudium etiam re atque opere demonſtratum reliquerunt: Et extra controverſiam eſt, vix ullam gentem in illa duritie barbarieque ſeculorum eccleſiis ornandis fovendiſque plus Francis impendiſſe. Veterum enim eccleſiarum provincialium circa Rhenum & Danubium quaſdam reſtaurarunt amplis cenſibus additis, quaſdam è fundamentis novas exædificarunt, nihil minus donatas & ornatas quam illas priores. Ex reſtauratis præcipuè cenſentur Colonienſis, Treverenſis, Maguntiacenſis & Auguſta Vindelicorum. Acceſſit poſtremum & cœnobiorum ac monaſteriorum ſtudium. Prima, ut plures exiſtimant, Eccleſiarum Latinarum Europæ provincia Gallia cænobia vidit, quum imperante Theodoſio iuniore Iohannes cognomento Caſſianus duo monaſteria, ut habet Gēnadius Maſſiliæ condidiſſet annum circiter CCCCXL. Quamvis antea Epiſcopus Turonenſis Martinus col-

lectis

lectis diſcipulis aliquam monaſticæ diſciplinæ regulã tradidiſſet circiter annum ſalutis CCCLXXXIV. Poſtea cum jã in Gallias præter Francos Gothi, Burgundiones aliæque nationes confertim irruiſſent, refrixit non nihil id ſtudij; dum tandem Clodoveus Chriſtianiſmum, ut diximus, profeſſus cæpto monachiſmo non defuit, qui & in Alemania à ſe devicta & magnam partem ſubiugata, propagandæ fidei ergò monaſteria inſtituit, domos ſcilicet, in quibus regijs donationibus fovebantur, qui verbo domini rudes adhuc & feras gentes ad fidem Chriſti cohortarentur: Fuiſſeque eas domos primis illis ſeculis, ut plurimum, ligneas ſine omni ſuperflui ornatus cura nec magna ſtructuræ elegantia, præter Eugippum in vita S. Severini, ubi eiuſmodi ædis mentio, etiã Egmondanum Hollandiæ primum monaſterium indicio ſit, quod anno demum 970, curante Theodorico, comite eius nominis ſecundo, ex ligneo lateritium eſt redditum. Nec alia templa dijs ſuis exſtruxiſſe olim Germanos Vellei fragmentum à Goldaſto editũ oſtendit. Ibi enim de Ciſà deâ Auguſtæ Vindelicorum cultâ hæc verba reperiuntur: *Cuius templum ex lignis Barbarico ritu conſtructum*; Barbarico ritu, id eſt, Germanico: Poſt deinde Clodoveum annis plus minus XXX, ſub Iuſtiniano Imp. emerſit in Italia S. Benedictus, monachorum archiſtrategus; Qui & monaſterijs omnia ubiq; replevit, quãvis in legibus etiamnum Iuſtinianeis *Xenodochiorum*, *Noſocomiorum*, *orphanatrophiorum*, *gerontocomiorum* ſimiliumque, verè piarum ædium (de quibus nos* alibi) crebrior fere, quam *monaſteriorum*, occurrat mentio. adeò ut re ipſa nõ tam monaſteria, quàm Xenodochia tunc

* Libro de Rebus Amſt.

tunc adhuc fuiſſe videantur; cum & cænobijs & ijſdem ſæpenumero conſeptis incluſa pauperum erant hoſpitia, quæ & hoſpitalia durante adhuc hodie vocabuli memoria appellabant. Et ut formam primorum in Gallijs cænobiorum veluti ſub exemplo intueamur libet addere Gregorij Turonenſis verba de S. Aredio, qui ipſo adhuc Clodoveo ſuperſtite & poſtmodum etiam aulicus Palatinus ſub Theodoberto claruit: Is inquam Turonenſis hunc Aredium ait *ex familia propria* (ſunt Gregorij formalia) *tenſuratos inſtituiſſe monachos cænobiumque fundaſſe, in quo non modò Caſſiani verum etiam Baſilij & reliquorum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere (Aredij nimirum matre, Pelagia nomine) victum ac veſtitum ſingulis miniſtrante.* Quibus in verbis quod Baſilij mentio habeatur, ſciendum monachiſmi quidem in Græcia authorem extitiſſe doctiſſimum & ſolitudinis amantiſſimum virũ, ſed haud alia de cauſa eiuſmodi inſtituto faviſſe, quam quod ſacrarũ literarum ſtudium dignum iudicarit, quod otio ſilentioque ac receſſu excoleretur. Vt certo * hinc argumento conſtet monaſteria ac cænobia illis ſeculis fuiſſe, quod noſtris Gymnaſia ſunt & Academiæ Principum liberalitate fundatæ. Proinde ex monaſterijs veluti ex quodam ſeminario legi & aſſumi ad eccleſiaſtica munera conſverant viri, qui inter omnes probatiſſimæ vitæ & eruditionis habebantur, ut docemur vel ex Auguſtino ad Aurelianum. Vocati autem ad eccleſiæ miniſterium monaſticum inſtitutum officiumq; deſerebant, quo maiori præſtantiorique muneri vacarent. Monachus enim non docentis tunc, ſed diſcentis, & ut Hieronymus

Lib. 10. cap. 29.

* Vide Epiſt. Baſ. de vita ſolit.

loquitur, plangentis habere officium credebatur. Quo facit Sidonij in obitum Claudiani Mamerci Epiſcopi Epicedium, etiam alibi nobis laudatum, in quo hæc habentur: Adverſus Vigilant.

Hoc dat cæſpite membra Claudianus
Triplex Bibliotheca quo magiſtro
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit:
Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit inſtitutione.

Et ut ſemel conſtet quàm fuerint primis illis temporibus monaſteria non otij, ut hodie, ſed honeſtarum artium & verè litterarum ac laborum Gymnaſia, vel inde colligi poteſt, quod ipſa loca aſciteria & monachi chironacti Græcis vocitati ſint, quod manuum etiã labore nonnulli victum quærere tenebantur. Vnde illud Auguſtini Pſal. 99. *In illa vita communi fratrum, quæ eſt in monaſterio magni viri ſancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei vivunt, cum lectione illis res. Laborant manibus ſuis.* Et clarius poſtmodum imperator Iuſtinianus: *Duabus potiſſimum rebus operam & diligentiam reponere oportet monachos, ut aut ſacris vacent ſcripturis; aut, quas manuarias vocare ſolent artes decenter meditentur exerceantque. Siquidem mens inerti otio dedita haudquaquam ſine quidquam bonorum operum pepererit.* Novell. 133. cap. ult.

Nec abſimile vero videtur ea præſertim diſciplinæ ſeveritate ac profeſſionis conditione factum, ut & criminoſorum latibula, & veluti ergaſtula, ipſa haud rarò monaſteria antiquitus fuerint, regibus etiam & epiſcopis raſis & intruſis, qui vel mentis inopia, vel animi Criminoſorum carceres monaſteria.

libidine

libidine facinus aliquod deſignaſſent, aut indigni eſſent judicati, qui publicæ rerum adminiſtrationi præeſſent. Sic enim intruſi perinde atque in exilium relegati, aut in inſulam deportati habebantur. Pipinus Caroli Magni filius, ante Carolomannus dictus, quum adverſus patrem conſpiraſſet, ſcelere tandem detecto, per iudicem attonſus & in monaſterium detruſus fuit: Quemadmodum & Thaſſilo Boiariorum princeps, regnante eodem Carolo, in publicis comitiis læſæ maieſtatis accuſatus & convictus, quum capitali ſententia damnatus eſſet, Carolo demum miſerante (frater enim conſobrinus erat) unà cum filio Theodone detonſus in monaſterim amandatus eſt. Et exſtant apud Gregorium Turonenſem exempla hiſce multò vetuſtiora. Et ipſe poſtmodum Iuſtinianus quoque Novell. 134 ſancit mulierem adulteram in monaſterium mittendam.

Capitul. lib. 1. cap. 140. Aſyla.

Porro ut erant hoc pacto veluti carceres monaſteria, ſic ex adverſo & aſyla & refugia facinoroſis præter monaſtria etiam ecclesias fuiſſe, annuentibus Francorum regibus, conſtat. Cuius origo à Romulo repetenda videtur, qui ad exemplum Cadmi Thebani ut quam ocyſſime urbem civibus repleret, locum conſtituit, ad quem quiſquis etiamſi ſceleratus confugiens ab omni pœna tutus eſſet: ut inde fortaſſis obtinuerit, quod tanta ubique gentium dignatione templa fuerint. Nam & Iudæi & ſacræ literæ aſyla agnoverunt, ſed eiuſmodi tamen quæ illis tantũ perfugio fuere, qui delicta nõ voluntaria commiſiſſent; cuiuſmodi* Moſes ex tribus, quas condiderãt urbibus conſtituiſſe legitur: Et Tacitus Græcorum exceſſum ac nimiam licentiam

*Exod. 21. 13. Num. 35. 11.

hoc

hac parte reprehendens habet Annalium 3. digna quæ hic legantur: *Crebreſcebat*, inquit, *Græcas per urbes licentia atque impunitas aſyla ſtatuendi. Complebantur templa peſſimus ſervitiorum. Eodem ſubſidio obærati adverſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum ſatis validum imperium coercendis ſeditionibus populi, flagitia hominum ut ceremonias deûm protegentis. Igitur placitum ut mitterent civitates jura atque legatos: Et quædam, quod falſo uſurpaverant ſponte omiſere. Multæ vetuſtu ſuperſtitionibus, aut meritis in populum Romanum fidebant, &c.* At Romani pontifices, ut authoritatem ſacris ædibus magis magiſque circumponerent, ad modum Romuli illamque Græcanicarum urbium ſuperſtitionem promiſcuis etiam ſceleribus hanc impunitatem ſancivêre. Et aſſenſi impenſo promovendæ pietatis ſtudio Francici Reges &, præter ceteros, Clodoveus primus Francorum Chriſtianus Rex: ad quem reſcriptum exſtat Concilij Aurelianenſis, in quo, præter alia, ſancitum habetur de homicidis, adulteris & furibus, ſi ad eccleſiam confugiſſent, quod ab atrijs eccleſiæ vel domo Epiſcopali abſtrahere eos haud liceret. Sequentes tamen exinde reges hiſtoriæ & leges latæ indicant haud perpetuo id obſervaſſe, præſertim ſi jurejurando quiſpiam aut aliàs adverſum principem aut magiſtratum conſpiraſſet. Ius enim Comiti fuit in vincula eiuſcemodi repoſcere, etiamſi ad eccleſias monaſteriave confugiſſent, triginta ſolidorum pæna in eos decreta, qui poſtulatos confeſtim non reddidiſſent. Quod ſi elapſi fuiſſent, juramento ſe præſides purgabant, quod nihil eſſet dolo malo reis indultum. Si collecta manu Comiti perquirenti

in templa converteret. Et ante Hieronymum Tertullianus quoque ſatis teſtatur ſuo ævo *Domum Dei & eccleſias* non *templa* appellaſſe Chriſtianos, cum inquit lib. de Idol. cap. 7: *Tota die ad hanc partem Zelus fidei perorabit ingemens Chriſtianum ab idolis in eccleſiam venire; de adverſarij officina in domum Dei*. Quem ſecutus Zeno Veronenſis Serm. in Pſal. 126, laudante Heraldo ad Arnobium: *Conventus eccleſiarum, conſvetudo noſtra domum Dei ſolita eſt appellare.*

Monaſterium unius monachi, id eſt, ſolitarij habitatio proprie dicebatur; ſicuti plurium, & in commune viventium, *Cœnobium*. Nunc promiſcue & indifferenter utrumque vocabulum accipi uſus obtinuit. Vtraque, & monaſteria & eccleſias, primo illo Francorum ævo ſolius principis conſenſu & approbatione fundata atque excitata reperio. Reditus & opes huc ſpectantes Carolus Martellus ita diſpertiri ac dividere erat ſolitus, ut epiſcopis & Abbatibus tantum ſupereſſet, quantum ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium erat. Quam tamen conſvetudinem abolevit, atque antiquavit Carolus Magnus facto decreto quod exſtat apud Anſegiſum lib. 1. cap. 83. Martellus fortaſſe illud Pauli 1. Timoth. 6 aſpexiſſe videtur: *Habentes victum & tegumentum his contenti ſimus.*

CAP. IV.

ECCLESIASTICARVM PERSONARVM VOcabula & officia. Monachi in clero non cenſi. Abbates. Virgines ante annum XXV *non velabant Franci. eius inſtituti origo & error.*

DE monaſterijs atque eccleſijs vel iſta ſufficient. Nunc adminiſtri & præfecti recenſendi: qui præcipue *monachorum, præſbyterorum*, *Diaconorum* atque *epiſcoporum* nominibus innotuerunt. Nam Cardinales aliosq; eiuſmodi, ut ævi inferioris hic omittimus. *Monachos* ergo & monaſteria, ut de ijs primò dicã, veluti ergaſteria quædã & gymnaſia fuiſſe ab eccleſijs & clero ſeparata; indeq; ad illa altiora, puta presbyterorũ & epiſcopatus munia, viros eruditos & graves ſolitos evocari, præter alia vel unus ille Sidonij Apollinaris illuſtris locus de Claudiano Mamerco epiſcopo, cuius
Pag. 413. ſuperius meminimus, docere poteſt. Nã ibi Mamercũ, adoleſcentẽ adhuc & monachũ, Græcas Latinaſq; literas ipſamq;. religionẽ Chriſtianam, ſecreta ac monaſtica inſtitutione hauſtam, perdidiciſſe memoratur. Carebat enim tum Academijs non Germania tantum, ſed multis annis poſtea etiam Gallia, adeo ut quidquid erat reliquum literarum & artium, id ſuum collegia & monaſteria fecerant. Vtque officio & ſtudijs rite vacarent, inter ſe *præpoſitos* & *decanos* habebant. Erant & *camerarij, cellarij*, *lectores*, *bibliothecarij*, *hoſpitarij*, *cancellarij*,

larÿ, *ſcribæ* & *chartularÿ*; ſed omnibus in uniuerſum *Abbas* cum dignitate tum poteſtate præeminebat. Qui & ipſe Advocatum habebat, cui cura & adminiſtratio omnis eorum, quæ ad victum & veſtitum attinerent. Atque illud eſt, quod de monachis Ægypti ad Euſtochium ſcribens Hieronymus, inquit, *per decurias atque centurias, ita ut novem hominibus decimus præſit, & rurſus decem præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat.* Abbas vero ipſe Archimandrita, quaſi agminis ductor, appellari cōſveverat. De quo Iuſtinianus Novel. 123 cap. 34 & Sidonius Epiſt. 14 lib. 8; ubi ſub nomine archimādritarū Memphiticorū & Palæſtinorum Abbates intellexit. Veſtitus porro qui nunc & peculiaris & monachis omnibus proprius eſt, vix olim & Hieronymi præſertim ſeculo, eiuſmodi fuerit, cum etiā Benedictū exinde haud alio unquam veſtitu fuiſſe uſum quā illo ipſo, quo homines honeſti ætate ſua uterentur, certis authoribus conſtet. Fluitantia enim illa & laxa veſtimenta poſteriori ævo, fatiſcente diſciplina & hypocriſi gliſcente, recepta eſſe dubium nō eſt: quin & ipſis etiam gentibus haud probatū eiuſmodi habitum, præſertim in virili ſexu, ex Plauto patet, qui *mulieroſum eſſe id genus* dicebat *cum tunicis demiſſitÿs*: Et poeta quoque non niſi certo aſpectu illud extulit: *Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.* Deinde & barbā aluiſſe Caroli adhuc ævo decorum erat monachis, qui in vertice tamen raſi ſpectabātur. Raſos autem ideo fuiſſe conijcere eſt, quia ſe cuiuſcunque apparatus & ſplendoris contemptores profiterentur: Soliti enim comam nutriri, qui elegantiæ ſtudioſiores erant. Vnde & Seneca veterum Romanorū curioſitatem & delicias in coma & capillo

inſectatur eo in libello, quē de vitæ brevitate cōpoſuit. Apud Græcos & Lacedemonios fere ſolis ingenuis comam nutrire permiſſum fuit, quomodo & Francis id ipſum intellectum ex legibus, quas edidit Anſegiſus, pluribus colligitur. Comam ergo deponere ſanctioris cuiuſdam deditionis argumentum fuit.

Et denique ut hæc aliaque eiuſmodi circa monachatum paulatim ex novis repetitiſque hominum inſtitutis obtinere & in uſum ubique trahi conſvevêre, ita etiam iiſdem illis Francorum primis ſeculis velare, tondere ac novo habitu paſſim inducere virgines cæptum eſt, quas exinde moniales nominabant. Apoſtolus quidem 1. Cor. 11, *velatas* adeſſe in eccleſia *mulieres* præcepit, ad demonſtrandum hoc eſſe honeſtatis; ſicuti è contrario decorum exigere ut viri ſpectarentur aperto capite & non velato. Quo in loco nō video quid hunc præpoſterum Pontificiorum in velandis virginibus ritum vel hilum iuvet. Tertulliani quoque de velandis virginibus libellum iſti receptæ conſvetudini nequaquam favere inde liquet, quod eo indifferenter omnes tam innuptas quā nuptas ad Apoſtoli præceptum cohortetur ne aperto capite & comis in orbem ac tumorem exædificatis in ſacris ſe congregationibus ſiſtant, ad modum nimirum laſcivientum & viros quærentium. Quo etiam loci erudite obſervat Beatus Rhenanus nullam prorſus toto eo ſcripto à Tertulliano mentionem fieri conſecratarum aut profeſſione initiatarum virginum, cum poſteriori demum ætate id invaluerit, ut ab epiſcopo ſcilicet conſecrarentur velarenturque. Sane Auguſtini temporibus nec raſuram uſurpatam nec veſtes certas virginibus accommo-

modatas fuiſſe ex epiſt. eius 109 conſtat, ubi hæc habet: *Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectatis veſtibus placere ſed moribus nec ſint vobis tam tenera capitum tegmina nec retiola ſubter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel ſpargat neglegentiam vel compareat induſtria.* Caroli quoque Magni edictum apud Anſegiſum exſtat, quo vetat puerorum & puellarum teneram ætatem votis ac vitæ monaſticæ aſtringere: nec ante annum ætatis XXV velari ab Epiſcopo virginem ullam permittit. Et ut agnoſcant hodierni mores rituum ſuorum fontes, notat Aurelius Prudentius morem cum gentibus fuiſſe ut puellas, quæ nondum ad iuſtam ætatem perveniſſent nec de ſe ac vitæ genere ſtatuere poterant, Veſtæ penetralibus coactæque virginitati volentes nolenteſque conſecrarent. Sed ipſos Prudentij verſus dignos cenſeo qui iſti Capiti (licet etiam alibi in teſtimonium nobis vocati) coronidem imponant:

At primùm parvæ teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriæ quam libera ſecta — Contra Symmach. lib. 2.
Laude pudicitiæ fervens, & amore Deorum
Iuſta maritandi condemnet vincula ſexus.
CAPTIVVS PVDOR *ingratis addicitur aris,*
Nec contempta perit miſeris ſed adempta voluptas
Corporis intacti, non mens intacta tenetur.
Nec requies datur ulla thoris, quibus innuba cæcum
Vulnus & amiſſas ſuſpirat fœmina tædas.

CAP. V.

CAP. V.

EPISCOPORVM ET PRESBYTERORVM indiſtincta munera. Ipſi eruditi clerum & populum erudiebant. ab eccleſia electi. Synodos particulares convocabant. uxorati.

ATque hanc antiquitus & *monaſteriorũ* nec non & *monachorum monialiumque*, præter cetera, rationem adhuc primis illis Francorum ſeculis fuiſſe, etiam *presbyterorum* & *epiſcoporum*, de quibus agendum, officia & munus oſtendent. Nam deſertè ſancitum Iuſtinianus voluit Novell. 123 cap. 1. epiſcopum nullum ordinandum, qui non xv annos in monaſterio converſatione monaſtica impleſſet. Et ipſe Auguſtinus monachum ſe fuiſſe epiſt. 89 ad Hilar. teſtatur, ex monacho deinde preſbyterum, ex preſbytero epiſcopum factum.

De *epiſcopis* itaque ipſis & *presbyteris* ut aliquid hoc loco ſelectius porro addatur, ſciendum primo ex vocis etymo *epiſcopum* quaſi *inſpectorem* & ſpeculatorem Græcis intellectum. Quo etiam ſenſu Latinæ eloquentiæ parens Cicero ſe epiſcopum deſignatum à Pompeio ſcribit, ut oram Campaniæ maritimam ſpecularetur: Hinc ad eccleſiæ miniſtros propter ſingularem emphaſim tranſlatum vocabulum, ut ab inſpectione nimirum, vigilantia, cura, labore & fide docendi, quam

eccleſijs debent, paſtores epiſcopi appellarentur. Nec in Græcorum ſolum, ſed in Latinorum quoque atque inde Francorum eccleſijs idem obtinuiſſe hinc patet, quod etiã presbyterorum, parochorum & diaconorum ſimiliaque nomina communi uſu paſſim frequentata retinuerint. Ex Francorum præterea chronologis hoc quoque manifeſto liquet, quod illis melioribus adhuc ſeculis epiſcopi, presbyteri, parochi iiſdem ſæpiſſime nominibus idque promiſcue & vocitati & intellecti fuerint. Quod egregium veſtigium eſt priſcæ illius & venerandæ ſimplicitatis, quæ in eccleſia primitiva locum ſemper habuit. Nam Paulus ubi juſſiſſet oppidatim conſtituere presbyteros, continuo ſubiecit, *oportet enim epiſcopum eſſe inculpatum*. Et idem alibi in una eccleſia plures epiſcopos ſalutans uno illo eodemque vocabulo & paſtores & presbyteros comprehendit. In Actis idem convocaſſe memoratur presbyteros Epheſinos, quos ipſe deinde ſua oratione epiſcopos nominat: Quomodo & accurate obſervatum ab Hieronymo in Commentario eius ad Titum legimus: Qui & invaleſcentem jam ſuo ævo nõnullorum morem, qui epiſcopos à presbyteris diſtinguere cæperant ità noat: *Noverint epiſcopi conſvetudine ſe magis quam Dominicæ diſpoſitionis veritate presbyteris ſe eſſe maiores.* Verum deinde apud Francos non modò, ſed & alias nationes, diutina conſvetudine invaluit, ut nomen omnibus commune, attributum ſit uni. Quamvis illud interea adusque Lodovici & Agobardi ætatem ſervaſſe præſertim Francos comperiamur, ut omnes in univerſum epiſcopos adeoque ipſum Romanum pontificem nulla prærogativa afficiendum, ſed fratrem & papam pro-

 miſcue

appellandum cenſuerint. Papæ enim & Pontificis Maximi vocabulum epiſcopis id ævi indifferenter omnibus attributum vel ex Sidonio Apollinari & Notis ad eum eruditi & nobis amici viri Iohannis Saveronis luculenter intelligere eſt. Quamvis poſtea cum à Lodovico deſciviſſet Lotharius filius, ut opera nimirum pontificis & aliquot Galliæ epiſcoporū eriperetur patri imperiū, multa pro dignitate pōtificis attulit, quem dixi, Agobardus, licet ipſemet Francus & Lugdunenſis eſſet antiſtes. Sed recalcitrarunt Franci ceteri, & adverſus illius cōtumaciā pro confirmanda patria libertate, inter alia, præter illud quod dicere cæperā, Romanum ſcilicet epiſcopū vocandum & intelligendum fratrem non pontificem, repoſuerunt inſuper imperatoriā maieſtatem eſſe ſupra pontificē: Deinde nequaquam dehoneſtandū Cæſarem præſumptuoſa ulla excommunicatione; poſſe aliquem pontificem reijci ſine iniuria ſedis Apoſtolicæ. Et deniq; privandū honore & cōſortio epiſcopū, quicumq; pontifici potius, quam Concilio obediendū ſtatuerit. Sed Agobardus ſanis rationibus aurem non præbens magis magiſq; accendit iuvenilem Clotarij animū. Et ſimul, indicto cōventu ſpoliatus Regni diademate Lodovicus in monaſticā ſolitudinem detruditur. Franci interea furere, nec pati tātam injuriam optimo ſeni fieri. itaq; motis animis reſtituunt ſuæ dignitati imperatorem. Advocant Pipinū eius filium & Bernardū nepotem, quorū auxilio Clotarius ad exorandam veniam cogitur: Authores quæruntur puniendi; interq; eos tragædiæ totius præcipui fomites deprehenſi eccleſiaſtici. Quorū nonnulli ſua ſponte fuga ſibi conſuluerūt; alij, & in ijs ipſe Agobardus

dus curia epiſcoporum motus fugatuſq; , & licet receptus poſtmodum, inter infauſta tamen filiorũ Lodovici certamina vitam apud Santonas in regia expeditione finijt. Et licet eum in modum tunc obviam ire tentatũ gliſcenti malo, vicit nihilominis & ad iſtud, quod hodie conſpicimus, dignitatis culmen aſcendit paulatim Epiſcoporum & Romani præſertim pontificis anarchia. Qua tum admiſſa ſemel, omnia exinde in peius abiêre, &, inter cetera, illud quoq; , quod non illis modo Francorum primis ſeculis, ſed ad Carolum uſque Magnum eiuſque filios inviolatum perduravit, ut nimirũ epiſcopi populum viva voce docerent atque erudirẽt, penitus ſimul aboleri cæptum eſt. Exſtat in capitulis Caroli ab Anſegiſo collectis notabile & huc præcipuè pertinens decretum, quo epiſcopi identidem officij ſui admonentur, ut non tantum presbyteri, qui in eccleſias ſeu, ut tum appellabant, parochias ab epiſcopis mittebantur, ſed ipſimet epiſcopi, recta ac Dei verbo conſentanea populum edocerent. Sed ipſa Capituli verba apponere pretium operæ exiſtimo, ut quantum exinde ſequentibus ſeculis à recto & vero ſit exorbitatum, omnibus in propatulo conſtet. Habent enim verba, ut ſequitur : *Summopere vobis* (epiſcopos alloquitur) *videndum eſt dilectiſſimi & venerabiles paſtores & rectores eccleſiarum Dei , ut presbyteri, quos mittitis per parochias veſtras ad prædicandum & regendum per eccleſias populum Deo ſervientem, rectè & honeſtè prædicent : & nõ ſinatis nova vel non canonica aliquos ex ſuo ſenſu, & non ſecundũ ſcripturas ſacras fingere & prædicare populo: ſed & vosmet ipſi utilia, honeſta & recta, & quæ ad vitã ducunt æternam prædicate alioſq; inſtruite, ut hæc eadẽ prædicent* &c. Quibus Lib. 1 cap. 82.

in verbis, præter jam dicta, etiam hoc notandum, quod epiſcoporum eſſet non populum modo, ſed eos quoq; qui ad populum erudiendum adhiberentur, puta preſbyteros & Canonicos, meliores doctioreſq; reddere: hoc eſt, ut non publice ſolũ plebi, ſed privatim etiam clero ſcripturas interpretarentur. Eumque in finem antiquitus in more poſitum videtur ut clerici non ſeparatim (ut hodie) ſed in eiſdem cum epiſcopo ædibus habitarint. Quo referendum illud Auguſtini de vita Clericor. Serm. 1. *Noſtis omnes aut pæne omnes, ſic nos vivere in ea domo, quæ dicitur* DOMVS EPISCOPI, *ut quantum poſſumus, imitemur eos ſanctos, de quibus loquitur liber actuum Apoſtolorum: Nemo ducebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia.* Horum fratrum officium atq; inſtitutum quid aut quale fuerit perſequitur idem Auguſtinus in expoſitione Pſal. 99. Qui & canones certamq; vivendi normã ijſdẽ præſcripſiſſe legitur. Vnde Canonicos hodiernos, licet illis prioribus multũ diſſimiles, originem ſuam repetere debere vix ſit ambigendum. DOMVM autem hanc EPISCOPI quam dicebat Auguſtinus Francorum lingua fortaſſis Biſſchoffshoff aut Biſſchoffsheim fuiſſe appellatã colligere ſit ex verbis Remigij epiſcopi ſupra in eius teſtamento

Pag. 352. * poſitis, ubi ait: *villas duas quas Clodoveus à me ſacro baptiſmatus fonte ſuſceptus, amore nominis mei*, Biſcopheſheim *ſua lingua vocatas, mihi tradidit.* Atque ita ad diſciplinam quod attinebat, erat officij epiſcopalis, quod etiam canon Concilij Maguntiacenſis repetit, ut quotannis presbyteri de miniſterij functione & fidei prædicatæ ratione ab epiſcopis examinarentur. Quin & Laicis paſſim in Francorum eccleſiijs fas erat paſtores obſer-

vare, notare & referre ad epiſcopos: Quorum tum munus erat omne genus vitia in illis, nempe diſciplinæ ſuæ ſubmiſſis, emendare & adigere etiam ceſſantes ut verbo ædificarent & prodeſſent exemplo. Anſegiſ. lib. 2 cap. 5. & lib. 2. cap. 30. 35.. 244.

Electionem porro penes eccleſiam fuiſſe nec cleri tantum ſed populi etiam votis & ſuffragio electos epiſcopos obtinuiſſe tum chronologi illorum temporum ſatis indicant. Et aderant fere electionibus aut principes ipſi aut duces aut comites, neque ulla rata habebatur electio, niſi quæ principis conſenſu confirmata fuiſſet. Exſtat hac de re Caroli Magni ſtatutum, quod omnino adſcribi meretur ex libro 1 capitul. 84: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta eccleſia ſuo liberius potiretur honore, adſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet epiſcopi per electionem cleri & populi ſecundum ſtatuta canonum de propria diæceſi, remota perſonarum & munerum acceptione ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubiectis uſquequaque prodeſſe valeant.* Quibus in Magni Caroli verbis præcipue obſervatione dignũ, quod ait, *ſacrorum*, ſive eccleſiaſticorum, *canonum non ignarum ſe* ita ſancire: & addat deinde ac velit, *epiſcoporum electionem per clerum & populum ſecundum ſtatuta canonum, remota perſonarum ac munerum acceptione, ob vitæ meritum &c.* peragendam; indubie reſpiciens ad priora, non tantum eccleſiæ primitivæ & Apoſtolorum, ſed etiam anteceſſorum ſuorum tempora. Nam etiam plus integro ante ætatem ipſius ſeculo, adhuc naſcente tunc apud Francos Chriſti doctrinâ, eum canonem in epiſcoporum electione locum habuiſſe locuples teſtis eſt, præ-

ter Gregorium Turonenſem, etiam *Aurelianenſis* & *Pariſienſis* Sinodi ſub rege Childeberto Clodovei, primi inter reges Francorum Chriſtianam religionem profeſſi, filio celebratæ. Quarum Pariſienſis cap. 6. hæc habet verba: *Nullus civibus inviti ordinetur epiſcopus, niſi quem populus & clericorum electio pleniſſima quaeſierit voluntate, non principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra metropolis voluntatem, vel provincialium ingeratur.* Gregorius vero Turonenſis, inter ceteros de Quintiano agens, Turonum epiſcopo, etiam tum eccleſiæ hanc praxim & conſvetudinem obtinuiſſe oſtendit, cum refert à populo Quintianum electum, ſed Alchimam & Placidinam uxorem ſororemque cuiuſdam Apollinaris pro marito ac fratre apud regem Theodoricum, oblatis muneribus, effeciſſe ut Apollinaris epiſcopatu potiretur: *Quo*, ut dicam porrò Gre-

Lib.3.c.2. gorij verbis, *quatuor abutens menſibus migravit à ſeculo. Cum autem hæc Theoderico nunciata fuiſſent, iuſſit inibi ſanctum Quintianum conſtitui & omnem ei poteſtatem tradi eccleſiæ, dicens, hic ob noſtri amoris Zelum ab urbe ſua deiectus eſt. Et ſtatim directi nuncij, convocatis pontificibus & populo, eum in Cathedram Arvernæ eccleſiæ locaverunt.* Vnde duo diſcimus, primo ab illo abuſu, quem tollendum monet Carolus, quod ad munerum & perſonarum acceptionem, haud omnino etiam tum immune fuiſſe ſeculum: deinde regem, re penitius intellecta, redijſſe in rectam viam, ac iuſſiſſe, convocato clero ac populo, reſtitui ſuæ eccleſiæ, à quâ jam antea fuerat electus, Quintianum epiſcopum. Similiter & idem Turonenſis commemo-

Lib.6.c.9. rat Theodulphum Abbatem à Dumnolo epiſcopo

electum

electum, rege adſenſum præbente. Et iterum de Felice Nannetum epiſcopo loquens ait, eum, cum jã graviter ægrotaret, vocaſſe ad ſe epiſcopos, qui propinqui erant, & ſupplicaſſe ut conſenſui ſuo in vocando Burgundione nepote, ſuum etiam calculum adijcerent: Eoque facto eundem deinde Burgundionem ad ſe quoque miſſum Turonenſis ait, ſed cum adhuc admodum adoleſcens & necdum præsbyter eſſet Burgundio, reſpondiſſe; *Habemus ſcriptum in Canonibus fili, Non poſſe quemquã ad epiſcopatum accedere, niſi prius eccleſiaſticos gradus regulariter ſortiatur. Tu ergo dilectiſſime, revertere illuc & pete ut ipſe te, qui elegit, debeat tonſurare. Cumque preſbyterij honorem acceperis ad eccleſiam aſſiduus eſto: & cum eum Deus migrare voluerit, tunc facile epiſcopalem gradum aſcendes.* Verum Burgundione, ut poſtmodum adijcit Turonenſis, cum jam revaleſcere videretur Felix, conſilium illud poſthabente, factum ut interea moreretur Felix & Nonnichius eius conſobrinus, ordinante rege, ſucceſſerit. Quo loci & aliis apud Gregorium, ubi ſoli licet regi ordinatio aſcribi videtur, tamen ſecundum canones & morem eccleſiæ, de quo jam ante memoratum, electionem peractam, quicumque eiuſdem Gregorii hac de re teſtimonia ac narrationes accuratius [illegible]exerit atque inter ſe contulerit, haud [illegible] confido. Et hinc eſt quod non[illegible] etiam apud eundem Turonenſem non [illegible], ſed ut ſupra de Dumnolo ac Theodulpho [illegible], *adſenſum præbente*, itemque *opitulante* [illegible], electos epiſcopos memoretur; ut cum de [illegible] Quintiani verba facit, hæc inter [illegible], occurrunt; *Cum* [illegible]

[illegible]

vel Seniori communi illius, à ſervis veſtris, quorum ſubſcriptiones vel ſignacula ſubtus tenentur inſertæ. Principalitatis veſtræ circumſpecta clementia novit juſta petentibus adnuere, ſuo moderaminis judicio ponderante præſertim, cum illa depoſcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, conſtat illud ad eccleſiæ regimen pullulare, quod & ipſum regalis clementiæ proſit ſaluti, pariter ac mercedi. Quoniam ſanctæ memoriæ vir Apoſtolicus ille, illius urbis epiſcopus, fine adpropinquante ab hac luce migravit, tempore naturæ complenti, ne deſtitutæ ſint, quod abſit, oves decedente paſtore, in loco eiuſdem ſuplicıter poſtulamus, ut inſtruere dignemini inluſtrem virum illum, aut venerabilem illum cathedræ illius ſucceſſorem, in quo eſt præſpicuitas ſublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia caſtitatis, charitatis locuples, voluntatis irrefragabiliter, manu noſtra hunc conſenſum decrevimus roborare. Hucuſque ſuggeſtionis formula. Et eandem ſane rationem ab imperatoribus Romanis & Francis exinde ad uſque Henricum V. veteri jure & more maiorum uſurpatam fere obſervamus. Nam & electio Gregorij 7 ſub Henrico 4 à clero & populo facta in literas relata apud Platinam legitur. Quæ tamen celebrata anno 1077. Poſtmodum à clero & populo in presbyteros Cardinales inclinare cœpit ſtudium & detrectare imperatoris confirmationem pontifex. Gregorius enim ita ſe veteri huic imperatorij conſenſus juri atque authoritati oppoſuit, ut æqua juſtaq; poſtulantem Henricum ſpreverit ac tandem anathematis ſui fulmine percuſſerit.

Porro in ſynodis indicendis, conſtantiſſime à Frācis uſurpatum, ut quemadmodum ſtatos diœceſium ac provinciarum conventus epiſcopi & metropolitæ quot- Convocatio particularium ſynodorum penes epiſcopos.

quotannis convocabant, ità ipſi principes, re id exigẽte, plurium aut omnium ſuarum provinciarum epiſcopos ad ſynodum generalem citandi poteſtatem ſibi retinuerunt. Vetuſtiſſimum exemplum ſuppeditat primus Francorum Chriſtianus Rex Clodoveus, qui Aureliani concilium epiſcoporum 31 congregari curavit. In quo, præter cetera, etiam illud, de quo ſupra dicebamus, obſervatu dignum, quod in epiſtola ſua epiſcopos ac ſacerdotes, qui erant convocati, indifferenter *papas* appellet; ipſi vero epiſcopi, abſoluto cõcilio, inter alia ad Clodoveum ita viciſſim reſcripſerunt: *Omnes ſacerdotes, quos ad concilium venire juſſiſtis de rebus neceſſariys tractaturos ex praſcripto veſtro de titulis à vobis propoſitis, quæ nobis ſunt viſa decrevimus.* Similiter annis ſubſequentibus Carolus Magnus quinque Concilia Provincialia in Gallijs celebravit, & unum etiam generale Francofurti, ſine Pontificis Romani vel conſenſu quidem, utpote in quo damnata eſt impia illa ſententia ſynodi Nicenæ ſecundæ de cultu imaginum, quam Papa Adrianus propugnabat.

Et denique, præter alia, nec hoc involvendum ſilentio, quod illis adhuc ſeculis, ex Pauli ad Timotheum monito, epiſcopi uxorati fuerint. Vnde *Vrbicum* & *Sidonium Apollinarem*, Arvernorum epiſcopos (ne alios ad teſtimonium citem) fuiſſe coniugatos ex ſcriptoribus eius ævi luculentè cognoſcimus. Quorum *Sidonius* Aviti imperatoris filiam in matrimonium ſibi ſociaverat, tenuitque dum vixit, ut patet ex Turonenſi cap. 21. & 22. lib. 2. Quamvis idem Turonenſis de *Vrbico* loquens, uxorem eius ad tempus remotam à conſortio ipſius juxta morem eccleſiæ referat lib. 1. cap.

Epiſcopi uxorati.

cap. 44, ſed à coniuge increpitum, quod, poſthabito Apoſtoli præcepto, ſeparationem faceret. Nã ita alloquentẽ & excitantem Vrbicum introducit coniugẽ idẽ Turonenſis: *Quouſque ſacerdos dormis, quouſque oſtia clauſa non reſeras? cur coniugem ſpernis? cur obduratis auribus Pauli præcepta non audis? ſcripſit enim: Revertimini ad alterutrum, ne tentet vos ſatanas. Ecce ego ad te revertor, nec ad extraneum, ſed ad proprium vas recurro.* Adeo ut ea ſtatim tempeſtate, qui fuit annus circiter 500, ſiniſtro quodam caſtitatis obtentu, ità à recto diviari ſit cœptum, ut poſtmodum publicis ſynodorum edictis non monachis modò & monialibus, ſed clero etiam coniugij uſus negatus ſit: quamquam poſt Carolum Magnum imperator Lotharius, ut habet ad annum 855 Sigebertus, notante etiam Catalogo teſtium veritatis, ſacerdotum coniugio adverſari noluerit. Et aliquot deinde annis poſt, publico tandem conſenſu decretum fuit, ut presbyteris per univerſam Germaniam ligitima connubia reſtituerentur. Eumq; morem pluſculis ſeculis receptũ Gregorius demum ſeptimus (Hildebrandus antea dictus) annum circiter 1074, Concilio cum ſuis in Italia habito, ceu impium & Patrum decretis adverſum, ubi condemnaſſet, confeſtim Germaniæ epiſcopis plenæ minarum literæ miſſæ, quæ honore ſacerdotij eos privarent, qui decreto Concilij papalis præterito, conjugati eſſe pergerent. Antiſtes igitur Maguncia-cenſis, ſynodo Heresfordiæ convocata, cum literas Papæ vel invitus prælegiſſet, oraſſetque ſummi pontificis edicto audientes eſſe, quæque Concilio placuiſſent recipere vellent, repente tanta eo in conſeſſu ſeditio exorta eſt, ut parum abfuerit, quin præſul ipſe de ca-

thedra deturbatus ſubitoque tumultu contrucidatus fuiſſet, clamantibus multis, ſatius eſſe epiſcopum Papæ fautorem occidi, quā dogma tā veſanum & hæreticum cum tanta ſacerdotij contumelia promulgari. Neque exemptus fuiſſet periculo præſul, niſi in poſterum ſaniora promiſiſſet. Et verò diu exinde obtinuiſſe hoc ipſum, ut, inquam, uxoratus eſſet clerus, idque in partibus præſertim imperio Francorum non viciniſtantum, ſed ſubditis quoque, vel ex Silvio, qui poſtea ſub Pij nomine Pontifex fuit, diſerte intelligitur, cum in Coſmographicis ſuis notet Friſios fœminarum impudicitiam ſeverius puniviſſe nec facile ſacerdotem ſine conjuge admiſiſſe; rationem adijciens, quia, inquit, vix continere hominem & virum natum poſſe, imo ſupra naturam id eſſe ea gens arbitraretur. Adeo ut idem ille pontifex, cum jam paſſim uxorum legitimarum loco concubinatus & pellices aliaque flagitioſa ſacerdotibus permitterentur, in hæc tandem verba ſententiam dixerit, *magna ratione ademptum quondam ſacerdotibus cōiugium majori reſtituendum.*

CAP.

CAP. VI.

DE CEREMONIIS ET PRAESERTIM COEna & Baptiſmo. Vbi & de Miſſa & quatenus intellecta ea & uſurpata Francorum veterum ævo.

ABſolvimus quod ad *loca* & *perſonas* attinet, nunc ex ordine & promiſſo de *Ceremonijs* dicendum. Ceremoniarum nomine etiamſi multa & fere omnia, quæ oſtentare atque exhibere cultus externus ſolet, hîc complecti occaſio eſſet, nos tamen præcipua tantum & illa præſertim, quæ ut maxime in oculos incurrunt, ita quoque in eccleſia maximos motus dederunt, puta *Sacramenta* & *Imagines*, attingere hoc loco orſi à Sacramẽtis in animum induximus.

Sacramenta autem vix alia magis uſitata habuiſſe illa tempora quam *Baptiſmi* & *Euchariſtiæ*, paſſim in gentis annalibus & actis antiquiſſimis reperio. Quin & horum prope ſolorum meminere Concilia, etiam illa, quæ ſub Carolo & Lodovico iuniore Maguncиaci & Vormaciæ anno 833 celebrata ſunt. Nam & Rabanus Maurus, epiſcopus Moguntinus, eius ævi vir, licet *Baptiſmum*, *Chriſma*, itemque *corpus* & *ſanguinem* domini in duo quaſi ſecans, quatuor conſtituiſſe Sacramenta videatur, libro 1. de Clericorum inſtitutione cap. 31, excuſationem tamen meretur, cum ſecutus Ambroſiũ, Auguſtinum & illam puriorem antiquitatem ubique ſaniſſima, quod ad ipſam rem, adferat; Et operæ eſſet

in verbis, præter jam dicta, etiam hoc notandum, quod epiſcoporum eſſet non populum modo, ſed eos quoq; qui ad populum erudiendum adhiberentur, puta preſbyteros & Canonicos, meliores doctioreſq; reddere: hoc eſt, ut non publice ſolũ plebi, ſed privatim etiam clero ſcripturas interpretarentur. Eumque in finem antiquitus in more poſitum videtur ut clerici non ſeparatim (ut hodie) ſed in eiſdem cum epiſcopo ædibus habitarint. Quo referendum illud Auguſtini de vita Clericor. Serm. I. *Noſtis omnes aut pæne omnes, ſic nos vivere in ea domo, quæ dicitur* DOMVS EPISCOPI, *ut quantum poſſumus, imitemur eos ſanctos, de quibus loquitur liber actuum Apoſtolorum : Nemo ducebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia.* Horum fratrum officium atq; inſtitutum quid aut quale fuerit perſequitur idem Auguſtinus in expoſitione Pſal. 99. Qui & canones certamq; vivendi normã ijſdẽ præſcripſiſſe legitur. Vnde Canonicos hodiernos, licet illis prioribus multũ diſſimiles, originem ſuam repetere debere vix ſit ambigendum. DOMVM autem hanc EPISCOPI quam dicebat Auguſtinus Francorum lingua fortaſſis **Biſſchoffshoff** aut **Biſſchoffsheim** fuiſſe appellatã colligere ſit ex verbis Remigij epiſcopi ſupra in eius teſtamento

Pag. 352. * poſitis, ubi ait: *villas duas quas Clodoveus à me ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus, amore nominis mei*, **Biſcopheſheim** *ſua lingua vocatas, mihi tradidit.* Atque ita ad diſciplinam quod attinebat, erat officij epiſcopalis, quod etiam canon Concilij Maguntiacenſis repetit, ut quotannis presbyteri de miniſterij functione & fidei prædicatæ ratione ab epiſcopis examinarentur. Quin & Laicis paſſim in Francorum eccleſiijs fas erat paſtores obſer-

vare,

vare, notare & referre ad epiſcopos: Quorum tum munus erat omne genus vitia in illis, nempe diſciplinæ ſuæ ſubmiſſis, emendare & adigere etiam ceſſantes ut verbo ædificarent & prodeſſent exemplo. Anſegiſ. lib. 2 cap. 5. & lib. 2. cap. 30. 35.. 244.

Electionem porro penes eccleſiam fuiſſe nec cleri tantum ſed populi etiam votis & ſuffragio electos epiſcopos obtinuiſſe tum chronologi illorum temporum ſatis indicant. Et aderant fere electionibus aut principes ipſi aut duces aut comites, neque ulla rata habebatur electio, niſi quæ principis conſenſu confirmata fuiſſet. Extat hac de re Caroli Magni ſtatutum, quod omnino adſcribi meretur ex libro 1 capitul. 84: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta eccleſia ſuo liberius potiretur honore, adſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet epiſcopi per electionem cleri & populi ſecundum ſtatuta canonum de propria diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubiectis uſquequaque prodeſſe valeant.* Quibus in Magni Caroli verbis præcipue obſervatione dignũ, quod ait, *ſacrorum*, ſive eccleſiaſticorum, *canonum non ignarum ſe* ita ſancire: & addat deinde ac velit, *epiſcoporum electionem per clerum & populum ſecundum ſtatuta canonum, remota perſonarum ac munerum acceptione, ob vitæ meritum &c.* peragendam; indubie reſpiciens ad priora, non tantum eccleſiæ primitivæ & Apoſtolorum, ſed etiam anteceſſorum ſuorum tempora. Nam etiam plus integro ante ætatem ipſius ſeculo, adhuc naſcente tunc apud Francos Chriſti doctrinâ, eum canonem in epiſcoporum electione locum habuiſſe locuples teſtis eſt, præ-

ter Gregorium Turonenſem, etiam *Aurelianenſis* & *Pariſienſis* Sinodi ſub rege Childeberto Clodovei, primi inter reges Francorum Chriſtianam religionem profeſſi, filio celebratæ. Quarum Pariſienſis cap. 6. hæc habet verba: *Nullus civibus inviti ordinetur epiſcopus, niſi quem populus & clericorum electio pleniſſima quæſierit voluntate, non principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra metropolis voluntatem, vel provincialium ingeratur.* Gregorius vero Turonenſis, inter ceteros de Quintiano agens, Turonum epiſcopo, etiam tum eccleſiæ hanc praxim & conſvetudinem obtinuiſſe oſtendit, cum refert à populo Quintianum electum, ſed Alchimam & Placidinam uxorem ſororemque cuiuſdam Apollinaris pro marito ac fratre apud regem Theodoricum, oblatis muneribus, effeciſſe ut Apollinaris epiſcopatu potiretur: *Quo*, ut dicam porrò Gre-
Lib.3.c.2. gorij verbis, *quatuor abutens menſibus migravit à ſeculo. Cum autem hæc Theodorico nunciata fuiſſent, iuſſit inibi ſanctum Quintianum conſtitui & omnem ei poteſtatem tradi eccleſiæ, dicens, hic ob noſtri amoris Zelum ab urbe ſua deiectus eſt. Et ſtatim directi nuncij, convocatis pontificibus & populo, eum in Cathedram Arvernæ eccleſiæ locaverunt.* Vnde duo diſcimus, primo ab illo abuſu, quem tollendum monet Carolus, quod ad munerum & perſonarum acceptionem, haud omnino etiam tum immune fuiſſe ſeculum: deinde regem, re penitius intellecta, redijſſe in rectam viam, ac iuſſiſſe, convocato clero ac populo, reſtitui ſuæ eccleſiæ, à quâ jam antea fuerat electus, Quintianum epiſcopum. Similiter & idem Turonenſis commemo-
Lib.6.c.9. rat Theodulphum Abbatem à Dumnolo epiſcopo

electum

electum, rege adſenſum præbente. Et iterum de Felice Nannetum epiſcopo loquens ait, eum, cum jã graviter ægrotaret, vocaſſe ad ſe epiſcopos, qui propinqui erant, & ſupplicaſſe ut conſenſui ſuo in vocando Burgundione nepote, ſuum etiam calculum adjicerent: Eoque facto eundem deinde Burgundionem ad ſe quoque miſſum Turonenſis ait, ſed cum adhuc admodum adoleſcens & necdum præsbyter eſſet Burgundio, reſpondiſſe; *Habemus ſcriptum in Canonibus fili, Non poſſe quemquã ad epiſcopatum accedere, niſi prius eccleſiaſticos gradus regulariter ſortiatur. Tu ergo dilectiſſime, revertere illuc & pete ut ipſe te, qui elegit, debeat tonſurare. Cumque preſbyterij honorem acceperis ad eccleſiam aſſiduus eſto: & cum eum Deus migrare voluerit, tunc facile epiſcopalem gradum aſcendes.* Verum Burgundione, ut poſtmodum adjicit Turonenſis, cum jam revaleſcere videretur Felix, conſilium illud poſthabente, factum ut interea moreretur Felix & Nonnichius eius conſobrinus, ordinante rege, ſucceſſerit. Quo loci & alijs apud Gregorium, ubi ſoli licet regi ordinatio adſcribi videtur, tamen ſecundum canones & morem eccleſiæ, de quo jam ante memoratum, electionem peractam, quicumque eiuſdem Gregorij hac de re teſtimonia ac narrationes accuratius inſpexerit atque inter ſe contulerit, haud ægré daturum confido. Et hinc eſt quod nonnunquam etiam apud eundem Turonenſem non *ordinante*, ſed ut ſupra de Dumnolo ac Theodulpho patuit, *adſenſum præbente*, itemque *opitulante rege*, electos epiſcopos memoretur; ut cum de Gallo ſucceſſore Quintiani verba facit, hæc inter alia, occurrunt; *Cum* Lib. 4, c. 5.

Ibid. cap. 3

beatus

vel Seniori communi illius, à ſervis veſtris, quorum ſubſcriptiones vel ſignacula ſubtus tenentur inſertæ. Principalitatis veſtræ circumſpecta clementia novit juſta petentibus adnuere, ſuo moderaminis judicio ponderante præſertim, cum illa depoſcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, conſtat illud ad eccleſiæ regimen pullulare, quod & ipſum regalis clementiæ proſit ſaluti, pariter ac mercedi. Quoniam ſanctæ memoriæ vir Apoſtolicus ille, illius urbis epiſcopus, fine adpropinquante ab hac luce migravit, tempore naturæ complenti, ne deſtitutæ ſint, quod abſit, oves decedente paſtore, in loco eiuſdem ſuplicıter poſtulamus, ut inſtruere dignemini inluſtrem virum illum, aut venerabilem illum cathedræ illius ſucceſſorem, in quo eſt præſpicuitas ſublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia caſtitatis, charitatis locuples, voluntatis irrefragabiliter, manu noſtra hunc conſenſum decrevimus roborare. Hucuſque ſuggeſtionis formula. Et eandem ſane rationem ab imperatoribus Romanis & Francis exinde ad uſque Henricum V. veteri jure & more maiorum uſurpatam fere obſervamus. Nam & electio Gregorij 7 ſub Henrico 4 à clero & populo facta in literas relata apud Platinam legitur. Quæ tamen celebrata anno 1077. Poſtmodum à clero & populo in presbyteros Cardinales inclinare cæpit ſtudium & detrectare imperatoris confirmationem pontifex. Gregorius enim ita ſe veteri huic imperatorij conſenſus juri atque authoritati oppoſuit, ut æqua juſtaq; poſtulantem Henricum ſpreverit ac tandem anathematis ſui fulmine percuſſerit.

Convocatio particularium ſynodorum penes epiſcopos,

Porro in ſynodis indicendis, conſtantiſſime à Frãcis uſurpatum, ut quemadmodum ſtatos diœceſium ac provinciarum conventus epiſcopi & metropolitæ

quotannis convocabant,ità ipſi principes, re id exigēte, plurium aut omnium ſuarum provinciarum epiſcopos ad ſynodum generalem citandi poteſtatem ſibi retinuerunt. Vetuſtiſſimum exemplum ſuppeditat primus Francorum Chriſtianus Rex Clodoveus, qui Aureliani concilium epiſcoporum 31 congregari curavit. In quo, præter cetera, etiam illud, de quo ſupra dicebamus, obſervatu dignum, quod in epiſtola ſua epiſcopos ac ſacerdotes, qui erant convocati, indifferenter *papas* appellet; ipſi vero epiſcopi, abſoluto cōcilio, inter alia ad Clodoveum ita viciſſim reſcripſerunt: *Omnes ſacerdotes, quos ad concilium venire iuſſiſtis de rebus neceſſarijs tractaturos ex præſcripto veſtro de titulis à vobis propoſitis, quæ nobis ſunt viſa decrevimus.* Similiter annis ſubſequentibus Carolus Magnus quinque Concilia Provincialia in Gallijs celebravit, & unum etiam generale Francofurti, ſine Pontificis Romani vel conſenſu quidem, utpote in quo damnata eſt impia illa ſententia ſynodi Nicenæ ſecundæ de cultu imaginum, quam Papa Adrianus propugnabat.

Epiſcopi uxorati.

Et denique, præter alia, nec hoc involvendum ſilentio, quod illis adhuc ſeculis, ex Pauli ad Timotheum monito, epiſcopi uxorati fuerint. Vnde *Vrbicum* & *Sidonium Apollinarem*, Arvernorum epiſcopos (ne alios ad teſtimonium citem) fuiſſe coniugatos ex ſcriptoribus eius ævi luculentè cognoſcimus. Quorum *Sidonius* Aviti imperatoris filiam in matrimonium ſibi ſociaverat, tenuitque dum vixit, ut patet ex Turonenſi cap. 21. & 22. lib. 2. Quamvis idem Turonenſis de *Vrbico* loquens, uxorem eius ad tempus remotam à conſortio ipſius juxta morem eccleſiæ referat lib. 1. cap.

cap. 44, ſed à coniuge increpitum, quod, poſthabito Apoſtoli præcepto, ſeparationem faceret. Nã ita alloquentẽ & excitantem Vrbicum introducit coniugẽ idẽ Turonenſis: *Quouſque ſacerdos dormis, quouſque oſtia clauſa non reſeras? cur coniugem ſpernis? cur obduratis auribus Pauli præcepta non audis? ſcripſit enim: Revertimini ad alterutrum, ne tentet vos ſatanas. Ecce ego ad te revertor, nec ad extraneum, ſed ad proprium vas recurro.* Adeo ut ea ſtatim tempeſtate, qui fuit annus circiter 500, ſiniſtro quodam caſtitatis obtentu, ità à recto diviari ſit cæptum, ut poſtmodum publicis ſynodorum edictis non monachis modò & monialibus, ſed clero etiam coniugij uſus negatus ſit: quamquam poſt Carolum Magnum imperator Lotharius, ut habet ad annum 855 Sigebertus, notante etiam Catalogo teſtium veritatis, ſacerdotum coniugio adverſari noluerit. Et aliquot deinde annis poſt, publico tandem conſenſu decretum fuit, ut presbyteris per univerſam Germaniam ligitima connubia reſtituerentur. Eumq; morem pluſculis ſeculis receptũ Gregorius demum ſeptimus (Hildebrandus antea dictus) annum circiter 1074, Concilio cum ſuis in Italia habito, ceu impium & Patrum decretis adverſum, ubi condemnaſſet, confeſtim Germaniæ epiſcopis plenæ minarum literæ miſſæ, quæ honore ſacerdotij eos privarent, qui decreto Concilij papalis præterito, conjugati eſſe pergerent. Antiſtes igitur Magunciacenſis, ſynodo Heresfordiæ convocata, cum literas Papæ vel invitus prælegiſſet, oraſſetque ſummi pontificis edicto audientes eſſe, quæque Concilio placuiſſent recipere vellent, repente tanta eo in conſeſſu ſeditio exorta eſt, ut parum abfuerit, quin præſul ipſe de ca-

 thedra

thedra deturbatus ſubitoque tumultu contrucidatus fuiſſet, clamantibus multis, ſatius eſſe epiſcopum Papæ fautorem occidi, quã dogma tã veſanum & hæreticum cum tanta ſacerdotij contumelia promulgari. Neque exemptus fuiſſet periculo præſul, niſi in poſterum ſaniora promiſiſſet. Et verò diu exinde obtinuiſſe hoc ipſum, ut, inquam, uxoratus eſſet clerus, idque in partibus præſertim imperio Francorum non vicinis tantum, ſed ſubditis quoque, vel ex Silvio, qui poſtea ſub Pij nomine Pontifex fuit, diſerte intelligitur, cum in Coſmographicis ſuis notet Friſios fæminarum impudicitiam ſeverius puniviſſe nec facile ſacerdotem ſine conjuge admiſiſſe; rationem adijciens, quia, inquit, vix continere hominem & virum natum poſſe, imo ſupra naturam id eſſe ea gens arbitraretur. Adeo ut idem ille pontifex, cum jam paſſim uxorum legitimarum loco concubinatus & pellices aliaque flagitioſa ſacerdotibus permitterentur, in hæc tandem verba ſententiam dixerit, *magna ratione ademptum quondam ſacerdotibus cõiugium majori reſtituendum.*

CAP.

CAP. VI.

DE CEREMONIIS ET PRAESERTIM COENA & Baptiſmo. Vbi & de Miſſa & quatenus intellecta ea & uſurpata Francorum veterum ævo.

ABſolvimus quod ad *loca* & *perſonas* attinet, nunc ex ordine & promiſſo de *Ceremonijs* dicendum. Ceremoniarum nomine etiamſi multa & fere omnia, quæ oſtentare atque exhibere cultus externus ſolet, hîc complecti occaſio eſſet, nos tamen præcipua tantum & illa præſertim, quæ ut maxime in oculos incurrunt, ita quoque in eccleſia maximos motus dederunt, puta *Sacramenta* & *Imagines*, attingere hoc loco orſi à Sacramẽtis in animum induximus.

Sacramenta autem vix alia magis uſitata habuiſſe illa tempora quam *Baptiſmi* & *Euchariſtiæ*, paſſim in gentis annalibus & actis antiquiſſimis reperio. Quin & horum prope ſolorum meminere Concilia, etiam illa, quæ ſub Carolo & Lodovico iuniore Magunciaci & Vormaciæ anno 833 celebrata ſunt. Nam & Rabanus Maurus, epiſcopus Moguntinus, eius ævi vir, licet *Baptiſmum*, *Chriſma*, itemque *corpus* & *ſanguinem* domini in duo quaſi ſecans, quatuor conſtituiſſe Sacramenta videatur, libro 1. de Clericorum inſtitutione cap. 31, excuſationem tamen meretur, cum ſecutus Ambroſiũ, Auguſtinum & illam puriorem antiquitatem ubique ſaniſſima, quod ad ipſam rem, adferat; Et operæ eſſet

deSacramento præſertim euchariſtiæ ipſum loquentẽ audire ex eodem de Clericorum Inſtitutione libro, niſi prolixora forent. Guſtum interim eorûm aliquem dare, & vel hæc ex multis paucula in medium adducenda putavi: *Sacramentum*, inquit, *ore percipitur, virtute ſacramenti interior homo ſaciatur; Sacramentum in alimentum corporis redigitur, virtute autem Sacramenti æternam vitam adipiſcimur. In Sacramentis fideles quique communicantes pactum ſocietatis & pacis ineunt: in virtute autem Sacramenti, omnia membra Capiti ſuo conjuncta & adunata in æterna claritate gaudebunt. Sicut ergo in nos id convertitur, cum id manducamus & bibimus, ſic & nos in corpus Chriſti convertimur, dum obedienter & pie vivimus.* Ex quibus, ut alia nunc mittam, ubi inquit, *cum id manducamus & bibimus*, ſatis intelligitur hoc Sacramentum ſub ſpecie panis & vini integre tum adhuc adminiſtratum ac plene in populum diſtributum fuiſſe: in populum dico, qui, ut habet Anſegiſus, ter minimum in anno ad communionem admittebatur. Et notat idem Anſegiſus, Carolum Magnum vetuiſſe presbyteros *Miſſas* celebrare, niſi ipſi quoque communicarent. Vnde deprehenditur Miſſam tunc adhuc aliud non fuiſſe quam participationem euchariſtiæ una cum populo, nec illo tempore aut privatæ aut ſolitariæ Miſſæ uſum ullum exſtitiſſe.

Cap.31. Lib.1.

Ipſum autem *Miſſæ* nomen cum in ſcriptis Apoſtolicis nuſquam occurrat, & illo tamen Francorum non inferiori tantum, ſed anteriori quoque ævo uſurpatum reperiatur, ut conſtet qua occaſione & natum & euchariſtiæ accommodatum ſit, hoc ex Iſidoro repetendum, quod catechumeni olim in primitiva eccleſia euſq;

in templis permanerent, donec ab epiſcopo euangeliũ eſſet expoſitum : Quo peracto clamabatur, CATECHVMENI EXEVNTO, vel, ut habent ipſa Iſidori verba, *ſi Catechumenus remanſit, exeat foras.* In Etymologico. Ab hac itaque Catechumenorum dimiſſione vulgus appellationem *Miſſæ* ſacro attribuit. Vt ita *Miſſæ* vocabulum in ea denunciatione idem ſit quod *miſſio* vel *dimiſſio*: Sicut & *remiſſa* apud Cyprianum idem quod *remiſſio*. Quamvis aliter cenſeat Vitus Amerbachius ad Caroli cõſtitutiones deducens, ſcilicet ab *hoſtia miſſa* id eſt, delata in conſpectũ vel ad altare. Sed prius etymon oſtendit antiquitatis hoc myſterium, ut alia multa, accepiſſe Chriſtianos à gentibus. Nam & lictor olim apud Romanos, ut prodit Feſtus, in ſacris quibuſdam clamitare ſolebat, *hoſtis, vinctus, mulier, virgo exeſto.*

Porro Sacrificium quoque & oblationem Miſſam dixêre eccleſiæ Francorum, ſed ita tamen, ut commemorationis tantum & εὐχαριστίας ſacrificium exiſtimaverint. Diſerte enim Rabanus Maurus : *Sacrificium dictum, quaſi ſacrum factum, quia prece myſtica conſecratur in memoriam Dominicæ paſſionis.* Lib. 1. cap. 32. de Inſt. Cler. Et ſtatim : *Miſſa eſt legatio inter Deum & hominem, cuius legationis officio fungitur ſacerdos, cum populi vota per preces & ſupplicationes ad Deum offert. Et bene hoc tempore ſacrificij fit, quando illius paſſionis memoria celebratur, Chriſti videlicet mediatoris Dei & hominum: qui ſemet ipſum obtulit patri pro nobis.* Idem dicit Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam, circa annum Domini 700, in uſu fuit, edita olim ex vetuſtiſſimis membranis à Flacio Illyrico. Hæc enim ibi reperio: *Suſcipe ſancta trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, paſſionis, reſurrectionis &*

aſcen-

aſcenſionis domini noſtri Ieſu Chriſti. Item: *Suſpice hanc oblationem, quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis atque offenſionibus meis, ut preterita mihi dimittas, & de futuris cuſtodias.*

Varias autem fuiſſe, & in ſingulis fere regnis diverſas Miſſæ formas, aliamque habuiſſe aliquandiu à Romanis Francos, indicat Regeſtum Gregorij. Vbi quærit Auguſtinus, ille qui ad Anglos miſſus eſt, cûr cum
Lib. 12. una ſit fides, ſint tam diverſæ conſvetudines; & alia ſit forma Miſſæ Romanæ, alia Gallicæ? Reſpondet Gregorius, *formam miſſandi aliaſque eccleſiæ conſvetudines rem liberam eſſe.* Eamque libertatem ſecutos quoque Francos aduſque Pipini & Caroli M. ætatem teſtatur Carolus Calvus in quadam epiſtola ad eccleſiam Ravennatem, inquiens: *Vſque ad tempora abavi mei Pipini, Gallicæ eccleſiæ aliter quam Romana vel Mediolanenſis Eccleſia divina officia celebrabant, ſicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ eccleſiæ ad nos venientes ſecundum morem iſtius eccleſiæ coram nobis ſacra officia celebrarunt. Celebrata ſunt etiam coram nobis ſacra Miſſarum officia, more Hieroſolymitano, authore Iacobo Apoſtolo; & more Conſtantinopolitano, authore Baſilio. Sed nos ſequendam ducimus Romanam eccleſiam in Miſſarum celebratione.* Francis igitur ceteriſque in vicino Germanis omniq; Galliæ, regnante præſertim Pipino, idque opera Bonifacij, quem Germanorum Apoſtolum vocant, Romani ritus, exploſis veteribus, obtruſi fuerunt. Qui tamen ita recepti, ut ſemper eccleſiæ & imperatores, quod è re eſſet, de ſingulis ſtatuendi arbitrium ſibi reſervarint, ut liquet ex eorundem paſſim Capitularibus. Iohannem ſanè Duns Scotum, Lodovicij Pij ſeculo, dum enarrat libellum

bellum de hierarchia taxatque, ut quidam addunt, opinionem quarundam eccleſiarum de oblatione pro vivis & mortuis, diſcipuli graphijs confoderunt. Crinit. lib. 24. cap. 11 de hon. diſcipl.

Atque ut hæc ſuperius jam enarrata, intra eccleſiā & populi cœtum circa Dominicam Cœnam obſervata fuerunt, ita viciſſim obtinuiſſe ijſdem ſeculis legimus, ut privatim & imprimis ægrotis & quidem domeſticatim etiam infantibus euchariſtia exhiberetur. Qui licet uſus, ſive abuſus potius, nulla Apoſtolorum aut SS. Scripturarum autoritate fulciatur, antiquitate tamen aliqua ſe tutatur, & præſertim Cypriani & Auguſtini ſeculo, quo etiam parvuli communicabant, ut omittam Nicenum * Concilium, euchariſtiam morientibus ſub *Viatici* vocabulo concedens. Nec illud modò, ſed & hoc acceſsit, & paſsim uſurpatum etiam Caroli ætate, ut ægri poſt communionem oleo quoque jungerentur, idque, ut loquitur in Capitulari eiuſdē Caroli * Anſegiſus, *iuxta Apoſtolicam ſententiam*; Reſpiciens videlicet, quantum ſuſpicor, verba * Iacobi, quibus innuitur ad ægrotos advocari ſolitos eccleſiæ ſeniores cum vigeret adhuc ſanationis donum: Preces enim illi ad Deum pro ægris tum fundebant, oleo eoſdem jungentes & curantes in Domini nomine. Quod ipſum quoq; Tertulliani adhuc ævo uſitatum ex eius ad Scapulam libro, cap. 4 liquet, ubi *Severum Imperatorem à Torpacione Chriſtiano, Euhodeæ procuratore, per oleum aliquando curatum*, eundemque in palatio eiuſdem Imperatoris reverenter & cum honore exinde habitum refert. Verum Pontificios poſtea multo hoc aliter & intellexiſſe longiuſque traxiſſe, neminem, cui ſaniora placent, ignorare exiſtimo.

* Canō. 12.

* Lib. 1. c. 162.

* Cap. 5.

Baptiſmus Quod ad *Baptiſmi* ritum attinet, in eo nihil ab eccleſiæ melioris puritate diverſum Franci obſervabant, tãtum cum Gothis contentio erat. Gothi enim, utpote Arianiſmo addicti, non ex præſcripto SS. Scripturarum, *in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti*; ſed novã formulam commenti, *in nomine Patris, per Filium in Spiritu ſancto*, Baptiſmum adminiſtrabant. Vnde & factum ut Franci, ab anabaptiſmo alioquin alieniſſimi, à Gothis baptizatos rebaptizarint. Quod præſertim de Lanthilde Clodovei ſorore, & Brunichilde Sigeberti regis coniuge, Athanagildi Gothici in Hiſpania regis filia, refert Greg. Turonenſis, & repetit uberius, iſtud nempe de Brunichilde, Ado ad annum 564. Vbi ità legitur: *Sigebertus rex Brunichildem, Athanaildi regis filiam, uxorem accepit. Eamque ſub Arianis baptizatam in nomine individuæ trinitatis rebaptizari præcepit.*

Lib. 2 c. 31 item lib. 4. 27.

Facit porro ad præſens inſtitutum & laudem quoq; gentis, quod nimirum lege à Lodovico & Lothario latâ tenerentur non parentes tantum, ſed & ſuſceptores, quos ea ætas *compatres* & *patrimos* vocabat, ut infantes, quos baptiſmi de fonte levaſſent, Chriſtiana pietate ac moribus fideq; Catholica imbuerent. Quod præclarum inſtitutum hodieque puriores eccleſias, quotquot Chriſto nomen dederunt, & approbare & quantum in ipſis eſt, etiam æmulari conſtat. Sed legis ipſa verba, quia ſuccincta ſunt, non abs re fuerit hoc loco integra ſubijcere. Ita enim habent: *Parentes filios ſuos, & patrini eos, quos de fonte lavacri ſuſcipiunt, erudire ſummopere ſtudeant. Illi, quia eos genuêre; & eis à Domino dati ſunt; iſti vero, quia pro eis fideiuſſores exiſtunt.*

Cap. 46, & 30. lib. 2.

CAP.

CAP. VII.

DE IMAGINIBVS EARVMQVE apud Francos, primis præſertim ſeculis, uſu ac cultu.

HInc ſequuntur imagines. Quæ in primitiva eccleſia nullæ fuerunt, ut patet vel ex Tertulliano & Epiphanio. Quorum ille libro de Idololat. cap. 4. *Omnia* inquit *colit humanus error, præter ipſum omniũ conditorem. Eorum imagines idola, imaginum conſecratio idololatria.* Et libro de Pudicitia cap. 7. exprobrat Chriſtianis nonnullis, quod pictos calices habere audeant, in quibus figura paſtoris peccatores ad ſe recipientis haberetur. Epiphanij autem verba hæc ſunt, ex epiſtola ad Iohannem Conſtantinopolitanum: *Audivi quoſdam murmurare contra me, quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more eccleſiaſtico facerem, & veniſſem ad villam, quæ dicitur Amablato, vidiſſemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogarem, qui locus eſſet, didiciſſemque eſſe eccleſiam, & intraſſem ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus eiuſdem eccleſiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti vel ſancti cuiuſdam; non enim memini cuius imago fuerit. Cum ergo hoc vidiſſem in eccleſia Chriſti* CONTRA AVTORITATEM SCRIPTVRARVM, *pendere imaginem* (puta vel *Chriſti* vel *Sancti alicuius*) *ſcidi velum illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiuſdem, ut pauperem mortuum eo*

obvolverent & efferrent &c. Euſebius etiam in hiſtoria Eccleſiaſtica monet ſua tempeſtate nonnullos ex gentibus ad Chriſtum converſos gentilium in morem iconas apud ſe ſervaſſe, non tã ad cultum, quàm in amoris & affect us ſignum. Verba eius ſunt lib. 7 cap. 14. Hiſt. Eccleſ. de muliere hæmorrhoüſa hunc nimirum in modũ loquentis: *Mulierẽ illã ſanguinis profluvio afflictatã, quã ſanctorum Evangeliorũ teſtimonio à Servatore noſtro morbi remediũ inveniſſe cognovimus, ex ea civitate oriundã, illiuſque domũ ibi oſtendi, & admirabilia quædã Salvatoris in eã beneficij monimenta, & quaſi trophæa, ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius, æneã mulieris effigiẽ genibus flexis, & manibus inſtar ſupplicantis, in anteriorem partem extenſis, ſuper editum lapidem collocatã: huic è regione viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, veſtitu ad talos dimiſſo decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem, ad cuius pedes in ipſa baſi peregrinam quandam & inuſitatam herbæ ſpeciem enaſci: quam quidem, ubi ad ænei veſtitus fimbriam excreverit, morbis cuiuſque generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc ſtatuam, effigiem Ieſu Chriſti exprimere dicunt: quam ad noſtram uſque ætatem manentem, ipſi ad eam civitatem profecti, oculis cernebamus. Nec plane mirum eos,* QVI EX GENTIBVS PROGNATI A SALVATORE, DVM INTER HOMINES VIVEBAT, BENEFICIIS AFFECTI FVISSENT, ISTA EFFECISSE; *cum & nos Petri & Pauli Apoſtolorum, & Chriſti etiam ipſius imagines, colorum varietate expreſſis conſervataſque aſpexerimus: idque propterea, ſicut veriſimile eſt, quod maiores noſtri* AD GENTILIS CONSVETVDINIS SIMILITVDINEM *quam proxime accedentes, eos qui tanquam ſalvatores illis fuiſſent, id eſt, qui illis aliquid ſalutis & ſubſidij attuliſſent, apud ſe honore*

ad

ad hunc modum afficere conſveverint. Vnde liquere meridiana luce clarius poteſt, ex gentium proprie inſtitutis irrepſiſſe tandem in Chriſti eccleſiã & uſum Chriſtianorum imagines; ſimulque & confutari eos, craſſæque ignorantiæ aut pervicaciæ reos agi, qui hunc pro ſe & ad defenſionem imaginum locum adducunt, cum ethnicorum, non Chriſtianorum, conſvetudine & more hæc facta Euſebio commemorentur. Franci ægre & ſerò admiſerunt, contenti ad memoriam Dominicæ Paſſionis ſimplici cruce: Quã & Tertullianus ſuo ævo ſacram & dicatam habuiſſe Chriſtianos tradit, addens interim nulla eos SS. Scripturarum lege, ſed conſvetudine & traditione ſola id uſurpaſſe. Primus Francorum regum Pipinus imaginum veneratoribus in Synodo Gentiliacenſi, anno 767, diem dixit, concedens quidem ornatus gratia & ad inſtruendos de rebus geſtis imperitos, non autem ad venerationem, eſſe in eccleſia debere ſimulacra. Quod licet acta Synodi haud diſerte loquantur, ita tamen rem habere, præter alia, cum Meierus, tum Pipini ſucceſſores ratũ faciunt. Meierus enim ad annũ Pipini 752, excitatum Gandavi in ditione Francorum civilem motum refert propter ſanctorum imagines, quas alij habendas ac in templis ponendas cenſebant; alij ceu idololatriæ inſtrumenta execrabantur, eoque in motu interfectum Hildebertum Abbatem Blandinienſem, utpote fautorem pontificis imagines habendas aſſerentis. Succeſſores deinde Pipini Carolus nimirum filius & nepos Lodovicus, ille Francofurti, anno 794; hic Pariſijs, ſub annum 825, Synodi Nicenæ ſecundæ, ab Irene Imperatrice, contra priores imperatores (qui edicta de tollendis imagini-

De Corona Mil. cap. 4.

 bus

bus publicaverant) convocatæ impiam de adorandis ſimulacris ſententiam prorſus eliminandam, ad cuius niſi ad parentis & avi exemplum? judicarunt. Quamvis eam tum etiam ambabus fuiſſet amplexatus Adrianus Romanus pontifex. Vt inde ſit, quod refert Anaſtaſius Paparum bibliothecarius, citante Baronio ad eundem illum Lodovici Pij annum 825, *manſiſſe ſemper inconcuſſam Apoſtolicæ ſedis autoritatem de cultu ſacrarum imaginum; ſed Gallorum aliquos ad ſua tempora in eodem errore perſeveraſſe, & per Romanum pontificem corrigi hactenus minime potuiſſe.* Vbi Franci (quos Gallos vocat) in opinione de non adorandis ſimulacris perſeveraſſe, nec auſcultare pontifici, imagines colendas adhortanti, voluiſſe memorantur. Licet interea & inde & aliunde ſit colligi, Romanos pontifices, per quos *myſterium* illud, quod vocat Apoſtolus, *iniquitatis* tacite agitabatur, haud oſcitanter laboraſſe, ſed omnem moviſſe tum lapidem ut in ſuam ſuperſtitionem pertraherentur etiam Franci. Nã & Hincmarus, Rhemenſis archiepiſcopus, diſerte teſtatur, *autoritate quidem Francofurtenſis illius Synodi nonnihil repreſſam imaginum venerationem, ſed Hadrianum alioſque pontifices in ſua nihilominus opinione perſeveraſſe, & mortuo Carolo* (ſunt verba ipſius Hincmari) *ſuarum pupparum cultum vehementius promoviſſe.* Adeo ut eo res abierit, ut poſt exceſsum Irenes, quæ cũ Romanis, ut retulimus, acriter imagines Conſtantinopoli propugnaverat, eius ſucceſsores Nicephorus, Michael alijque Orientis imperatores, non imaginum tãtum cultum, ſed omnino in templis ferendas imagines denuo poſt Leonem Iſauricum inhibuerint, indignantibus licet veteris Romæ pontificibus: Qui exinde

Cap. 20. contra Hincmar. Laudun. Epiſ.

exinde Græcorū hoc facto irritati infeſtiſſimo ſemper in Græcos animo fuerunt. Francos vero, qui eò perducti fuerant, ut imagines, ſicut memoravimus, licet non adorandas, hiſtoriæ tamen & ornatus cauſa ferendas in eccleſijs cenſuerant, omnibus & honoribus & ipſo denique imperij diademate affecerunt, in ſpem nimirum, ut eos ſibi in totum tandē obſequentes haberent. Quod & obtinuiſſe videntur, dum uſque adeo paulatim etiā hac parte *ſal omne infatuatum eſt*, ut non templa modò, ſed & oppida & regna tot paſſim dicatis ædibus & numinibus tum repleta ſint, ut pæne, apud eos præſertim, qui Papæ in univerſum jam dicto audientes eſſent, facilius fuerit *deum quàm hominem invenire*, ut obiter ad hunc ſenſum accommodem verba * Arbitri. * Petron. Saty.
Et primus quidem Francorum ipſe Magnus Carolus immodica quadam indulgentia, propoſito tamen iuvandæ pietatis, ædes ſacras non implevit ſolum pretioſiſſimis ornamentis, de præda & manubijs victoriarum ingentium, ſed & ceremonijs inſvetis antea & à ſede Pontificia mutuatis auxit, quum annis amplius trecentis Chriſtiani fuiſſent Franci. Neque dubium eſt (adeo infelicia ſunt in ſacris inſtituendis humana conſilia) quin inde facto veluti initio ad hancuſque morū ac priſtinæ integritatis corruptelam paulatim deventum ſit. Sed hæc poſterius fuēre. Nos priora illa & puriora ſecula magis capiunt; in quibus ille ipſe, quem dixi, imperator Carolus, licet ornatus gratia imagines admitteret, cultum tamen earundem, ad formam ſynodi à ſe Francofurti, ut innuimus, habitæ, palam coarguit. Et *Agobardus* exinde ſub Lothario, Lugdunenſis Epiſcopus (nuper à Papyrio Maſſono Lutetiæ Pari-

Pariſiorum, additis tractatuum ſingulorum ſynopſibus, eleganter editus) idem argumentum accurate, inter cetera, retexuit: Quemadmodum & *Claudius Taurinenſis*, qui Lodovico Pio de eodem Apologeticum obtulit, in quo nec ornatus quidem cauſa, ſed omnes omnino, nec imagines tantum, ſed & cruces abolendas, nec ullatenus in domo Dei toleranda ſimulachra ad exemplum eorum Græcorum (quos iconoclaſtas Pontificij appellant) animoſè defendit. Qui & ob id non tantum apud Romanos, ſed Francicarum etiam eccleſiarum epiſcopos haud levem indignationem incurrit: Qui moderationi ſcilicet hac parte ſtudentes latum aditum &, quod dicitur, rima admiſſa, totas tandem fores idololatriæ patefecêre. Nam & ſcripſit tunc etiam adverſus *Claudium Ionas* quidam *Aurelianenſis* epiſcopus. Qui dum ita ſtilum & ſententiam temperat, ut non adorandas quidem, in eccleſia tamen ferendas velit imagines (quod ut diximus, utrumque Claudius improbarat) ne apud Pontificios quidem gratiæ ſummopere aut laudi litavit, ut patet ex Baronio, qui de eo hæc habet ad annum 825: *Verum ſic Ionas confecit beſtiam* (ita appellat *Claudium*) *ut tamen ab eccleſia Catholica præmio dignus minime fuerit judicatus, quippe qui etſi pugnavit adverſus iconoclaſtas, non tamen è caſtris eccleſiæ orthodoxæ, à qua errore priſtino ex parte diſſenſit, dum ita non confringendas eſſe prædicavit imagines, ut tamen eas non eſſe venerandas aſſereret.* Hæc Baronius. In quibus, ut in ceteris, non *Claudij*, quem immerito *beſtiam* appellat, ſed illius potius *beſtiæ*, cuius in Apocalypſi mentio, verum ſe ſatellitem demonſtrat.

CAP.

CAP. VIII.

DE MARTYRVM SANCTORVMQVE feſtis ac natalibus. Memoriæ eorundem ſeu cenotaphia, aliaque obſervata.

IMaginibus Feſta Sanctorum accedant. De quibus quis olim in eccleſijs Francorum ſenſus tum praxis perpetuaq; uſurpatio obtinuerit, liquere ante omnia poteſt ex Capitulari Caroli, ubi obſervare eſt quam pauciſſima adhuc eius ævo admiſſa, eaq; certâ reſtricta lege, quæ ità habet: *Hæ ſunt feſtivitates in anno: Natalis Domini, ſancti Stephani, ſancti Iohannis Evangeliſtæ,* Lib. 1. cap. 164. *Innocentum, octava Domini, Epiphaniæ, octavæ Epiphaniæ, Purificatio ſanctæ Mariæ, Paſcha, Lætania maior, Aſcenſio Domini, Pentecoſte, ſancti Iohannis Baptiſtæ, ſancti Petri & Pauli, ſancti Martini, ſancti Andreæ. De aſſumptione ſanctæ Mariæ interrogandum relinquimus.* Quamvis poſtmodum paulatim alia aliaque acceſſerint & inter cetera, ævo præſertim Lodovici & Lotharij *dedicatio S. Michaelis* itemque *natalis beati Remigij*: cuius & Anſegiſus meminit. Lib. 2. cap. 35.

Ipſorum verò, qui tunc in uſum admiſſi ſanctorum natales feſtique dies, quomodo & quem in modum accepti celebratique ſint etiamnum ætate, de quibus dixi, Lodovici & Lotharij, luculenter ex Agobardo, Lugdunenſi tunc temporis Epiſcopo, datur intelligi. Non enim ille invocandos aut adorandos ſanctos, ſed

eorum tantum memorias honorandas colendaſque ex eo demonſtrat, quod non ipſis, ſed Deo ſoli templa atque altaria conſtruerentur. Eique firmandæ ſententiæ inſignem hunc Auguſtini locum adducit: *Nec tamen martyribus templa, ſacerdotia ſacra & ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei, qui uſque ad mortem corporum ſuorum pro veritate certarunt, ut invaleſceret vera religio falſis fictiſque convictis. Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumq; conſtructum, dicere in precibus, offero tibi ſacrificium,* PETRE *vel* PAVLE *vel* CYPRIANE *cum apud eorum* MEMORIAS *offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cœleſti honore ſociavit, ut ea celebritate & Deo vero de eorum victorijs gratias agamus & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium ex illorum memoriæ renovatione adhortemur*, &c. Quo loci nequaquam obiter tranſmittendum quod ait *apud memorias martyrum* offerri Deo ſolitum. Intelligit enim notatque morem veteris eccleſiæ, quæ veluti honorarios quoſdam tumulos, etiam corporibus deſtitutos, habebat, quæ *monumenta* vel, ut hic, *memoriæ* vocabantur. Græci rem preſſius indicantes *cenotaphia* dicebant. Eſt enim *cenotaphium* monumentum memoriæ tantum dicatum, in quod corpus nullum illatum ſit. Talia Druſo dicata paſſimque per Galliæ civitates, & unicum etiam Magunciaci ad ipſum Rhenum eidem poſitum, ex Svetonio, Dione Eutropio alijſque jam * ante per occaſionem memoravimus. Et gentes quidem, à quibus ad Chriſtianos origo rei fluxit, hîc veluti pa-

Lib. 8. cap 27. de Civ. Dei.

* Lib. 1. Pag. 66.

ti parentabant ac funebria in memoriam defunctorũ renovabant; Chriſtiani, ſaniorem in uſum re cõverſa, *natales* & *natalitia* hæc eſſe ſanctorum ac martyrum, qui de ſeculo & mortalitate, ad immortalitatem tranſiſſent, ſignificatum volebant. Vnde Tertullianus: *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.* Qui locus cum viris etiam eruditiſſimis haud ſatis intellectus hactenus explicatuſque habeatur, huc præcipue pertinet illuſtratque Anſegiſi ſuperius poſita verba de *Natali S. Remigij.* Eo enim Anſegiſi loco vox *Natalis* ad hæc natalitia proprie referenda, pro quibus annua die factum Tertullianus inquit. Quod ut propius cõſtet Alcuini, qui ævo Caroli Magni claruit, verba hue adducenda, ubi ait: *Dies beatorum martyrum, quibus de ſeculo tranſierunt, natales vocitamus, eorumque ſolemnia non funebria ſed natalitia dicimus.* Vt ità *Natalis* martyrij tempus; *Natalitia* martyrij ipſius feſtum ac celebrationem notaverit. Quæ ceremonia, etiamſi gentiliſmo, ut dixi, originem atque occaſionem debeat, hoc tamen à gentium inſtituto differt, quod illæ natales dies, quibus in hanc lucem editi mortales fuiſſent, luxu profuſo celebrarent, natalitiaque ſeu, ut Græci dicunt, γενέθλια darent: Chriſtiani vero ad piorum martyria ac militum Chriſti fortiſſimas adoreas idem trahebant, quibus ex hac vita ad meliorem &, ut dictum, à mortalitate veluti ad immortalitatem tranſlati eſſent. Tunc enim ad eorum commemorationem oblationes erogabant & ſacrificia euchariſtica Deo reddebant, hoc eſt, Deo opt. Max. gratias agebant quod in domino dormirent ac requieſcerent. Confirmat & clarius hæc aperit Cyprianus: *Denique & dies eorum quibus excedunt, annotate; ut*

Cap. 4. de Coron. Mil.

Epiſ.6.l.3. *commemorationes eorum inter* MEMORIAS *martyrum celebrare poſſimus.* Et ſtatim : *Tertullus fideliſſimus & devotiſſimus frater noſter ſcribit & ſignificat mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortabilitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, ut celebrentur hic à nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum. Vt*, inquit, *celebrentur hic*, indicans etiam corpore abſentium tamen nomen & memoriam prædicatam. Quomodo & locus ille apud Dionyſium Areopagitā Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. ultimo accipiendus, ubi ait, *miniſtrorum primum, dimiſſis catechumenis, ſanctos, qui dormierunt, prædicare.* Nam quod mirentur eo loci nonnulli qui potuerint ſancti omnes qui in aliqua eccleſia obierint nominari, hinc jam intelligitur & lucem ſuam ac ſenſum accipit.

Obſervamus porro ex Chriſtianis quoque quoſdam ad gentium ritus propius accedentes etiam feralibus epulis eiuſmodi feſtivitates peragere ſolitos. Verum reprehenſionem id ſaniorum incurriſſe nec obtinuiſſe apud omnes ex verbis Auguſtini, quæ ſuperiora, quæ citavimus, proxime conſequuntur, manifeſto poteſt conijci. Ait enim : *Quæcunque igitur adhibentur religioſorum obſequijs in martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarũ, non ſacra vel ſacrificia mortuorum tanquam Deorum. Quicunque etiam epulas ſuas eò deferunt, quod quidem Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terrarum nulla talis eſt conſuetudo, tamen quicunque id faciunt, quas cum appoſuerunt, orant & auferunt ut veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur &c.*

Lib.8 cap 27. de Civ. dei.

Quàm etiam in earundem epularum luxum & abuſus invehatur idem, ex libro adverſus Manicheum, liquet: *Qui in Memorijs*, inquit, *martyrum inebriantur, quomodo à nobis probari poſſunt, cum eos etiam, ſi in*

in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina condemnet. Et de Morib. Eccl. cath. cap. 34 : *Novi multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores, novi multos eſſe qui ſuper mortuos luxurioſiſſime bibant, & epulas cadaveribus exhibentes ſuper ſepultos ſe ipſos ſepeliant.* Atque ita res ad paganiſmum unde originem accepiſſe ſupra notabamus, redire paulatim viſa eſt : Tertullianus libro de animæ teſtimonio adverſus gentes cap. 3. *Vocas*, inquit, *ſecuros, ſi quando extra portam cum obſoniis & mattiis tibi potius parētans ad buſta recedis, aut à buſtu dilutior redis.* Apud gentes autem certo anni die eiuſmodi parentationes & epulas peractas, ibique propinquorum animas invocatas & veluti citatas ex authoribus paſſim conſtat. Vnde & Artemidorus refert eorum, qui fœdo aliquo mortis genere ſeſe polluiſſent, nomina & memorias in parentalibus à propinquis fuiſſe prætermiſſas. Oneirocrit. lib. 1. Totum ritum ita adumbravit Ovidius 2 Faſt :

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes : pietas pro divite grata eſt
Munere : non avidos ſtyx habet una Deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſæ fruges, parvaque mica ſalis.
Inque mero mollita Ceres, violæque ſolutæ :
Hæc habeat mediâ teſta relicta viâ.
Nec maiora veto. Sed & his placabilis umbra eſt ;
Adde preces poſitis & ſua verba focis.

Atque hæc gentium erant. In Chriſtianorum vero illis ſepulchralibus, quas dixi, comiſſationibus, non tam idolatriâ aut ſuperſtitione, quam proterviâ peccaba-

tur. Addidi autem ipſaque authorum verba prolixius retuli, ut illa ex Patribus adducta inque Eccleſia etiam primis illis temporibus uſurpata, iterum iterumq; unde profluxerint, clarius innoteſceret; nimirum, ut hoc repetam, ab inveterata apud nationes conſuetudine, quam etiam antiqui tyrannum appellabãt, quod ſcilicet præter fas & æquum ſæpenumero in res & mores mortalium imperium exerceret. Quod ne qui ſequius hodie accipiant, qui vetuſtatis ac traditionum eſſe reverentiores volunt, ipſum Tertullianum huc adducam idem non obſcure indicantem. Nam de corona militis agens, poſtquam de oblationibus pro defunctis alijſq; ceremonijs, quæ in eccleſijs ſuo ævo uſurparentur, ediſſeruiſſet, nequaquam hæc SS. Literarum authoritate, ſed ſola conſuetudine ac traditione inniti diſertis verbis fatetur. Ita enim loquitur: *Harum & aliarum diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix; Rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit, diſces. Interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequium.* Verum hæc, quod ad iſta, ſatis nunc ſunto. Nam ad præſentia & noſtri ævi mores ſingula revocare ac componere, quantumque etiam ab iſtis hodie exorbitatum ſit, eſſet τὸ ἄπελον ulcus tangere, & ſeculo quaſi convitium facere.

Cap. 4.

CAP.

CAP. IX.

DE IDIOMATE, QVO SACRA CElebrata; deque interpretatione Sacrorum & Scripturarum SS. apud Francos olim uſitata.

ILlud omitti non debet vice coronidis addendum ſuperioribus, Francos, etiamſi ſacra ſua, atteſtante ſuperius Agathia, Romano, ut plurimum & cuiuſmodi tunc erat, ritu celebrarent, de idiomate nihilominus haud parum laboraſſe. Cum enim, occupatâ in totum jam Galliâ regnoque ſtabilito, idioma ipſorum, quod, ut mox dicetur, erat Germanicum, Romano, utpote uſitato paſſim varieque corrupto, committeretur, utriuſque aliquandiu linguæ, id eſt, & Francicæ & Romanæ illius vitiatæ inter plebem ac nobilitatem per commercia, uſus obtinuit. In Sacris interim Latina illa caſtigatior, ut ante, ſervata fuit ac manſit, ita tamen ut curæ ſemper cordique regibus atque eccleſiæ præſulibus fuerit, ut populus vulguſque non inani tantum verborum ſono delinitum teneretur, ſed res ipſas rationeſque myſteriorum etiam ſuâ linguâ intelligeret: Idque exemplo primitivæ ac melioris eccleſiæ, maximorumque in ea doctorum *Chryſoſtomi* & *Hieronymi*, qui SS. Scripturas omnibus eſſe obvias, nec ab illis fontibus ſecludi quemquam voluerunt, juxta illud Salvatoris, *ſcripturas ſcrutamini*. Et Hieronymus præſertim huc reſpiciens Bibliorũ etiam

jngens

Hoſ.de Sacro vernaculo. Alphonſ. à Caſtro l. 1 c. 14.

Tom. 1. Epiſt.

Tom. 3. Epiſ.

ingens opus Pannonice in uſum populi tranſtulit, nec ulli frequentius aut libentius ſacras literas, quam fæminis, interpretatus eſt, ut indicat eius ad Principiam virginem Epiſtolium. Ad Lætam præterea, gratulabundus quaſi cõmemorat depoſuiſſe pharetras Armenium, Hunos didiciſſe pſalterium & Schytiæ frigora fervere calore fidei. Sed uberius idem de Germania aſſerens ac veluti digitis cælum contingens exultat illius ergo epiſtolâ ad *Suniam* & *Fretellam*, ubi in hæc tandem verba ſpiritu plenus erumpit: *Vere in vobis Apoſtolicus & propheticus ſermo completus eſt: in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, ut Barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem: & dormitantibus, imo contendentibus Græcis, ipſa* GERMANIA, *ſpiritus ſancti eloquia ſcrutaretur? In veritate cognovi quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi: Dudum calloſa tenendo capulum manus, & digiti tractandis ſagittis aptiores, ad ſtilum calamumque molleſcunt, & bellicoſa pectora revertuntur in manſvetudinem Chriſtianam.* Quibus adde quod refert Guilielmus Poſtellus in Alphabeto duodecim linguarum characteribus differentium: *Hieronymo,* inquit, *non ſatis fuit in ſuorum linguam omnia ſacra transfundere, niſi & characteribus etiam repertis dicaſſet hanc voluntatem immortalitati. Hanc autem hiſtoriam potes audire ab omnibus illorum ſacerdotibus, & Venetijs & in tota Dalmatia, pariter & ab omni populo, qui mihi hæc recitarunt, quum de ſuarum literarum origine requirerem. Excuduntur permulti admodum libri harum duarum linguarum (Dalmatarum & Illyriorum) Venetijs, ut illic diſtrahantur.* Hæc Poſtellus. Cuius libri & loci inſpectionem debeo humani-

manitati Cl. V. Thomæ Erpenij Arabicæ & Orientaliũ linguarum Lugduni Batavorum profeſſoris. Ab eo enim ipſum volumen commodato petierat Brinckius noſter. Huius ergo, Hieronymi inquam taliumque doctorum exemplo ſtatim quoque Clodovei, primi Chriſtianiſſimi regis, tempeſtate Euangeliſtarum Cōcordantia in Francicum idioma, cuiuſmodi tunc habebatur, & nunc *bas Alemans* appellant, reddita fuit, ut videre eſt vel in volumine, quod exſtat in Bibliotheca capituli de Langres, habens in altera facie Latinam, in altera hanc Francicam vulgarem tranſlationē atteſtante libro, cui titulus *inſtruction du Pere Chreſtien à ſes enfans à Paris ches Guil. Morel.* anno 73. Poſtmodū vero, puta Caroli Magni ſeculo, in Eccleſijs quoque, ubi Latina fiebant ſacra, quæ non intelligebantur, explicare tenebatur presbyter, ut patet ex Caroli eiuſdem Capitulari, capitul. 70 ubi hæc leguntur: *Epiſcopi diligēter diſcutiant per ſuas parochias presbyterorum fidem, baptiſma Catholicum* &c. *ut fidem rectam teneant & baptiſma Catholicum obſervent & Miſſarum preces bene intelligant & ut pſalmos digne ſecundum diviſiones verſuum modulentur, & dominicam orationem ipſi intelligant & omnibus prædicent intelligendã, ut quiſque ſciat, quid petat à Deo &c.* Plura ſimiliaq; vide lib. 5. capitul. 95. item lib. 6. capitul. 173 & alibi in eodem Capitulari. Exſtat & Canon Concilij Turonenſis ſub Carolo Magno, Quo mandatur, *ut Epiſcopus homilias aperte transferre ſtudeat in ruſticam Romanam linguam, aut Theotiſcam quo facilius poſſint cuncti intelligere.*

CAP. X.

TRANSITIO AD POLITIAS INSTITVTA. Reges electione creati. Filijs ſucceſſionis prærogativa conceſſa. Reges regumq; liberi criniti. inaugurandorum regum ritus.

IAm de magiſtratibus & priſci ſimiliter illius ſeculi politiæ inſtitutis dicendum. Vbi cum multa ſimul occurrãt, nos orationem ita finiemus, ut de *Regibus & ijs qui circa Reges ac regum imperijs domi foriſque res adminiſtrabant*, primo agamus: atque inde ad reliqua converſi, de *legibus, lingua, habitu rebuſque bellicis*, præeunte, quem ſuperius poſuimus, Agathia, quam poterit breviſſime apertiſſimeque dicamus.

Summum apud Francos Magiſtratum *Reges* obtinebant; proximum, quos appellabant, *Maiores domus*; itemque *Duces & Comites*. In univerſum autem toti genti ius ſuum fuit, & non niſi ſuffragijs ipſi regis creati. Quod & Tacitus de Germanis (unde poſtmodum, ut oſtenſum, prodiêre Franci) teſtatus demonſtrat *Reges* apud eos *ex nobilitate, Duces ex virtute* ſumtos. Quod hodieque inſtitutum apud Germanos Boreæq; populos, ut Danos Polonoſque, haud prorſus antiquatum. Nam & reges in Concilio gentis ita eliguntur, ut filij demortuorum parentum prærogativam habeant ac ceteris præferantur. Quomodo & idem Tacitus apud vetuſtiſſimos & ſui ſeculi Germanos factitatum, in libello

bello de Germania haud obſcure innuit, hunc nimirum reſpiciens, cum ità loquatur: *Inſignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant.* Quo inſtituto maxime eluceſcit maiorum ſapientia. Nam quemadmodum venatores; ut monet in Sylla Plutarchus, non tam quod ex generoſo cane natum eſt, quam canem ipſum generoſum quærunt; eodem modo qui rempub. conſtituunt, errant, ſi potius, quis ſibi naſciturus ſit princeps, quam quem habituri ſint, exquirant. Accedit quod & parentes ſucceſſionis illa ſpe ad natos ſuos præclare imbuendos excitabantur, ne tanquam paterna ſucceſſione indigni à populo & proceribus repudiarentur. Hanc autem Francis in regno ac rege conſtituendo rationem conſtitiſſe ex Aimonio, præter ceteros, liquebit, ubi de Faramundo agens ita ait: *Regem ceterarum more nationum Franci ſibi eligentes, Faramundum ſolio ſublimant regio.* Et iterum lib. 4. cap. 51: *Franci Danielem quendam clericum cæſarie capitis creſcente in regnum ſtabiliunt atque Chilpericum nuncupant.* item lib. 4. cap. 67. *Mortuo rege Pipino filij eius Carolus & Carolomannus conſenſu omnium Francorum Reges creati ſunt.* Et alio loco: *Mortuo Pipino, Franci facto ſolemniter conventu, ambos ſibi eius filios reges cõſtituunt, ea conditione præmiſſa, ut totum regni corpus ex æquo partirentur.* Atque hæc quidem ex Aimonio. Apud Gregor. Turonenſem ſimilia teſtimonia complura exſtant, è quibus hæc pauca depromemus. Nam lib. 2. cap. 12. *Franci,* inquit, *eiecto Childerico, Egidium ſibi unanimiter adſciſcunt.* Item lib. 4. cap. 51. *Tunc Franci, qui quondam ad Childebertũ aſpexerunt ſeniorem, ad Sigebertum legationem mittunt, ut ad eos veniens, derelicto Chilperico, ipſum ſuper ſe regẽ ſtabilirẽt.* Et ali-

quanto poſt : *Collectus eſt ad eum omnis exercitus : impoſitumque ſuper Clypeo ſibi regem ſtatuunt*. Item alio loco : *Sigebertus Francis conſentiens , more gentis impoſitus Clypeo Rex conſtitutus eſt ac Regnum fratris ſui Chilperici adeptus*. Et ne omnia, omniumque pæne ætatum Chronologos teſtes citem, Caroli denique Magni teſtamentum apud Nauclerum & Mutium ſervatur , in quo hac clauſula exſtat : QVOD SI FILIVS CVILIBET HORVM TRIVM FILIORVM MEORVM NATVS FVERIT , QVEM POPVLVS ELIGERE VELIT , VT PATRI SVO IN REGNI HÆREDITATE SVCCEDAT, VOLVMVS VT CONSENTIANT PATRVI IPSIVS: ET REGNARE PERMITTANT FILIVM FRATRIS SVI IN PORTIONE REGNI PATERNI. Quin etiam memorabile eſt quod Regino libro chron. 2. ſcribit ſub annum DCCCVI, cum Carolus Magnus tres filios haberet, quibus mature , ſe adhuc vivo, conſultum vellet : *Cum primoribus*, inquit , *& optimatibus Francorum de partitione ſui regni inter filios ſuos placitum habuit: & diviſione facta in tres partes , teſtamentum de illa fecit , quod per ſacramentum interpoſitum à Francis confirmatum eſt*. Sic & Eginhartus in eiuſdem Caroli vita : *Evocatum ad ſe Lodovicum Aquitaniæ regem , qui ſolus filiorum Hildegardis ſupererat ; congregatis ſolemniter de toto Francorum regno primoribus cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni fecit*.

Quæ loca ſatis eos arguant, qui à Carolo Magno lege lata conſtitutum prodidêre, ut Franci ex parentum ſucceſſione reges haberent. Nã quod Agathias in hanc quidem ſententiam etiam ante Carolum retuliſſe vi-
Pag. 415. detur, ut oſtendunt ſuperius citata, accipiendum haud ſimpliciter & abſolute, ſed eâ fere mente, quemadmo-
dum

dum ex Tacito de Germanis, priſcis illis Francorum maioribus, commemoravimus. Nam cum apud eos moris fuerit, ut principum filij ob parentum inſignẽ nobilitatem aut magna merita prærogativam ſemper in comitijs ferrent, nequaquã conſentaneum vero videtur id apud poſteros, qui Francorum nomen obtinuere, immutatum, ſed more potius maiorum reſervatum; atque hoc * Agathiam etiam alibi πατρίον νομὸν, *conſvetudinem* ſeu *legem patriam* nuncupaſſe. Et viciſſim quemadmodum hoc pacto filijs ſucceſſio deferebatur, ita è contrario ad ſceptri dignitatem filiæ nunquam admittebantur, idque Salicæ legis vi, quæ ita habet: DE TERRA SALICA IN MVLIEREM NVLLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT. SED HOC VIRILIS SEXVS ACQVIRIT. Quæ hodieque in Gallijs juriſconſultis omnibus perpetuo in ore eſt, præſertim ubi de regni ſucceſſione contentio eſt. Quamquam Franciſcus Hotomannus clariſsimus I. C.[]tum tantum abeſſe ait, ut de Regnorum hæreditatibus illa ſancita ſit, ut ne ad feudorum quidem, ſed tantum ad alodiorum ſucceſſionem pertineat, quemadmodum & aliæ eidem legi ſimiles apud Ripuarios titulo 98, & apud Angilos titulo 7. Quæ non feudi ſed patrimonij iure à privatis poſsidentur. Quicquid ſit, nos tamen exiſtimamus idẽ regnorum, quod alodiorum ſucceſsionibus id ævi jus fuiſſe; nec aliud hac parte in privatis quam in publicis hæreditatibus tum cautum exſtitiſſe; præſertim cum etiam hæreditates ex iure feudorum liberis poſteriſque ſolius maſculini ſexus deferantur, excluſis in univerſum mulieribus. Quibus accedunt conſvetudo & mos gentis tanto ſeculorum conſenſu inviolabiles

* Lib 2.

biles conſervati, qui legis quodammodo ſcriptæ vim obtinere queant. Nam Childerico tertio mortuo, duabus relictis filiabus, fratri eius Clotario, excluſis filiabus, regnum delatum eſt. Rurſus mortuo Chereberto 5, tribus filiabus ſuperſtitibus, Sigeberto ipſius fatri ſucceſsio data eſt. Item defuncto Guntramno Burgundiæ & Aureliæ rege, non Clothilda ipſius filia, ſed frater Sigebertus regnum accepit. Quod cum ita habeat ſancteque ſemper ſervatum Francis fuerit, exiſtimat Hotomannus cautius facturos Galliæ iuris peritos, ſi ex iure Feudali potius, quam ex Salica lege regni hanc perpetuam conſvetudinem tueantur. Nam eo, inquit, iure ſi cui familiæ, in qua feudum verſatur, mares deeſſe cæperint, tum ad alteram ſtirpem, quæ ſupereſt, maſculam, feudum revocatur. Quæ vero feuda, depravato iure, ad mulieres deferuntur, ea non feuda proprie, ſed feudaſtra appellari.

Franco-Gal. cap. 10.

Porro Reges regumque liberos, qui in ſpem imperij educabantur, Crinitos fuiſſe comamque alendi veluti jus quoddã ſibi ſolis vindicaſſe; reliquos, etiamſi illuſtri loco natos, hoc tamen capillitij privilegium neutiquam habuiſſe; quomodo ex Agathia etiam ſuperius citato liquet, qui cæſariei inſigne, veluti eximiam honoris prærogativam, tantum regio generi tributum dixit; addens fuiſſe eam cæſariem, non ut barbaris impexã ac ſqualidam aut cirris cõplicatã, ſed à fronte decenter diſcriminatam inque latus utrumq; & ſcapulas defluã ac propendentẽ: Gregorius Turonẽſis oculatus teſtis eleganter, licet ſcriptor alias haud valde elegans, *flagella crinium* appellavit: Et iterũ Agathias lib. 1. ubi Clodomirum à Burgundionibus cæſum cõmemorat,

Quo

Quo, inquit, *humi jacente Burguſiones promiſſam illius laxamque comam & ad ſcapulas uſque pertingentem conſpicati, confeſtim intellexêre ſe ducē hoſtium interfeciſſe.* Aimonius etiam lib. 1. cap. 4; *Faramundo*, inquit, *filius ſucceſſit Clodio crinitus, illo enim tempore Francorum reges criniti habebantur.* Item lib. 3. cap. 61; *Gundebaldus more regum à matre ſua educatus (uti conſuetudo antiquis fuit Franciæ regibus) capitis comam gerebat profuſam.* Quin etiam paſſim apud hiſtoricos eorum temporum animadvertere eſt, in more tum Francis fuiſſe, ut, ſi quem regum abdicarent, vel adipiſcendi regni ſpem præcluderent, eum ſimul capillitij honore privarent. Cuius rei evidens eſt hiſtoria apud Turonenſem in Chararico rege, quē una cum filio prius tonderi atque inde capite truncari Clodoveus fecit. Et idem Turonenſis de Gundebaldo, cuius ex Aimonio jam meminimus, agens, hæc inſuper habet: *Viſo Gundebaldo, Clotharius juſſit tonderi comam capitis eius, dicens hunc ego non generavi.* Plura qui volet ipſum Turonenſem, Aimonium, alios conſulat. Memorabilis autem, vel potius horribilis hiſtoria eſt Reginæ matris Chlothildis, quæ duobus nepotibus caput abſcindi quàm comam maluit. Locus eſt lib. 3. cap. 18 apud eundem Turonenſem. Vbi autem prælio decertandum erat, nodatum capillitium in galeam, quaſi criſtam erigebant, idque inſigne prælij habebatur. Vnde Aimonius lib. 4 cap. 18 Dagoberti regis cum Bertoaldo Saxonum duce acerrimum prælium commemorans, *Rex*, inquit, *enſe percuſſus in caput, deciſos cum parte galeæ crines patri per armigerum miſit, ut ſibi in auxilium properet.* Originem inſtituti ſi conſideremus, non aliunde quàm à Sicambris ſeu Germanis repetendum

d:um

dum puto. Sicambri enim eodem, ut diximus, Francis uſitato more capillos modo laxabant, modo in nodum ſtudioſe colligebant, criſpitudinē & cirros aſpernantes. Liquet vel illo Martialis:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Claudianus etiam eoſdem Sicambros Rheni accolas deſcripturus totam Comatam Galliam Rheni & Araris limitibus concluſam eiſdem aſſimilat, cum inquit:

Inde truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Nec aliter Lucanus *Chaicorum* vocabulo Sicambros Rhenenſes, uti ſuperius oſtendimus, intelligens ità idem extulit:

Et vos crinigeros bellis arcere Chaicos
Oppoſiti, petitis Romam Rhenique feroces
Deſeritis ripas:

Quod deinde imitatus Claudianus per *Chaicos, Francos*; per *Sicambriam detonſam, Franciam*, à Stilicone, ſi Dis placet, *ſubiugatam*, & quaſi coma ac capillis diſpoliatam intellexit his verſibus:

Tum forte decorus
Cum Stilicone gener pacem implorantibus ultro
Germa-

Germanis, reſponſa dabat legeſque Chaicis
Arduus, & flavis ſignabat iura Suevis
His tribuit leges, his obſide fœdera ſancit
Indicto: bellorum alios tranſſcribit in uſus,
Militet ut noſtris DETONSA SICAMBRIA *ſignis.*

Et iterum idem in laudem Honorij Sicambros & Francos à crinium ſparſione eoſdem faciens ita canit:

Ante ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
Cæſariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere ſolo.

Nam Sicambris eo loci tribuit *flavam cæſariem*; quam mox in Stiliconis Panegyrico Francorum regibus ſignanter adſcribit, illo verſu:

—— *Crinigero flaventes vertice Reges.*

Deinde ut ignominioſa erat & ſtatus, ut indicavimus, diminutionem notabat capillorum, præſertim in regibus & regijs adoleſcentibus tonſura, ità viciſſim honori habitum, ſi regius puer ad externum aliquem principem amicum & fœderatum miſſus ab eo tonderetur. Pauli Diaconi ſuper hoc ritu verba diſerta ſunt lib. 6. cap. 43: *Carolus*, inquit (Martellum intelligens) *Francorum princeps filium ſuum Pipinum ad Luidprandum Longobardorum regem miſit, ut ejus, juxta morē capillum ſuſciperet. Qui eius cæſariem incidens ei pater effectus eſt; multiſque regijs muneribus donatum genitori remiſit.* Quam eandem hiſtoriam Regino quoque infert, ſub annum

DCLV. Nec ſimpliciter à principe ſuſceptum capillum ſed in ſignum quaſi virilitatis ab eodem armorum ſumendorum, ut apud Romanos togæ, uſum ac poteſtatem datam credo. Quo fecerit illud Taciti in Germaniâ: *Arma ſumere non ante cuiquam moris, quam civitas ſuffecturum probarit. Tum in ipſo Concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaque juvenem ornat. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos. ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ.* Hactenus Tacitus. Et ſane Germanis hodieque mos durat ut adoleſcentes generoſiores & quos ad maiora promotos volunt, primo tirocinij die framea gladioque donent, ſuo id idiomate **weerbaer maecken** dictitantes, quod eſſet ſi verbo verbum interpretemur, *armipotentem reddere*. Scripſeram hæc cum occurrit Pauli Diaconi inſignis locus, cui ut unicè facient, quæ jam ex Tacito & aliàs allata ſunt, ita viciſſim ea ipſa illuſtrabit. Exſtat enim cap. 23 lib. 1, ubi Andoinus Longobardorum Rex de filio verba faciens ita loquitur: *Scitis non eſſe apud nos conſuetudinem ut regis cum patre filius prandeat, niſi prius à rege gentis exteræ arma ſuſcipiat.* Atque ita prior Diaconi locus, ubi Luitprandus Rex Pipini pater factus memoratur, accipiendus proprie de adoptione *per capillos*; hic *per arma*. De qua & ſimilibus adoptionibus, cuiuſmodi erant inſuper, *per barbam, per preces*, bellicoſis illis nationibus uſitatæ, videndus in Adverſarijs ſubſecivis P. Pithæus, qui de ijs accuratè diſtinctèque egit.

Quod vero exteri quidam inimico in Francos animo, reges, de quibus diximus, capillatos, non modo contumelioſo nomine *tergiſetoſos* appellarint, verum etiam, quod ſetæ non leonum & equorum tantum, ſed

ſuum

ſuum præcipue eſſent, ad ſuillas ſetas nominis probrum contorſerint, à Græcis, quos in Francicũ nomen iniurios ſemper fuiſſe conſtat, profectum haud dubio eſt. Vnde præcipue apud Georgiũ Cedrenum, authorem Græcum, hoc convitij τριχοραχάτοι. i. *tergiſetoſi*, occurrit: Quamvis etiam Sidonius de Francis eorumque capillo loquens ſetarum voce uſus ſit, nec tamen in probrũ, ſed ad gentis ut exiſtimo acritudinẽ demõſtrandam, cum inquit: *Nudataque cervix Setarum per damna nitet*. Verbis autem Cedreni bilis & amarulentia haud deeſſe videtur, quæ ità habent: *Qui regio erant prognati genere dicebantur criſtati, quod interpretatur, tergiſetoſi; habebant enim in ſpina dorſi pilos naſcentes, quaſi porci*. Hæc Cedrenus; quem tamen reſcribendum nonnulli putant, & loco ΚΡΙΣΤΑΤΟΙ, quomodo vulgo textus Græcanicus habet, reponendum ΣΕΤΑΤΟΙ. At ΚΡΙΣΤΑΤΟΙ meo animo haud reiectaneum ſit & idem notaverit, quod vulgo Francicis ſcriptoribus CAPILLATI. Quod in alium & ſequiorem illum ſenſum livore & ſtudio detorſerit Cedrenus & Græci.

Panegyr. ad Maioram.

Ad firmanda deniq; ſuperiora, quibus electionem Regum Concilij & Ordinum præcipue conſenſu, ac ſuffragijs peractam demonſtravimus, unum veluti coronidis loco adijciendum; Quod ei rei magno etiam argumento ſit ritus, quo in Regum inauguratione Franci utebantur. Nam Cor. Tacitus de Caninefatibus Germanis agens teſtatur deſignatum apud eos regem ſcuto imponi ſublimemque humeris circum geſtari ſolitũ. Quod in Regibus quoq; Francorum uſurpatum paſſim hiſtorici loquuntur. Quâ autem rati-

one, niſi quod rex omnium votis & ſuffragiis electus, omnium quoque oculis exponeretur? Quapropter ſublevatum manibuſque ſuſtentatum circum populi comitia, vel, ſi in caſtris agerent in conſpectum totius exercitus plaudentibus atque acclamantibus cunctis, maxima ſolemnitate ac regium in morem paludatum producebant. Greg. Turonenſ. lib. 2. cap. 40, Clodoveum in locum Sigiberti electum commemorans, *At illi*, inquit, *iſta audientes plaudentes tam palmis quam vocibus, eum clypeo evectum ſuper ſe regem conſtituunt*. Item lib. 7. cap. 10, agens de Gondebaldo: *Ibique*, ait, *parmæ ſuæ ſuperpoſitus, Rex eſt levatus. Sed cum tertio gererent, cecidiſſe fertur: ita ut vix manib. circumſtantium ſuſtentari poſſet*. Taciti, quem aſpeximus locus, & quo antiquiſſimum hoc eſſe Germaniæ gentis, unde profecti Franci, inſtitutum demonſtretur, ità habet lib. hiſt. 4. *Igitur ipſo rebellis familia nomine placuit* (Brinio) *impoſituſque ſcuto, more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, dux deligitur*. Et alluſit quoque ad *levandi* hunc ritum Claudianus illo verſu: *Sed mox cum ſolita miles te voce levaſſet*.

CAP.

CAP. XI.

DE COMITIIS ET PVBLICIS *Francorum Concilijs ac conventibus: deque ratione eorundem & vocabulis.*

QVum ſuperius in publico Ordinũ cõventu publiciſq; ſuffragijs vel creatos vel abdicatos reges demõſtratũ ſit, cõſequẽs nunc eſt, ut de Comitijs quoq; ipſis verba faciamus. Hæc apud Frãcos tribus è generibus conſtabant Regali, optimatum & popularium mixtis invicem & temperatis. Et ità de ſummis ibi Reipub. & regni negotijs communi omnium conſilio, agebatur, ut vetus ſemper illa aurea lex locum habuerit: SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. Quam etiam Reipub. formam ſapientiſſimi quique unam ex omnibus præſtantiſſimam eſſe iudicaverunt. Nam cum regius & popularis dominatus natura inter ſe diſſideant, adhibendum tertium aliquẽ exiſtimarunt intermedium & utriuſque communem, qui eſſet principum ſive optimatum, quorum, ut ſplẽdor ac generis antiquitas ad regiam dignitatẽ proximè accederet, ſic viciſsim regi debita clientela populi conditionem referebat, cum & unum atque eundem uterque, puta nobiles & plebs, principem agnoſceret. Inter Francos autem talem perpetuo ſtatus rationem ſartam tectam viguiſſe cum alijs argumentis, tum verò vel maxime ex oratione Regis Lodovici, cognomento

Pij,ad omnes Franciæ ordines habitâ, & Anſegiſo in librum legum Francicarũ ſecundum relata demõſtrari poteſt, cuius cap. 3 hæc verba leguntur: *Sed quanquã ſumma huius miniſterij regij in noſtra perſona conſiſtere videatur: tamen & divina & humana ordinatione, ità per partes diviſum eſſe cognoſcitur, ut unuſquiſque veſtrũ in ſuo loco & ordinẽ partem noſtri miniſterij habere cognoſcatur. Vnde apparet, quod nimirum veſter admonitor eſſe debeo, & omnes vos noſtri adiutores eſſe debetis. Nec enim ignoramus, quid cuiq; veſtrum in ſibi commiſſa portione conveniat.* Hæc Lodovicus Imp. Eam autem regiminis ac reipub. conſtituendæ formam, à maioribus ſuis, antiquiſsimis Germanis, retinuiſſe Francos ex Tacito liquere poteſt. Ita enim ille libro de moribus Germanorum: REGIBVS NON EST INFINITA AVT LIBERA POTESTAS. Et ſtatim de ipſo CONCILIO, quo de nunc agimus: DE MINORIBVS REBVS PRINCIPES CONSVLTANT, DE MAIORIBVS OMNES. Et iterum ibidem: *Mox rex vel princeps, prout ætas cuique, prout facundia eſt audiuntur,* AVTORITATE SVADENDI MAGIS QVAM IVBENDI POTESTATE.

Quod autem de majoribus rebus conſultaſſe dicat OMNES, accipiendum non de plebe promiſcua, ſed de principum, ducum, Comitum ſimiliumque tã è nobilitate quàm plebe præfectorum multitudine ac populo. Nam & Carolus Magnus cum innuat, ut verba habent ſuperius poſita, ſe populi de filiorum ſucceſſionibus ſuffragia atq; electionem expectaſſe, explicat Regino quem *populum* intellexerit, nempe *primores & optimates*: *Cum primoribus*, inquit, *& optimatibus Francorum de portione ſui regni inter filios ſuos placitum habuit.*

Pag. 468.

Sed

Sed eius argumenti cum egregiam ſynopſim & veluti ſchema ab ampliſſimo multæque eruditionis viro Hugone Grotio, in eo præſertim libro, qui eſt de veteri & hodierna Batavorum Republica ac ſtatu, exhibitum non ignorarem, author adhortatorque fui, ut ſummam aliquando operi manum adderet omnibuſque, & ſi qui in alia nunc ire viderentur, rem propius demonſtratam ſuiſque abſolutã numeris daret. Quod ille licet molem publicarum occupationum pro tempore obtendens diſtulerit aut excuſarit, hoc tamen amicitiæ noſtræ veteri indulſit, ut elegantiſſimâ ad me epiſtolâ animi ſui ſenſum brevibus & abſque pertendendi ſtudio, modò meliora edoceretur, aperiret. In qua epiſtola etiamſi & alia intercurrant, in quibus ſingulare præſidium noſtra ſibi collocat innocentia, tamen hoc, quod dixi, cum præcipue agatur, eius mihi, & amicis, ut hic apponeremus, cohortantibus, dum ipſum opus expectatur, lector benevolus gratiam imputabit. Eſt autem eiuſmodi:

Quod judicium meum, Vir Clariſſime, de Cluverij Germanicis Antiquitatibus exquiris, facis tu quidem benigne & pro veteri in me affectu: ſed parum noſti miſeriam meam quæ negotia multa magis quam magna ita divexant ut non modo ingentia illa volumina, ſed minores quoque libellos legere interdum vix liceat. Neque tamen tantum in me juris habent moleſtiſſimæ occupationes, ut non ſæpe animo repetam ævi mei partem dulciſſimam quam in amænioribus ſtudijs magna cum voluptate exegi. Tantoque plus illis annis debere me ſentio quod amicos mihi dederunt plures ac fideliores quam unquam datura ſint iſtæ quotidianæ vexationes. Eos autem inter amicos non ignoras te locum è præcipuis obtinere ſi te meque noſti: me quidem alieno-

alienorum ſtudiorum integerrimum fautorem, te verò inter literatos nomen inſigne tuo merito conſecutum. Sed tamen quantum Germaniam Cluverianam inſpexi, non poſſum non probare diligentiam quæ egregÿ aliquid ſolet parturire ubi vires ſuas colligens uni operi affigitur. Cæterum etſi aliquid remiſiſſe videtur de feroc ia quæ in libello antehac edito apparebat, multum tamen audaciæ retinet. Cuius inſigne documentum eſt quod ſæpe voces delet, aut immutat nullis librorum veſtigÿs, ſola ingenÿ ſui fiducia. Reprehendēdi quoq; alios magna eum tenet prurigo. quem morbum eo patientius in ipſo qui vivunt ferre debent, quod Cæſar, quod Strabo alÿque præſtantiſſimi auctores ſæpe ab illo ſupinæ ignorantiæ aguntur rei. cum quibus una culpari id vero mihi videtur eſſe laudari. Ad ea quæ ſigillatim attingis, ut veniam: rebellis *in libro tuo ſcriptum pro* imbellis *caſu, non autem malitia (ut ipſe interpretatur) æquo judici facile apparet cum in ea mutatione nullum ſit poſitum momentum ad eam quidem quæ inter vos agitatur controverſiam. Venerem apud Germanos in propatulo exercitam mihi non perſuadet Cæſaris locus. nec quæ de magna corporis parte nuda ait Cæſar ulterius quam ad lacertos & pectus trahenda ſunt. Quamquam ergo occultabantur eæ partes quas ſibi pudor ſecrevit, ea tamen erat veſtitus ratio ut gravidæ latere non poſſent. In Taciti de pellibus loco nullam video mutandi neceſſitatem, cum ſatis ſit commoda quam adfers interpretatio. In altero de Friſÿs Verrito & Malorige, quod ſubſtituit Cluverius* in qua tum Germani rebellabant, *nullum habet tolerabilem ſenſum. Nā cum Germanorum voce ipſos Friſios intelligat, non potuit niſi admodum inſulſe dici in Friſiorum natione Germanos hoc eſt Friſios rebellaſſe. Non fert hunc loquendi modum ſenſus communis, nedum Taciti* σεμνότης. *Contra vero Florentini codicis lectio omni oraculo certior. Regebant Friſios Veritus & Malorix: hoc*

eſt

eſt principatum obtinebant: non profecto qualis tum Romæ erat principatus ἀντεξούσιος, ἀνυπεύθυνος, *ſed qualis notus Germanorum populis.* Inquantum Germani regnantur, ἐφ᾽ ὅσον ἔθος τοῖς γερμανοῖς βασιλεύεσθαι. *Vt principum & regum voces ſæpe uſurpant promiſcue auctores ita & regi & regnari, ſed plerunque additis vocibus quæ tollant* τὸ ἀμφίβολον. Trans Lygios Gothones regnantur paulo jam adductius quam cæteræ Germanorum gentes, nondū tamen ſupra libertatem. *Ipſe ergo Tacitus Germanos in univerſum atque in ijs Friſios regnari tradit, ſed laxe & multum infra libertatem. Neque aliud eſt quod voce illa* inquantum *indicatum voluit. In conventus Germanorum qui pace habebantur (de armatis conventibus qui ipſi ſunt exercitus nunc non diſputo) non admiſſos e plebe ſingulos, multa mihi perſuadent. Primū uicorum, pagorumque regimen erat non penes plebem totam, ſed penes principes & dilectos è plebe, quos comites principum Tacitus, Cæſar magiſtratus diſtincto à principibus nomine appellat. Iam vero ut è pagis natio aut civitas conſtabat, ita ratio oſtendit eos qui ſingulatim pagis præerant collectos toti civitati præfuiſſe. Nam ut ad totum corpus reipublicæ regendum vocentur qui à partibus ſint excluſi, inauditum arbitror. Apud Gallos Germanorum conſanguineos plebem conſilio non adhibitam cum dicat Cæſar ſequitur multitudinem apud eundem auctorem intelligi debere ingentem numerum eorum qui vicis pagiſque præerant. Strabo ſane cum* ἀριστοκρατικὰς *dixerit* πολιτείας, *ac ſubiungat electionem factam* ὑπὸ τοῦ πλήθους, *non poteſt meo quidem iudicio aliud* πλῆθος *quam multorum principum comitumque in unum congregatorum intelligere. Morem autem apud Gallos omnes, apud Belgas certe Cluverio quoque fatente receptum à Græcis Maſſilienſibus velle deducere perquam frigidum eſt. Adde iam quod hiſtoriæ quæ Romanam magnitu-*

tudinem proxime ſequantur, & perpetua conſuetudo earum nationum quæ in veteribus inſtitutis ſemper manſere, oſtendit non omnes in concilium vocatos ſed ſolos principes, hoc eſt nobiles, & è plebe quoſdam aut judicio delectos aut certe eos qui latiſſime agros poſſiderent. Hæc quidem mihi videntur, quæ ſi neceſſe ſit firmare poſſum pluribus argumentis, paratus tamen certiora monſtrantibus cedere. De Moſæ autem curſu, de foſſa Corbulonis, deque aliis multis eiuſmodi habeo qui Cluverium refellam, non conjecturis profecto, ſed publicæ fidei documentis. Mirum ſane ſi à Corbulone facta eſt foſſa quæ Roterodamum ducit quam nos ſcimus ante annos quadringentos plane non extitiſſe. Verum hæc atque alia eiuſmodi facilius poſſem ſiquis opus habeat indicare quam ipſe qua decet cura perſequi. Nam de Antiquitate Batavica recudenda quod mones, cogito jamdudum, ſed melius otium ſemper expectandi tempus effluit, ita ut jam prope ad omnem talis curæ deſperationem adducar, niſi me ſupra ſpem Deus reſpexerit. Tu cui nulla obſtant mentis bonæ impedimẽta, hiſtoriã veterã novamq; & res patriæ noſtræ potes qua oportet diligentia & inquirere & expromere. ego tibi adiutorem ſi qua poſſum, ſin hoc nequeo, lectorem certe præſtabo, & quidem eruditionis tuæ tam reverentem quam eſſe quiſquam poteſt. Vale Vir Clariſſime. Roterodami XX. *Ian.* CIϽ IϽ. CXVI.

Tacitus porro eodem de Moribus Germ. libro armatos conveniſſe & conſediſſe in ſolemni illo Concilio ait. Quod & Francorum exinde moribus obſervatum, ut notat ad legem Salicam, & illa verba, *ſcutum in mallo habeant*, Franciſcus Pithœus, addens ex Othone de geſtis Frid. lib. 1. cap. 12 iſta: *Eſt autem conſuetudinis regum Francorum, quæ & Teutonum, ut quotieſcumque ad ſumendam imperij coronam militẽ ad tranſalpizandũ coegerint, in*

in prædicto Campo manſionem faciant. ibi ligno in altum porrecto ſcutum ſuſpenditur. Guntherus

Ligno ſuſpenditur altè
Erecto Clypeus, tum præco regius omnes
Convocat, à Dominis feudalia jura tenentes.

Obtinuit quinetiam primis adhuc Merovingorum temporibus, ut ipſe Rex carpento ad colloquiũ (quod ut plurimum Kalend. May celebrabatur) bubus protracto veheretur quos auriga ſtimulo agebat. Ad locum autem deſtinatum ubi ventum eſſet, Regni proceres regem in aureo ſolio collocabant, ipſi ſuum quiſque locum capeſſentes. Vnde Sigebertus ad annum 662; *Francorum*, inquit, *regibus moris erat Kal. May præſidere coram tota gente & ſalutare & ſalutari obſequia & dona accipere*. Et ante eum Aimonius, qui & tribunalis aurei meminit lib. 4 cap. 30 cum ait: *Generale indixit* PLACITVM *in loco nuncupato Bigorgio ad quod propere convenientib. cunctis Franciæ primorib. Kal. May Rex ſolio reſidens aureo, hoc apud eos habuit orationis exordium.* Eginthardus, qui Caroli Magni cancellarius fuit, etiam carpenti & boum mentionem inijcit de Hilderico loquens. *Quocumq;*, inquit, *eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctu & bubulco, ruſtico more, agente trahebatur. Sic ad palatium, ſic ad publicum populi ſui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, ſic domum redire ſolebat.* Nec Reges modò, ſed & Reginas regioſque liberos bubus tum vectos argumento eſt etiam ille Greg. Turonenſis locus lib. 3. cap. 36: *Deuteria* (hæc regis Childerici uxor erat) *cernẽs filiam ſuam ex ſuperiori marito ſuſceptam adultam valde eſſe*

timens ne eam concupiſcens Rex ſibi aſſumeret, in baſterna poſitam, indomitis bubus junctis, eam de ponte præcipitavit. Cujus in univerſum moris argumentum ex antiquitate ac remotiſſimis gentis inſtitutis nullum quod ſciam occurrit, niſi huc illud Taciti accommodare libet, ubi de morib. Germanorum agens inter cetera novæ nuptæ muneri a marito dari ſolita enumerat haud in poſtremis binos, id eſt, junctos boves. Nec defuerunt, qui eodẽ referre conati ſint Martialis verſus lib. 10 Epigr. ad Rhenũ: *Nec te barbara contumelioſi calcatũ rota conterat bubulci.* Nã & *bubulci* hac in re meminit ſupra Eginhartus.

Elias Vinetus Santo in Auſon. Moſellam Pag. 171.

Atque hæc de toto Concilio eiuſque forma dixiſſe ſatis ſit. Quod ad appellationem, ea mutatis ſeculis ſæpe mutavit. Aliquando enim tam Galliæ quam Germaniæ hiſtoriographi, qui res Latine ſcripſerunt, *Conventum* ſive *Placitum:* aliquando *Curiam* & *diætam* & ultimis tandem ſeculis *parlamentum* appellarunt. Ipſi Frãci, ut plurimum, non Merovingorum modo, ſed & Carolingorum adhuc temporibus ſervata idiomatis ſui ad Latinitatem nonnihil inflexi indole, *Mallum* nominarunt. Vtramque vocem *Placiti* dico & *Malli*, ità extulit uno in capitulo Anſegiſus: *Vbi antiquitus conſuetudo fuit de libertate ſacramenta adrhammire vel iurare, ibi mallum habeatur, & ibi ſacramenta jurentur. Mallus tamen neque in eccleſia neque in atrio eius habeatur. Minora vero Placita Comes ſive intra ſuam poteſtatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat. Volumus utique ut domus à comite in loco, ubi mallum tenere debet, conſtituatur, ut propter calorem ſolis & pluviam publica utilitas non remaneat.* Et paſſim in iiſdẽ capitulis ſimilia occurrunt. Et præter cetera, in Donatione Vldarici Laureshamenſis Abbatis hæc leguntur:

Lib. 4. c. 28

tur:

tur: *A tribus principalibus mallis, qui vulgo* angebodenting *vocantur, quibus ad curtim* Luiterſhuyſen *annuatim manniebatur.* Vbi & *mallum* pro parte etiam *judiciale forum* eſſe, vox angtbodenting ſatis ſubindicet. Nam ut ſupra demonſtratum eſt, vocabulum Ting, quod olim apud Francos forum judiciale & apud Danos hodieque ſic frequentatur, à verbo, quod noſtrum adhuc idioma retinet, dingen, id eſt, *litigare* ac *contendere* profluxiſſe manifeſtum eſt. Quin & ijdem Dani, quorum ſermo dialecto præcipue à Theutonum idiomate differt, vocem maal non tantum, ut nos, pro *convivio*, ſed pro *idiomate* ſive *ſermone* quoque uſurpant. nam Spaenſck maal Tuyſck maal/ illis valet *ſermo* ſeu *idioma Hiſpanicum, Theutonicum*. Et ipſis quoq; Theutonibus Malthen erat *dicere* ac *ſermocinari*, ſicuti hinc melden & vermelden nos etiamnum pro, *memorare*, ac *recitare* retinemus ac vulgo frequentamus. Adeo ut abs re nec inconvenienter Franci inferiores, *mallum*, *parlamentum* nunc dicant, à *parlando* nimirum, id eſt, *colloquendo* ac *ſermones ſerendo.* Noſtratium autem maal & maaltijt pro *convivio* & *convivandi* tempore ab eodem *mallo* dimanaſſe haud ambigendum; cum *ſermo* preſertim & confabulatio convivij quaſi coagulum & vita ſit; Et Tacitus referat antiquitus & ſuo ævo Germanos in convivijs de ſummis maximiſque rebus, id eſt, de pace & bello plerumq; conſultaſſe, quaſi nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateret animus, aut ad magnas incaleſceret. Hinc quoque eſſe exiſtimo, quod, poſterioribus exinde poſt Carolum M. ſeculis, huiuſmodi imperialia colloquia conventuſque apud Germanos *diata* cœperint nominari. Ita enim habet Lib. de Germ.

Andreas Presbyter in Chronico Bavariæ ad annum 1434: *Circa feſtum S. Bartholomæi Ambaſiatores ſancti Baſileenſis Concilij cum nuncijs regni Bohemiæ in Diæta Ratiſponæ conveniunt*. Qua etiam voce quomodo uſi Græci ſint, videre eſt ſupra lib. 3. pag. 239.

Porro à *mallo* formatum Francis *admallare*, quod erat ante iudicem vocare litigandi cauſa. Leg. Sal. titul. 52. 2. *Si adhuc ſupra dictum debitum ſolvere noluerit, debet eum ſic admallare, Rogo te iudex ut hominem illum, denominatum, gaſachionem meum* (*i. cauſarium ſeu adverſarium meum*) *qui mihi fidem fecit, de delito tali, ſecundũ legem Salicam, mihi eum adſtringas. Tunc iudex dicere debet. Ego* gaſachium *tuum illum in hoc mallo, &c.* Item *Mallſtatt* eſt *locus malli* ſive iudicij. Occurrit & *Malman* in Privilegio Eccleſiæ Mindenſis. Vide Gloſſarium Lindeborgij in voce *Litus*.

Placiti denique vox etiam Latina conſvetudine propriè id dicitur, quod de re in multorum conſilio quæſita ac deliberata tandem inter ipſos decretum conſtitutumq; eſt. Vnde *Philoſophorum Placita* apud Ciceronem & alios obvia occurrunt. Vulgatam quoque formulã, qua ſcribæ Regij etiam in legum & conſtitutionum clauſulis uti ſolent, *quoniam ita nobis placet* ex eodẽ hoc *Placiti* vocabulo derivatum viris eruditis libenter aſſentior. Noſtrates hodie contractius efferentes **Placcaet** dicere conſveverunt: Galli, *Plaids*.

CAP-

CAP. XII.

DE MAIORIBVS DOMVS.

DE rege regnique comitijs locuti, proximũ eſt ut ad eos, quos à rege fuiſſe memoravimus ſecundos, orationem flectamus. Quâ in claſſe primi occurrunt *Maiores domus*, qui Merovingorum temporibus ad ſumma evecti, ità regiam poteſtatem obſidere paulatim cœperunt, ut eam tandem, capta ex regum quorundam deſidia, occaſione, pro ſuâ occuparint. Munus eorum haud abſimile illorum fuiſſe videtur, qui apud Romanos, ut placet Hotomãno Præfecti Prætorio dicebantur. quamvis alijs aliter viſum. Creari autem eodem in Concilio ac conventu, quo reges ipſi, ſolebant, publicique poſtea conſilij auctores ac principes erant. Nec alijs è populo id dignitatis dari conſvetum, quam ijs qui & claritate generis & opum amplitudine ceteris præeminerent, tradit Eginhartus. Hinc ſparſim apud hiſtoricos eius ævi legere eſt: *in principatum maioris domus elegerunt*. Item: *Herchinaldo Majore domus d. functo, Franci Ebroinum hac dignitate, ut maior eſſet in aula conſtituunt*. Item: *Hildericum ſuper ſe levant, Majorem domus Wolfoldum*. Poſtea regum, ut innui, quorundam ſive fato ſive infelicitate ijdem Domus maiores, ipſo propemodum rege maiores evaſerunt. Vnde eſt quod Paulus Diaconus de geſtis Lõgobardorum agens hæc de Francis interſerat: *Hoc tempore apud Gallias Francorum* Lib. 6.

regibus

regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, ij qui maiores domus regalis eſſe videbantur, adminiſtrare regis potentiã & quidquid agere regibus mos eſt, cæperunt. Nec abſimilia ſunt quæ alibi alij & præſertim Eginhardus in vita Caroli Magni ſtatim ſub initium pæne probroſe in Merovingorum poſteros commemorat; & repetit deinde haud minori verborum contumelia Sigebertus ſub annum 662. *Quibus*, inquit, *moris erat principari quidem ſecundum genus, at nihil agere vel diſponere quam irrationabiliter edere & bibere domique morari.* Quaſi ſcilicet eadem omnium illorum regum ratio ac torpor fuerit, ac non potius virtus & animi fortitudo nonnullorum ſingularis extiterit qualem ſcriptores omnes & ipſi quoque nos in Clodoveo ſuperius cõmemoravimus, qui non modò innumerabiles Alemanorum phalanges in Galliam irrumpentes prælio prope Tolbiacum cõmiſſo profligavit, verũ etiã præter Gothos Romanorũ reliquias è Gallijs eiecit. De cuius deinde progagine & nepotibus quid dicemus? In ijs nonne Childebertus & Lotharius fuêre, qui VViſegothos & Oſtrogothos è provincia & Aquitania, ubi ſedes fixerant, magnis prælijs magnaque animi prudentia & fortitudine exterminarunt? Et ubi tamen in horum vel rebus vel hiſtoria Maiorum domus, niſi obiter & curſim & tanquam adminiſtrorum palatij cõmemoratio inijcitur? Vnde eſt quod ex Greg. Turonenſi, qui illo ſeculo filiorũ & nepotum Clodovei floruit, inter cetera colligi poteſt epiſcopatum Maioratui domus tum prælatum ac potiorem fuiſſe habitum. Nam de Cænomanorũ epiſcopo agens ita continue ſubijcit: *Qui poſt viginti duos epiſcopatus annos, dum ſe cerneret morbo regio calculoque*
gravisſ-

graviſſime fatigari, Theodulphum Abbatem in locum ſuum praelegit, cuius aſſenſui rex praebuit voluntatem: ſed non multum poſt tempus mutata ſententia in Badechiſilum domus regiae maiorem transfertur electio. Qui tonſuratus, gradus quos clerici ſortiuntur aſcendens poſt quadraginta dies migrante ſacerdote ſucceſſit. Et liquet quoque ex eodem Turonenſi non tantum in regum, ſed in reginarum etiam aulis Domus Maiores fuiſſe. *Waddo* enim lib. 7. cap. 27 apud eundem Turonenſem nominatur *Maior domus* in aula reginae Regundae.

Tantae vero huius, qua uſi poſtmodum regij illi praefecti, potentiae initium factum putatur tempore ſtatim Clotharij 2 annum circiter Chriſti DLXXXVII. Nam author hiſtoriae Francorum quem Venericus Vercellenſis aliquoties ſine nomine tamen profert, habet quae eò ſpectare videntur: *Tēpore*, inquit, *Clotharij patris Dagoberti regnum Francorum regi captū, & adminiſtrari ab his, qui proviſores aulae regiae vel maiores domus eſſe videbantur.* Quod ipſum Godefridus Viterbienſis parte Chron. 16 haud aliter refert, itemque ſcriptor chronici Beſnenſis monaſterij *illo tempore*, inquit, *deficientibus à priſtino vigore regibus, cura totius regni adminiſtrabatur per duces & principes domus.* Ex quibus & aliorum praeterea hiſtoricorum verbis hoc inſuper liquere poteſt, profectos illos nō ſemper *maiores domus*, ſed alijs etiam nominibus nuncupatos, nimirum *magiſtros regij palatij*, *comites domus regiae*, itemque *duces & principes domus*. Venantius Fortunatus an *Domus Majorē Domeſtici* ac *Domus Diſpoſitoris* vocabulo affecerit, ſcribens ad *Condam Domeſticum* ambigi poteſt. Verba tamen ità habent:

Inſtituit cupiens ut deinde Domeſticus eſſes.

Creviſti ſubito, crevit & aula ſimul.
Florebant pariter veneranda palatia tecum
Plaudebat vigili diſpoſitore Domus.

Græci etiam μέγαν δομεστικὸν, *magnum domeſticum* agnovêre. Gregorius Turonenſis *Domeſticorum* munus indicaſſe & à *Domus maiore* ſatis diſcriminaſſe videtur, ubi inquit lib. 9. cap. 28: *Fuerunt ad hoc placitum multi de regno eius tam Domeſtici quam Comites ad præparanda regalis expenſæ neceſſaria.* In Gallijs quoque aliquot poſt ſeculis *Seneſchallos* dictos fuiſſe obſervat in Franco-Gallia ſua Hotomannus: Quamquam vox ea ævi anterioris videtur, præſertim cum in Formulis Marculfi, qui claruit circa annum Chriſti DCLX, occurrat. Edidit eum Pariſijs nuper Hieronymus Bignonius, qui ex annalibus prætereа Fuldenſibus ſub annum DCCCXXXVI ſuis in Notis hæc adiecit; *Carolus per Arnulphum Seneſcallum miſſo exercitu Britones domuit.* Nec aliter Vita Caroli M. apud Adhemarum, & Sigebertus. Aimonius eundem Audulphum *regiæ menſæ præpoſitum* dicit; Regino Prumienſis, *principem coquorum.* Hodie Galli magnum magiſtrum Franciæ *Seneſcallum* intelligunt. In* Marculfo notandum quod non *Seneſcallus* ſed *Seneſcalcus* legatur voce ad Germaniſmum propiore. Atque hæc de *Domus Maioribus* ſufficere hoc loco exiſtimo.

* Lib. 1. Form. c. 25

CAP.

CAP. XIII.

DE DVCIBVS EORVMQVE DIGnitate & munere.

M*Aioribus Domus* Duces ſubiungendi. Hi apud Romanos rei bellicæ & exercitibus præfuerunt, ut liquet ex Tacito & imperij notitia, ubi *Limitum Duces* nominantur. Caſſiodorus quoque *Rhetiarum ducis* meminit. Deinde & vocis notatio eodem ducit. *Dux* enim à *ducendo* dicitur. quomodo & Hertzogh noſtri idiomatis vocabulum haud alio trahendum. Apud Francos non exercitibus tantum, ſed juri etiam dicundo præpoſitos oſtẽdit Formula apud Marculfum monachum lib. 1 cap. 8, ubi hæc habentur; Non facile cuilibet judiciarjam convenit committere dignitatem, niſi prius fides ſeu ſtrenuitas videntur eſſe probatæ. Ergo dum & fidem & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem comitatus, Ducatus, patriciatus in pago illo, quem anteceſſor tuus ille, uſq; nunc viſus eſt egiſſe, tibi ad agendum regendumque commiſimus. Alias apud Gregorum Turonenſem & *Ducis* & *Ducatus* vocabulum ſepe numero occurrit, ut lib. 8. cap. 18. *Nicetius per emiſſionem Eulalij à comitatu Arverno ſubmotus, Ducatum à rege expetijt, datis pro eo immenſis muneribus. Et ſic in urbe Arverna Ruthena atque Vcetica* (*Ocetia* alias) *dux ordinatus eſt.* Ibid. cap. 26: *Turonicis atque Pictavis Ennodius*

Dux datus eſt. lib. 5. cap. 49: *Dicebat ob hoc Reginæ crimen obiectum, ut eiecta de regno interfectis fratribus & patre, Clodoveus regnum acciperet, Leudaſtes Ducatū*. Lib. 6. cap. 4: *Lupus Dux Cāpanenſis nominatur*. Atq; inde cap. 12 eiuſdē libri; *Chilpericus rex cernens has diſcordias inter fratrē & nepotem, Deſiderum Ducem evocat; At ille commoto exercitu, Ragnavaldo duce fugato, Retrogoricum pervadit*. Quorum ex loco primo Duces Comitibus honore & poteſtate priores exſtitiſſe facile videre eſt. Et ſunt qui crediderunt ea tempeſtate ſub cura cuiuſque Ducis duodecim Comites fuiſſe, perſvaſi teſtimonio, quod exſtat in Pipini Annalib. Aimonio ſubjunctis lib. 4. cap 4. his verbis: *Pipinus domum reverſus Gufonem more Ducum duodecim comitatibus donavit*. Quod ſi verum ſit Pipini tantum ævo obſervatū dici debet, cum exempla ſuperiora ſimile aut tale nihil habeant. Facit huc VValafridus Strabo, haud infimi ævi author, quippe qui dominante ſecunda regum Francorum familia claruit. Is libro de rebus Eccleſiaſticis cap. 31 ſeculi & eccleſiæ dignitates inter ſe contendens *Comites, epiſcopis; Duces Metropolitanis* aſſimilat. *Archiepiſcopos*, inquit, *qui ipſis metropolitanis præeminent, Regibus conferamus, Metropolitanos Ducibus comparemus, quia ſicuti Duces ſingularum ſunt provinciarum, ita & illi in ſingulis provincijs ſinguli ponuntur. Quod Comites & præfecti in ſeculo, hoc epiſcopi in eccleſia explent*. Poſtremo notandum, etiamſi ſumma hæc & à Regibus quaſi proxima dignitas fuerit, tamen non ut hodie perpetuam & propriam, ſed temporariam tum fuiſſe. Sane ad certum tempus conſtitutos Duces cum pro parte ex locis ſupracitatis, tū ex alijs paſſim Gregorij teſtimonijs colligere eſt: Quorum inſignis eſt lib.

lib 4 cap. 36. Inde etiam frequenter apud eundem hæc verba leguntur: *Exduce, exprafecto, excomite, exvicario*. Quod item à Romanis in pluribus obſervatum qui magiſtratus fere ad certum tempus deſignatos habuere. Hodie *Ducis*, ut innui, perpetua eſt dignitas tranſitque ad hæredem. Et ſunt Imperij quidem quatuor, *Brunſvicenſis, Bavariæ, Sveviæ* & *Lotharingiæ*. Cæteri ſimpliciter *Duces* ſunt, exceptis *Archiducibus*, & quidem Auſtriacis, qui inter ſeculi & S. Romani Imperij principes ſuam juxta *Saxoniæ Ducem* ceteroſque *Electores* dignationem obtinent.

CAP. XIV.

DE COMITVM ALIORVMQVE ſecundum eos dignitate atque officijs.

DVcibus *Comites* ut inferiores, ità proximi fuerint. Horum notatio à comitando: nec alij initio apud Romanos, imo & Germanos, proprie Comites dicebantur, ut patet ex Tacito, quam qui principem ſuum ſectarentur eiuſque lateri adhærerent. Spartianus in Hadriano: *Cum judicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos & Comites ſolum, ſed juriſconſultos, & præcipue Iulium Celſum, Salvium Iulianum, Nerotium* &c. Poſtea ex horum ordine aſſumti, qui ad provincias regendas mitterentur, & comites quidem illi non tum Principis, à

quo aberant, ſed provinciæ dicebantur, quam ipſi cum Comitiva dignitate gubernabant, ut *Comitem Africæ, Tingitanæ, Comitem littoris Saxonici per Britanniam, Comitem Britanniæ, Italiæ, Argentoratenſem*, in Notitiâ Imp. jam tum ſub Honorio & Arcadio legimus: Et in Cod. Theod. *Comites ſacrarum largitionum*. Inſignis eſt hanc ad rem locus Zoſimi lib. 5, ubi inquit: *Is vero Comitem Orientis fecit: cuius magiſtratus ea poteſtas eſt, ut qui eum gerit, omnibus provincias Orientis adminiſtrantibus præſit, & quæcumque non aguntur, uti par erat, corrigat.* Apud Francos *Comites* ut plurimum erant iudices ordinarij, qui jus dicebant. Greg. Turonenſis de S. Nicetio: *Nam vidi ego quodam tempore Baſilium presbyterum miſſum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunenſem urbem his diebus poteſtate judiciaria gubernabat.* Sidonius quoque *Comites Maſſiliæ* nominat, & Caſſiodorus lib. Var. 6. *Comitivæ Syracuſanæ* & *Neapolitanæ* formulas ſcripſit, quarum ſi munia cum Francis conferantur eadem prorſus apparebunt. Ille enim *Iudices* eos vocat cap. 22. 23. 24. & civilia negotia examinare dicit, itidemque eos exercitum habere & provinciam cuſtodire. Vnde & recte definivit Svidas *Comitis* vocem, dum *populi magiſtratum* vocat, κόμης, ὁ λαῦ ἄρχων, nec aliter etiam Heſychius. Quæ omnia Comitis quoque apud Francos veteres munus indicant. Singulis enim non modò civitatibus, ſed & regionibus Comites præerant. Iterum Greg. Turonenſis de B. Gregorio epiſcopo: *in Comitatu poſitus regionem illam per 40 annos juſtitia comitante correxit.* Et lib. 6 cap. 22: *Rex Chilpericus pervaſis civitatibus fratris ſui, novos comites ordinat, & cuncta jubet ſibi urbium tributa deferri.* Cap. 41, Miſitque ad duces & comites civitatum nun-

muncios, ut muros componerent urbium. Idem ſæpe etiam, *Iudices* non *Comites* vocat. Et lib. 7 cap. 42 ſeipſum interpretatur: *Poſt hac edictum à Iudicibus datum eſt, ut qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur. Biturigum quoque Comes miſit pueros ſuos &c.* Hincmarus Epiſtola pro epiſcopis Galliarum & Germaniarum Chriſtianiſſimo principi, cap. 3: *Huius glorioſæ domus Dei decorem & locum habitationis gloriæ eius fideliſſimè diligere & zelari debent, non ſolum epiſcopi & ſacerdotes in ſedibus, ſed etiam reges in regnis & palatÿs ſuis, & regum comites in civitatibus ſuis, & Comitum vicarÿ in plebibus.* Præclare. & paulo prolixius eorundē officiū ac munus deſcribitur in Caroli Capit. lib. 2 cap. 6. Lib. 4. cap. 5, cōciſius iſta habētur: *volumus ut Comites, qui ad cuſtodiendā maritimā deputati ſunt, quicunque ex eis in ſuo miniſterio reſidet, de iuſtitia facienda ſe non excuſet propter illam cuſtodiam: ſed ibi ſecum ſuos* Scabinos *habeat, ſi ibi placitum teneat, & iuſticiam faciat.* Quibus accedat Tributa quoque curaſſe & ærario intuliſſe. Marculfus lib. 1. cap. 8; & Turonenſis lib. 6. cap. 22, & 7. lib. cap. 23. Habebat & Palatium Comitem ſuum. Eginhartus in vita Caroli M: *Si comes Palatÿ litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine eius iuſſu definiri non poterat, ſtatim litigantes introducere iuſſit, & veluti pro tribunali ſedens, lite cognita, ſententiam dixit.* Vide item Capitulare lib. 3 Capitul. 77. Breviter, omnis præfectura honeſtior etiā Iuſtiniani temporibus *Comes* dicebatur. Hi *Comitatus* primis adhuc Francorum temporibus, non ad vitam, quemadmodum de *Ducatibus* quoque dictum, ſed ad tempus tantum conceſſi. Labente poſtmodum ævo perpetuos & hæreditarios cōſtitutos vel Hollandici Comitatus donatio à Francicis

Regi-

Regibus facta ſatis loquitur. Qua in donatione præter cetera etiam hoc notandum quod munus Comitum etiam tum fuerit jus populo dicere ac fines tutari. Vnde paſſim & identidem apud vernaculos & vetuſtiores præſertim Hollandiæ chronologos de Comitibus loquentes occurrit, **ende hy berechte het Landt etc.** quod eſt, *jus populo dicebat*.

Hodie & noſtris nunc moribus *Comites* dicuntur illi, quibus dignitas Comitatus vel codicillis Cæſareis vel uſu longævo acquiſita eſt, ut notat Pet. Greg. lib. 6. Syntag. cap. 8: Et Sigonius de regno Italiæ lib. 7. Quorum aliqui principum loco cenſi, **gefurſtete Graven** appellantur; reliqui ſuo ordine conſiſtunt. Et ſunt ex hoc cenſu quatuor præcipue familiæ in claſſem Comitum imperij receptæ, *Clivenſis, Sabaudici, Glienſes* & *Swartzburgenſes*. Munſt. 3 Coſmog. cap. 18 Quorum *Glienſes* extincti anno 1456. Nec omittendum, licet poſtremo loco, ipſam vocem, **Grave**/ qua hodie noſtrates *Comitem* intelligunt inſigniuntque, non adeo eſſe recentem, ſed apud antiquiſſimos & primam Francorum familiam uſurpatam, demonſtrante id Paulo Diacono lib. 5 cap. 36 Hiſtor. Longobardicæ: *Hic dum dux eſſet in Tridentina civitate, cum Comite Boiariorum, quem illi Gravionem dicunt, qui Buzam & reliqua caſtella regebat, conflixit*. Cuius vocabuli Germanici etymon ſeu notationem unde eliciemus? An à *foſſis* forte, quia limitibus præerant, **Graven** & **Marckgrave**, id eſt, limitanei dicti? An aliunde potius alij viderint. Veram & certam qui dederit vir eſto.

Poſtremo cum ſupra Hincmari locus comitibus etiã vicarios ſuos adſcribat, annotatu dignum eſt quod obſervat

ſervat Bignonius, ſingulos nimirum *Comitatus* in *Centenas* ſeu territoria quædam fuiſſe diviſos, quibus minores iudices præerant ſub Comitis diſpoſitione, qui à Centena *Centenarij* dicebantur. Synodi Cabilonenſis ſub Carolo M. cap. 21. *Comitibus & iudicibus hoc ſummopere obſervandum eſt ut juſte judicent.* Paulo poſt: *Sed & miniſtros quos vicarios & centenarios vocant juſtos habere debent.* Tales etiã Tungini erant. Sal. leg. tit. 48. *Hoc obſervare convenit, ut Tunginus vel Centenarius mallum indicet.* Gloſſ. vett. *Tunginus qui poſt comitem eſt*: Dictus forte à **ting**; quod forum iudiciale olim Germanis, & nunc adhuc Danis ſignificare ſupra indicatum. Qui tamen non de omnibus cauſis, ſed de minoribus tantum iudicabant. Capitul. lib. 4. cap. 26. *Omnis controverſia coram centenario definiri poteſt, excepta redditione terræ & mancipiorum, quæ non niſi coram Comite fieri poteſt.* Lib. 3 cap. 79. *Vt nullus homo in placito centenarij neque ad mortē, neque ad libertatem ſuam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia judicetur: Sed iſta in præſentia Comitis vel Miſſorum noſtrorum judicentur.* *Scabinos* autem ſingulis Comitibus in mallis ſeu Comitijs aſſociatos patet ex loco ſuperius è Capitulari citato. Vide & Lindeburgij Gloſſarium ad Cod. Legum Antiq. in voce *Scabini*. Vbi præter alia Gloſſæ laudatur in quibus *Scabini auditores Comitum* dicuntur, niſi verius ibi legendum *adiutores Comitum*. Gloſſ. Latino-Theotiſ. *Iudex*, Scepeno. Quæ hodieque vox eadem adhuc notione apud Germanos Belgaſque uſitata retinetur. Nec aliunde Gallorum *Eſchevins* deducuntur. Etymon vocabuli* alibi nos attuliſſe atque explicaſſe memini.

* Lib. 3. Rerum & Vrbis Amſt.

Habebant & Comites, ſicuti & Duces, *Vaſſos* ſive fide-

 les

regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, ij qui majores domus regalis eſſe videbantur, adminiſtrare regis potentiã & quidquid agere regibus mos eſt, cæperunt. Nec abſimilia ſunt quæ alibi alij & præſertim Eginhardus in vita Caroli Magni ſtatim ſub initium pæne probroſe in Merovingorum poſteros commemorat; & repetit deinde haud minori verborum contumelia Sigebertus ſub annum 662. *Quibus*, inquit, *moris erat principari quidem ſecundum genus, at nihil agere vel diſponere quam irrationabiliter edere & bibere domique morari.* Quaſi ſcilicet eadem omnium illorum regum ratio ac torpor fuerit, ac non potius virtus & animi fortitudo nonnullorum ſingularis exſtiterit qualem ſcriptores omnes & ipſi quoque nos in Clodoveo ſuperius cõmemoravimus, qui non modò innumerabiles Alemanorum phalanges in Galliam irrumpentes prælio prope Tolbiacum cõmiſſo profligavit, verũ etiã præter Gothos Romanorũ reliquias è Gallijs eiecit. De cuius deinde progagine & nepotibus quid dicemus? In ijs nonne Childebertus & Lotharius fuêre, qui VViſegothos & Oſtrogothos è provincia & Aquitania, ubi ſedes fixerant, magnis prælijs magnaque animi prudentia & fortitudine exterminarunt? Et ubi tamen in horum vel rebus vel hiſtoria Maiorum domus, niſi obiter & curſim & tanquam adminiſtrorum palatij cõmemoratio inijcitur? Vnde eſt quod ex Greg. Turonenſi, qui illo ſeculo filiorũ & nepotum Clodovei floruit, inter cetera colligi poteſt epiſcopatum Maioratui domus tum prælatum ac potiorem fuiſſe habitum. Nam de Cænomanorũ epiſcopo agens ita continue ſubijcit: *Qui poſt viginti duos epiſcopatus annos, dum ſe cerneret morbo regio calculoque graviſ-*

graviſſime fatigari, Theodulphum Abbatem in locum ſuum prælegit, cuius aſſenſſui rex præbuit voluntatem: ſed non multum poſt tempus mutata ſententia in Badechiſilum domus regiæ maiorem transfertur electio. Qui tonſuratus, gradus quos clerici ſortiuntur aſcendens poſt quadraginta dies migrante ſacerdote ſucceſſit. Et liquet quoque ex eodem Turonenſi non tantum in regum, ſed in reginarum etiam aulis Domus Maiores fuiſſe. *Waddo* enim lib. 7. cap. 27 apud eundem Turonenſem nominatur *Maior domus* in aula reginæ Regundæ.

Tantæ vero huius, qua uſi poſtmodum regij illi præfecti, potentiæ initium factum putatur tempore ſtatim Clotharij 2 annum circiter Chriſti DLXXXVII. Nam author hiſtoriæ Francorum quem Venericus Vercellenſis aliquoties ſine nomine tamen profert, habet quæ eò ſpectare videntur: *Tēpore*, inquit, *Clotharij patris Dagoberti regnum Francorum regi captū, & adminiſtrari ab his, qui proviſores aulæ regiæ vel maiores domus eſſe videbantur.* Quod ipſum Godefridus Viterbienſis parte Chron. 16 haud aliter refert, itemque ſcriptor chronici Beſnenſis monaſterij *illo tempore*, inquit, *deficientibus à priſtino vigore regibus, cura totius regni adminiſtrabatur per duces & principes domus.* Ex quibus & aliorum præterea hiſtoricorum verbis hoc inſuper liquere poteſt, profectos illos nō ſemper *maiores domus*, ſed alijs etiam nominibus nuncupatos, nimirum *magiſtros regij palatij, comites domus regiæ*, itemque *duces & principes domus*. Venantius Fortunatus an *Domus Majorē Domeſtici* ac *Domus Diſpoſitoris* vocabulo affecerit, ſcribens ad *Condam Domeſticum* ambigi poteſt. Verba tamen ità habent:

Inſtituit cupiens ut deinde Domeſticus eſſes.

Creviſti ſubito, crevit & aula ſimul.
Florebant pariter veneranda palatia tecum
Plaudebat vigili diſpoſitore Domus.

Græci etiam μέγαν δομέστικον, *magnum domeſticum* agnovêre. Gregorius Turonenſis *Domeſticorum* munus indicaſſe & à *Domus maiore* ſatis diſcriminaſſe videtur, ubi inquit lib. 9. cap. 28: *Fuerunt ad hoc placitum multi de regno eius tam Domeſtici quam Comites ad præparanda regalis expenſæ neceſſaria.* In Gallijs quoque aliquot poſt ſeculis *Seneſchallos* dictos fuiſſe obſervat in Franco-Gallia ſua Hotomannus: Quamquam vox ea ævi anterioris videtur, præſertim cum in Formulis Marculfi, qui claruit circa annum Chriſti DCLX, occurrat. Edidit eum Pariſijs nuper Hieronymus Bignonius, qui ex annalibus præterea Fuldenſibus ſub annum DCCCXXXVI ſuis in Notis hæc adiecit; *Carolus per Arnulphum Seneſcallum miſſo exercitu Britones domuit.* Nec aliter Vita Caroli M. apud Adhemarum, & Sigebertus. Aimonius eundem Audulphum *regiæ menſæ præpoſitum* dicit; Regino Prumienſis, *principem coquorum*. Hodie Galli magnum magiſtrum Franciæ *Seneſcallum* intelligunt. In * Marculfo notandum quod non *Seneſcallus* ſed *Seneſcalcus* legatur voce ad Germaniſmum propiore, Atque hæc de *Domus Maioribus* ſufficere hoc loco exiſtimo.

* Lib. 1. Form. c. 25

CAP.

CAP. XIII.

DE DVCIBVS EORVMQVE DIGnitate & munere.

M*Aioribus Domus* Duces ſubiungendi. Hi apud Romanos rei bellicæ & exercitibus præfuerunt, ut liquet ex Tacito & imperij notitia, ubi *Limitum Duces* nominantur. Caſſiodorus quoque *Rhetiarum ducis* meminit. Deinde & vocis notatio eodem ducit. *Dux* enim à *ducendo* dicitur. quomodo & Hertſoch noſtri idiomatis vocabulum haud alio trahendum. Apud Francos non exercitibus tantum, ſed juri etiam dicundo præpoſitos oſtēdit Formula apud Marculfum monachum lib. 1 cap. 8, ubi hæc habentur; Non facile cuilibet judiciarjam convenit committere dignitatem, niſi prius fides ſeu ſtrenuitas videntur eſſe probatæ. Ergo dum & fidem & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem comitatus, Ducatus, patriciatus in pago illo, quem anteceſſor tuus ille, uſq; nunc viſus eſt egiſſe, tibi ad agendum regendumque commiſimus. Alias apud Gregorum Turonenſem & *Ducis* & *Ducatus* vocabulum ſepe numero occurrit, ut lib. 8. cap. 18. *Nicetius per emiſsionem Eulalij à comitatu Arverno ſubmotus, Ducatum à rege expetijt, datis pro eo immenſis muneribus. Et ſic in urbe Arverna Ruthena atque Vcetica* (*Ocetia* alias) *dux ordinatus eſt.* Ibid. cap. 26: *Turonicis atque Pictavis Ennodius*

Dux datus eſt. lib. 5. cap. 49: *Dicebat ob hoc Regina crimen obiectum, ut eiecta de regno interfectis fratribus & patre, Clodoveus regnum acciperet, Leudaſtes Ducatũ.* Lib. 6. cap. 4: *Lupus Dux Cāpanenſis nominatur.* Atq; inde cap. 12 eiuſdē libri; *Chilpericus rex cernens has diſcordias inter fratrē & nepotem, Deſiderum Ducem evocat; At ille commoto exercitu, Ragnavaldo duce fugato, Retrogoricum pervadit.* Quorum ex loco primo Duces Comitibus honore & poteſtate priores exſtitiſſe facile videre eſt. Et ſunt qui crediderunt ea tempeſtate ſub cura cuiuſque Ducis duodecim Comites fuiſſe, perſvaſi teſtimonio, quod exſtat in Pipini Annalib. Aimonio ſubjunctis lib. 4. cap 4. his verbis: *Pipinus domum reverſus Gufonem more Ducum duodecim comitatibus donavit.* Quod ſi verum ſit Pipini tantum ævo obſervatũ dici debet, cum exempla ſuperiora ſimile aut tale nihil habeant. Facit huc VValafridus Strabo, haud infimi ævi author, quippe qui dominante ſecunda regum Francorum familia claruit. Is libro de rebus Eccleſiaſticis cap. 31 ſeculi & eccleſiæ dignitates inter ſe contendens *Comites, epiſcopis; Duces Metropolitanis* aſſimilat. *Archiepiſcopos*, inquit, *qui ipſis metropolitanis praeminent, Regibus conferamus, Metropolitanos Ducibus comparemus, quia ſicuti Duces ſingularum ſunt provinciarum, ita & illi in ſingulis provincijs ſinguli ponuntur. Quod Comites & praefecti in ſeculo, hoc epiſcopi in eccleſia explent.* Poſtremo notandum, etiamſi ſumma hæc & à Regibus quaſi proxima dignitas fuerit, tamen non ut hodie perpetuam & propriam, ſed temporariam tum fuiſſe. Sane ad certum tempus conſtitutos Duces cum pro parte ex locis ſupra citatis, tũ ex alijs paſſim Gregorij teſtimonijs colligere eſt: Quorum inſignis eſt

lib.

lib 4 cap. 36. Inde etiam frequenter apud eundem hæc verba leguntur: *Exduce, expræfecto, excomite, exvicario*. Quod item à Romanis in pluribus obſervatum qui magiſtratus fere ad certum tempus deſignatos habuere. Hodie *Ducis*, ut innui, perpetua eſt dignitas tranſitque ad hæredem. Et ſunt Imperij quidem quatuor, *Brunſvicenſis*, *Bavariæ*, *Sveviæ* & *Lotharingiæ*. Cæteri ſimpliciter *Duces* ſunt, exceptis *Archiducibus*, & quidem Auſtriacis, qui inter ſeculi & S. Romani Imperij principes ſuam juxta *Saxoniæ Ducem* ceterosque *Electores* dignationem obtinent.

CAP. XIV.

DE COMITVM ALIORVMQVE *ſecundum eos dignitate atque officijs.*

DVcibus *Comites* ut inferiores, ità proximi fuerint. Horum notatio à comitando: nec alij initio apud Romanos, imo & Germanos, proprie Comites dicebantur, ut patet ex Tacito, quam qui principem ſuum ſectarentur eiuſque lateri adhærerent. Spartianus in Hadriano: *Cum judicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos & Comites ſolum, ſed juriſconſultos, & præcipue Iulium Celſum, Salvium Iulianum, Nerotium* &c. Poſtea ex horum ordine aſſumti, qui ad provincias regendas mitterentur, & comites quidem illi non tum Principis, à

quo aberant, ſed provinciæ dicebantur, quam ipſi cum Comitiva dignitate gubernabant, ut *Comitem Africæ, Tingitanæ, Comitem littoris Saxonici per Britanniam, Comitem Britanniæ, Italiæ, Argentoratenſem*, in Notitiâ Imp. jam tum ſub Honorio & Arcadio legimus: Et in Cod. Theod. *Comites ſacrarum largitionum*. Inſignis eſt hanc ad rem locus Zoſimi lib. 5, ubi inquit: *Is vero Comitem Orientis fecit: cuius magiſtratus ea poteſtas eſt, ut qui eum gerit, omnibus provincias Orientis adminiſtrantibus præſit, & quæcumque non aguntur, uti par erat, corrigat.* Apud Francos *Comites* ut plurimum erant iudices ordinarij, qui jus dicebant. Greg. Turonenſis de S. Nicetio: *Nam vidi ego quodam tempore Baſilium presbyterum miſſum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunenſem urbem his diebus poteſtate judiciaria gubernabat.* Sidonius quoque *Comites Maſſiliæ* nominat, & Caſſiodorus lib. Var. 6. *Comitivæ Syracuſanæ* & *Neapolitanæ* formulas ſcripſit, quarum ſi munia cum Francis conferantur eadem prorſus apparebunt. Ille enim *Iudices* eos vocat cap. 22. 23. 24. & civilia negotia examinare dicit, itidemque eos exercitum habere & provinciam cuſtodire. Vnde & recte definivit Svidas *Comitis* vocem, dum *populi magiſtratum* vocat, κόμης, ὁ λαοῦ ἄρχων, nec aliter etiam Heſychius. Quæ omnia Comitis quoque apud Francos veteres munus indicant. Singulis enim non modò civitatibus, ſed & regionibus Comites præerant. Iterum Greg. Turonenſis de B. Gregorio epiſcopo: *in Comitatu poſitus regionem illam per 40 annos juſtitia comitante correxit.* Et lib. 6 cap. 22: *Rex Chilpericus pervaſis civitatibus fratris ſui, novos comites ordinat, & cuncta jubet ſibi urbium tributa deferri.* Cap. 41, Miſitque ad duces & comites civitatum nun-

nuncios, ut muros componerent urbium. Idem ſæpe etiam, *Iudices* non *Comites* vocat. Et lib. 7 cap. 42 ſeipſum interpretatur: *Poſt hæc edictum à Iudicibus datum eſt, ut qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur. Biturigum quoque Comes miſit pueros ſuos &c.* Hincmarus Epiſtola pro epiſcopis Galliarum & Germaniarum Chriſtianiſſimo principi, cap. 3: *Huius glorioſæ domus Dei decorem & locum habitationis gloriæ eius fideliſſimè diligere & zelari debent, non ſolum epiſcopi & ſacerdotes in ſedibus, ſed etiam reges in regnis & palatijs ſuis, & regum comites in civitatibus ſuis, & Comitum vicarij in plebibus.* Præclare. & paulo prolixius eorundẽ officiũ ac munus deſcribitur in Caroli Capit. lib. 2 cap. 6. Lib. 4. cap. 5, cõciſius iſta habẽtur: *volumus ut Comites, qui ad cuſtodiendã maritimã deputati ſunt, quicunque ex eis in ſuo miniſterio reſidet, de iuſtitia facienda ſe non excuſet propter illam cuſtodiam: ſed ibi ſecum ſuos* Scabinos *habeat, ſi ibi placitum teneat, & iuſticiam faciat.* Quibus accedat Tributa quoque curaſſe & ærario intuliſſe. Marculfus lib. 1. cap. 8; & Turonenſis lib. 6. cap. 22, & 7. lib. cap. 23. Habebat & Palatium Comitem ſuum. Eginhartus in vita Caroli M: *Si comes Palatij litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine eius iuſſu definiri non poterat, ſtatim litigantes introducere iuſſit, & veluti pro tribunali ſedens, lite cognita, ſententiam dixit.* Vide item Capitulare lib. 3 Capitul. 77. Breviter, omnis præfectura honeſtior etiã Iuſtiniani temporibus *Comes* dicebatur. Hi *Comitatus* primis adhuc Francorum temporibus, non ad vitam, quemadmodum de *Ducatibus* quoque dictum, ſed ad tempus tantum conceſſi. Labente poſtmodum ævo perpetuos & hæreditarios cõſtitutos vel Hollandici Comitatus donatio à Francicis Regi-

ſervat Bignonius, ſingulos nimirum *Comitatus* in *Centenas* ſeu territoria quædam fuiſſe diviſos, quibus minores iudices præerant ſub Comitis diſpoſitione, qui à Centena *Centenarij* dicebantur. Synodi Cabilonenſis ſub Carolo M. cap. 21. *Comitibus & iudicibus hoc ſummopere obſervandum eſt ut juſte judicent.* Paulo poſt: *Sed & miniſtros quos vicarios & centenarios vocant juſtos habere debent.* Tales etiã Tungini erant. Sal. leg. tit. 48. *Hoc obſervare convenit, ut Tunginus vel Centenarius mallum indicet.* Gloſſ. vett. *Tunginus qui poſt comitem eſt*; Dictus forte à **ting**; quod forum iudiciale olim Germanis, & nunc adhuc Danis ſignificare ſupra indicatum. Qui tamen non de omnibus cauſis, ſed de minoribus tantum iudicabant. Capitul. lib. 4. cap. 26. *Omnis controverſia coram centenario definiri poteſt, excepta redditione terræ & mancipiorum, quæ non niſi coram Comite fieri poteſt.* Lib. 3 cap. 79. *Vt nullus homo in placito centenarij neque ad mortẽ, neque ad libertatem ſuam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia judicetur: Sed iſta in præſentia Comitis vel Miſſorum noſtrorum judicentur.* *Scabinos* autem ſingulis Comitibus in mallis ſeu Comitijs aſſociatos patet ex loco ſuperius è Capitulari citato. Vide & Lindeburgij Gloſſarium ad Cod. Legum Antiq. in voce *Scabini.* Vbi præter alia Gloſſæ laudatur in quibus *Scabini auditores Comitum* dicuntur, niſi verius ibi legendum *adiutores Comitum.* Gloſſ. Latino-Theotiſ. *Iudex*, Scepeno. Quæ hodieque vox eadem adhuc notione apud Germanos Belgaſque uſitata retinetur. Nec aliunde Gallorum *Eſchevins* deducuntur. Etymon vocabuli* alibi nos attuliſſe atque explicaſſe memini. * Lib. 3. Rerum & Vrbis Amſt.

Habebant & Comites, ſicuti & Duces, *Vaſſos* ſive fide-

les, quorum adhuc nomen ſupereſt apud Gallos Belgaſque qui *vaſſius* & *vaſallos* appellant, Leg. Aleman. tit. 36. 4. *qualiſcunque perſona ſit, aut vaſſus Ducis aut Comitis.* Et tit. 79. 3. *Et Dominus eius* XII *vaſſos* (vel ut alij *baſſos*) *infra Domum habet.* Leg. Baiuuar. cap. 2. tit. 15. *Sive regis vaſſus ſive ducis omnes ad placitum veniant.* Capitul. lib. 2. cap. 24. *vaſſi & vaſſali nobis famulantes.* Citat & Falcetus Antiq. libro 9 locum ex Capitulis Epiſcoporum Rhemenſis & Rhotomegenſis ad Lodovicum R. anni 818: *in Comitatu drudorum atque vaſſorũ.* Vbi drudi pro fidelibus à throuu/ voce Teutonica, *fidem* notante, indubie formatum eſt.

CAP. XV.

DE NOBILIBVS, INGENVIS ET Servis: qui vernacula gentis lingua Edelingi, Frilingi & Laſſi.

PRæter denique *Maiores domus, duceſque & Comites* ceteraq; nunc enumerata dignitatum munia, erant & Ordines, qui gentis lingua dicebantur *Edelingi, Frilingi* & *Laſſi.* Nithardus Hiſtor. Francorum lib. 4 Saxonibus etiã tribuit, cũ inquit: *Gens Saxonũ omnis in tribus Ordinibus diviſa conſiſtit. Sunt enim inter illos* Edelingi, *ſunt qui* Frilingi, *ſunt qui* Laſſi *illorum lingua dicuntur; Latina*

vero lingua hoc ſunt Nobiles, ingenui *&* Serviles. Magiſter Adamus Bremenſis addit *Libertos* ſive *Libertinos*, id eſt, *Manumiſſos.* Eandem autem fuiſſe rationem Francorum ex eorum Chronologis & ſcriptoribus liquet.

Nam & *Edelingorum* mentio in verſibus rhythmicis lingua Francorum vernacula ad Lodovicum Regem miſſis, itemque in verſione Evangelij Otfridiana. Et lib. I. cap. 5 Formular. monachus Marculfus, qui, ut docti, & Bignonius præſertim oſtendit circa annũ æræ Chriſtianæ DCLX, Dagobarti temporibus, in Gallijs claruit, *Ordinem Nobilitatis* nominat monſtratque ex eo Epiſcopos electos aut eligendos. Quod & paſſim apud Sidonium & Gregorium Turonenſem obſervare eſt.

Frilingorum, qui erant ingenui, crebra eſt mentio in legibus Francorum. Apud Marculfum *Charta* exſtat, *de agnatione, ſi ſervus ingenuam trahit*. Qua formula dominus ſervi qui puellam ingenuam rapuit, ſopita controverſia, cavet ut qui agnaſcerentur ex ijs nuptijs liberi & ingenui permanerent, non ſervi. Eſt & alia ſub eodem Capite formula, qua ingenua ſponte ſervo ſe jungens libertatem amittebat, quemadmodũ etiã lege Salica.

Laſſi denique ſervi erant, ita fortaſſe appellati à **laſſen** ſeu **laten**, quod eſt, *ſinere, relinquere.* Kilianus in voce Belgica **laet**; *Latus*, inquit *Colonus & Latinus libertus apud* I.C. *à* **laten** *decuntur, quod à veteribus Saxonibus (ut dicit Gloſſ. Specul. Saxon) regione recens potitis ÿſdem locis ſint relicti, ut terrã tanquam tributarÿ & conductitÿ colerẽt: aut quod mannumiſſi & libertate donati ſint*. Hæc Kilianus. Quorum poſterius tantum capiendum de *libertis*, quos dixi Adamũ Bremenſem indicaſſe; & tunc vernaculo idio-

mat: *Frilaſsi* ſive **Frigelaſſene** intellecti fuère. Gloſſ. Latino-Theotiſc. *Libertini* **Frilaza.** In vet. Carm. Germ. **Eygen leute laſſe ich fry.** De his multa in Formularum libris Marculfus monachus & in Notis ad eundem Hieronymus Bignonius. Qui triplicis huiuſmodi apud Francos manumiſſionis rationem obtinuiſſe oſtendit, *per denarium* nimirum, *in Eccleſia & per chartam* ſeu *epiſtolam privatam.* *Primæ* meminit Lex Salica tit 28. *Si quis ſervum alienum ante regem per denarium ingenuum demiſerit.* Et in formulis incerti authoris cap. 47: *Poſtea ante dominum illum regem iactato denario ſecundum legem Salicam te ingenuam demiſi.* Item in Vet. Formul. Pithœi. *Secundum legem Salicam eum liberum demiſimus & ab omni iugo libertatis abſolvimus.* Hanc legem in nonnullis adhuc Germaniæ & præſertim verſus Boream colentibus populis uſurpari atque obtinere hodieque conſtat. *Alterius* modi apud Turonenſem libro 8. cap. 41. item Synodo Aurel. 4 cap. 9 exemplum habetur: *Si de ſervis eccleſiæ libertos fecerit epiſcopus in ingenuitate permaneant.* Poſtremò *manumiſſionis per chartam* ſeu *epiſtolam privatam* mentio eſt apud Marculfum lib. 2. cap. 32. Hi *chartularij* dicebantur, quemadmodum primi *denariales.* De his eſt facileque nunc intelligitur Caroli M. capitulum 208 lib. 6: *Homo denarialis non antea hereditare in ſua agnatione poterit, quam uſque ad tertiam generationem perveniat. Homo chartularius ſimiliter faciat.*

Formularum porro manumiſſionis duo exempla recitat Bignonius. Nos unum brevitatis cauſa hic apponemus: *Ego Fulco Comes Andagavorum & mea ſoror Ermengardis hunc fidelem noſtrum Benedictum nobis vinclis ſervitutis obnoxium ab omni debito ſervilis conditionis pro anima*

patris

patris noſtri Fulconis & pro remiſſione malefactorum noſtrorum abſolvimus, ut deinceps cum omni fructu ſuo licentia liberali donatus, in quamlibet mundi partem eat, nec cuiquam ſucceſſorum noſtrorum eum ab arbitrio revocare liceat. Hactenus Formula.

Nec ſcio an cum *Laſſis* ſive *latis* jam ſupra memoratis ijdem ſint quos idem quoque ſeculum *litos* dixit. Ita enim reperio in Diplomate Cancoris, regnante Pipino anno 774: *Cum aquis aquarumque decurſibus, litis, libertis, conlibertis &c.* Item titul. 1. paragraph. 4. Leg. Friſionum: *Si nobilis litum occiderit 27. ſol. uno denario minus componat cum domino ſuo & propinquis occiſi.* LL. Longob. lib. 3 Titul. 20: *Aldiones vel Aldiæ ea lege vivunt in Italia in ſervitute dominorum, qua fiſcalini vel liti vivunt in Francia.* Albertus Stadenſ. *Plures ſe eis dediderunt proprios, & qui ab eis vivere ſunt permiſſi. Litones ſunt ab eodem vocabulo nuncupati.* Privileg. Eccleſ. Mindenſ. *Homines ipſius Eccleſiæ Francos, liberos & Eccleſiaſticos, litones, malmans, vel ſervos cuiuſlibet conditionis.* Otto rex in charta libertatis Riperſholt: *Quadam noſtri iuris mancipia, litam videlicet Thietſaiden dictam, cum filijs eius & filiabus tradidimus.* Privileg. libertatis ab Ottone Imp. Adaldagi Epiſcopi ſupplicatione, monaſterijs conceſſæ: *Si vero aliquis ex libertate voluerit jamundling* (forte *unmundling*) *vel litus fieri, aut etiam colonus ad monaſteria ſupradicta, cum conſenſu coheredum non prohibeatur.* Leg. Friſion. Tit. 2: *Litus ſi propria pecunia ſe a domino redemerit*. Et alibi plura, de quibus vide in voce *Litus* Fred. Lindebrogij Gloſſarium ad Cod. vet. Leg. Adeo ut appareat genus hominum deditium fuiſſe, ſive quod ingenuitatem ſuam pretio manciparat. Num vero antiquiſſi-

mum & primum Francorum ſeculum eoſdem agnoverit, ambigere faciunt cum Amm. Marcellinus, tum Imperij Notitia. Quorum ille lib. 21 *Lætorum* ſub Iuliano meminit; hæc in Tarraconſi. Provincia habet *Præfectum Lætorum Teuthonicianorum*; *Præfectum Lætorum Gentilium Suevorum*; *Præfectum Lætorum Francorum* &c. Vide & Leg. 10 Cod. Theodoſ. ad Veteran.

Apud Marculfum denique cap. 32 lib. 2 ſupra indicato, non tantum libertatem ſervis datam, ſed jura quoque ingenuitatis conceſſa ex Formulæ verbis colligitur. Quo loci obſervat Bignonius eum morem non à Romanis ſed à Barbaris undique in Gallias irrumpentibus fluxiſſe. Nos nequaquam ambigimus à vetuſſimis & qui ævo Taciti deſcripti fuerunt Germanis eius originem repetendam. Nam libro de Morib. Germanorum ita de ſervis loquitur: *Servis non in noſtrum morem, deſcriptis per familiam miniſterijs utuntur. ſuam quiſque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris aut veſtis, ut colono injungit. Et ſervus hactenus paret. Cetera domus officia uxor & liberi exſequuntur.* De quibus, *liberis* inquam, *nobilibus* atque *ingenuis* ita dein ibidem addit: *Liberi non multum ſupra ſervos ſunt; raro aliquid momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat ijs gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. apud ceteros impares libertini libertatis argumentum ſunt.*

CAP.

CAP. XVI.

PRINCIPES SEV REGES FRANcorum præſentes ac ore proprio jus dixiſſe.

QVod de judicibus ac Comitibus eorũque adminiſtris ac nomenclatura necnon officijs ſupra fuit annotatũ, hac coronide ſignabimus; Quod nimirum ipſi quoque Francorum Reges ac principes populo præſentes jus dixerint. Vnde Eginhartus in Caroli vita: *Quum calciaretur aut amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam ſi Comes palatij litem aliquam diceret, quæ ſine eius iuſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci iuſſit, & velut pro tribunali ſederet, lite cognita ſententiam dixit.* Quin & lex in eam rem lata, quæ ita habet: *Hoc miſſi noſtri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad cauſas audiendas ſedere volumus. Populo autem dicetur, ut caveat de alijs cauſis ad nos reclamare, niſi de quibus aut miſſi noſtri, aut Comites, eis iuſtitiam facere noluerint.* Vide porro Capitul. lib. 3 cap 156. item lib. 3 cap. 64. lib. 5 c. 46. & alibi. Exſtat & PROLOGVS apud Marculfum lib. 1. cap. 25 Formularum, *de Regis iudicio cum de re magna duo cauſantur ſimul.* Cui in Notis ſuis adiecit Bignonius iudicium regis Chlotarij in cauſa abbatis S. Benigni Divionenſis. Quod ibi videre eſt. Vetuſtiſſimi apud Germanos inſtituti hoc fuiſſe ex Tacito colligitur, qui libro de Germania ita ait: *Eliguntur*

Addit. 4. cap. 83.

guntur

guntur in iiſdem Conciliis & principes, qui iura per pagos viſcoſque reddant. Centum ſingulis ex plebe Comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt. Quid autem Germanos veteres loquor, nonne & inter ſacros ſcriptores regius ille Proverb. cap. 16 inquit? *Divinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius.* Francorum vero hunc morem nunc deſitum quam dilaudet, quamque revocatum optet Cl. V. Iuſtus Lipſius, animadvertere eſt ex eius Monitis atque Exemplis Politicis cap. 9 Mon. 3 Quaſt. 1. ubi poſt multa de Carolo ita addit: *Carolus ipſe M. cauſas audire voluit, idque hebdomadatim: cauſas ſcilicet graviores, aut in quibus læſio aut iniuria interveniſſe ab ipſo iudice videbatur. Si non alius in hac re fructus, quantus iſte eſſet? coercere hoc modo iudices, & vigilantes attentoſque reddere: cum principem cogitarent iudicii ſui iudicem, & forte vindicem mox futurum.* Quibus & exempla ſubiungit maximorum regum atque imperatorum ut *Philippi Macedonis*, *Demetrii*, qui *poliercetes* dictus & tandem ipſius *Augusti Cæſaris*, de quo ita Svetonius: *Ius dixit aſſidue & in noctem nonnunquam.* Hinc ad leges veniamus.

CAP.

CAP. XVII.

DE LEGIBVS.

Eas non multas, & cuiuſmodi Franci habuere, probari.

AD ipſas leges priuſquam ſpeciatim accedam, illud quod præcipue rem noſtram ſpectat & animum quoque explicet, maximi illius & accurati viri, quem modo nominavi, verbis præmittam:

Leges in republica, ut medicamenta, eſſe debent: atqui nec hæc multa aut varia probentur: non item illa. Plato veriſſimè: ubi plurimæ leges, ibi & LITES, itemque MORES improbi. *Deus bone quam rem tetigit? & uſus ubique gentium aut temporum, hoc adfirmabit. Maneamus in Romanâ republica. Paucas ea initio habuit: Paullo plures Decemviri addiderunt: & ità ad principes fere manſit. Tunc ſane plures: & à Juſtiniano plurima, quibus utimur;* Lothario *Imperatore, cum diu ſiluiſſent, eas reducente. Nam Gallia, Hiſpania, Germania earum ad id avi fere expertes erãt. Receptæ igitur ſunt: & quo fructu? Certe illo litium, nemo negaverit: quæ ex eo nimium quantum ſuccreverunt. Europam vide, & mentior, ſi maxima eius pars circa iſtas occupatur. Alij judicant, alij inſtruunt, alij agunt, &, qui miſerrimi ſunt, eas habent. Bone Lothari, manes tui per me quieſcant: ſed roſæ aut lilia ſepulchrũ tuum non ornent, qui tot tricas & ſpinas vobis ſeviſti. Nam quæ tam clara cauſa eſt, quæ non aliqua lege, lege? imo interpretatione (nam & has admiſimus) obſcuretur? Quæ tam improba, cui* Lipſ. Excp & Monit. Politicorũ cap. 10.

non dent colorem? Ars enim fit i eſt cauſsidicina, & perite captare aut capere laudē habet. At qui opus eſt, inquiunt, multitudine; ut varij factorum eventuumque veluti vultus & ſpecies diſcernantur. Nam ſi paucæ leges, quid? an judici libera pleraque relinquentur? feneſtram ſive oſtium ad iniquitatem pandemus? Non ego cenſeo: ſed neque ſic judicem coerceri. Obſecro, quæ illa copia eſt, quæ omnia comprehendat, aut diſtinguat? ipſum Iuſtinianeum jus vide: hic deficit, & multa ex ſimilitudine, aut obſcuris ex eo argumentis, judicantur. Imo ubi copia, plus intricati erit: & ſemper argutia aut calumnia in ſinu aut receſſu huius illiuſque legis latebit, & ſe defendet. An non videmus cottidie? præter jus illud Romanum, ſtatuta & Decreta oppidatim, pagatim, populatim habemus: claudimur undique & velut obſidemur, à legibus: at litium tamen copia, quanta non alio ævo, controverſiæ aſſiduæ ſuper ipſo iure, aut querelæ. Pulcherrima Strabonis nota eſt, & vel aureis literis ſignanda: Zalcucũ illũ Thurijs olim PAVCAS & SIMPLICES leges dediſſe, ſed ſecutos, alias per ſubtilitatē & nimiā curam addidiſſe: ex quo factum ſit, ut celebres magis quā boni redderētur. *Additque dogma quantivis pretij:* Bonis uti legibus, nō qui omnes ijs ſycophantias aut calumnias caveīt & excludunt, ſed qui ſimpliciter latis firmiter inhærent. *Oraculũ eſt, oraculum. Non multæ leges bonos mores, bonũ jus faciunt: ſed paucæ fideliter ſervatæ. Atqui interveniunt calumniæ. Quid igitur? quo fine iudex? quo fine princeps eſt? Ille vir bonus & os Iuſtitiæ; iſte potens, & viva ipſa lex, an non verbo uno decidet? Et da quod alibi malè: quid magni mali eſt? primum in re obſcura, & in qua haud valde interſit, Titius an Seius vincat. Deinde (vera dicam) in re parva: in agello, in prædiolo, in peculiola: habeat, cui judex donat. Abſit tantum aperta iniquitas: neque aliter in maxima orbis parte hodie vivunt. Alterum*

terum in Platone, de moribus malis, palam verum. Improbitas huic Cauſſidicinæ adhæret: excipio ſemper eos, qui ex dignitate & veritate jus habent. Ecce, ubi lites, nonne diſcordia: nonne odia deinde, iniuriæ & ſæpe cædes? Platonem iterum advoco: Non fuerint cõcordes unquam aut interamãtes cives, ubi mutuæ multæ lites judiciales ſunt, ſed ubi eæ BREVISSIMÆ, ET PAVCISSIMÆ. *Nota hæc ultima: vult non paucas ſolũ lites, ſed breves. Ego tecũ: nunc ubi ſumus? una aliqualis Metonis annum tenet. Fit involucris legum, fit ſordibus advocantium: & conperendinationes iſtæ ad quæſtum & lucellum eunt. Per Symplegadas, navigatur Colchos & aureum vellus. Quid jam in ipſis litigantibus? pervicacia eſt & ſæpe impoſtura, aut improbitas*: neque enim bona conſcientia (*ait ſcite Celſus*) ſed victoria, litigantis eſt præmium, &c. *Vt concludam (& ſatis fucos irritavi) Princeps lites minuat, Princeps & leges minuat, pro meo ſenſu. Vt imputata vitis latè ſe ſpargit, & infructuoſa eſt: ſic jus profecto illud vetus, labruſcas jam pro uvis gignit.* Iuſtinianus *ipſe olim reformavit & novavit; ante eum* Theodoſius; *poſt utrumque* Carolus Magnus, *& tum* Fredericus, *imperatores; denique in Hiſpania rex* Alfonſus. *Quid? Principibus hodie potentibus & magnis, non idem jus ſit? habent, ſumant.*

Hæc ille; & omnia accurate & pro noſtro ſenſu: niſi quod de Lothario abnuamus. Quis enim ambigat idem eum quod maiores, jus coluiſſe? Vnde ex legibus Salicis Titul. 43. 1. licet colligi ſit, liberum fuiſſe di victis gentibus aut ſuis aut victoris legibus vivere: tamen Carolus M. in Capitul. lib. 6. titul. 269 habet quæ hic omitti non debent. Ait enim: *Alienæ gentis homines legibus ad exercitũ imbui & permittimus & optamus: ad negotiorum vero diſcuſſionem & reſutamus & prohibemus.*

quamvis enim eloquijs polleant, tamen difficultatibus hærent? Vbi jus præcipue Romanum innui dubium non eſt, quod ob eloquij & rationum præſtantiam argutaque reſponſa diſci atque explicari ſtudioſæ iuventuti, non vero ob robur ſanctionum uſurpari in foro concedit. Eumque fortaſſis in finem Corpus quoddam juris ex Cod. Theodoſiano & diverſis alijs veterum juriſconſultorum Rom. libris per Anianum Aduris collectum, Alarici Gothorum regis iuſſu Tholoſæ roboratum, à Carolo exinde Magno denuo confirmatum fuit. Quod cum ita ſit, unde ergo iſta de Lothario hauſta tibi vir eruditiſſime? An ex verbis Vrſpergenſis? qui in Lothario Imperat. hæc tradit: *Eiſdem quoque temporibus Dominus Wernerius libros legum qui dudum neglecti fuerant, nec quiſquam in ijs ſtuduerat, ad petitionem Mathildæ Comitiſſæ renovavit.* Sed attendendum quod ad eum locum oportune notat Frid. Lindebrogius I. C, in Prolegomenis ad Codicem Legum Antiquarum: *Ex hoc,* inquit, *fonte Sigonius lib.* XI *de regno Italiæ, & ſi qui alij, hauſerunt, quæ ea de re narrant: niſi quod nonnulli commentum novum addant, Wernerium ſive Irnerium quidem è ſitu & pulvere jus Romanum reproduxiſſe, uſum autem eius in foro, abrogatis alijs omnibus legibus, Lotharium iterum edicto publico confirmaſſe. Hoc quidem illi dicunt: ſed rectius faciunt, qui illis fidem non habent. In re enim ſeria æque perniciosum eſt, ficta credere, quam falſa confingere. Et vellem ſane edictum hoc Lotharianum aliquis nobis oſtendiſſet. Quod cum hactenus factum non ſit, viderint Romani juris anteceſſores, dum ſola Principũ conniventia Germanicarum legum rite confirmatarum uſus aliquãtum ceſſit, an earum authoritas adeo ſit im minuta, ut plane nulla amplius putetur: cum lex non dicatur ſublata per non uſum,*

ſed

ſed per contrarium ei legi uſum, juxta *Baldum* & DD. in L. De quibus. FF. de Legibus. *Quemadmodum ergo Legis receptæ virtus frangitur, in deſuetudinem ſi forſan per contrarium uſum abit; ſic etiam cuius contrarius uſus non oſtenditur, ea utiq; perpetim manere putatur, ut quandocunq; caſus evenerit, recte ea quis uti poſſit, etiam poſt mille annos; ut notat* Domin. in C. Vt animarum §. ſtatuto. De conſtit lib. 6. *Idcirco veriſſime concludo, leges haſce, quatenus id ratio ſuadeat, & tempora permittant, non tantum apud Germanos in foro utiliter proferri, ſed juri quoque Romano pro ſtatu Provinciarum, recte præferri poſſe.* Hactenus Lindebrogius. Nunc ſeorſum ipſas Leges, quatenus id locus permittet, inſpiciamus.

SALICÆ LEGIS Authores qui fuerint, præfatio illi Legi præfixa ſatis declarat: & Sigebertus Gemblacenſis ad annum CCCCXXII: *Franci uti cœperunt legibus, & legem Salicam dictaverunt per quatuor gentis ſuæ proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus, Wiſogaſt, Boſogaſt, Salogaſt, Widogaſt, in villis Germaniæ,* Salechaim / Bodochaim / Windehaim. *Hi quatuor proceres per tres mallos convenientes, cauſarum origines ſollicite tractantes, de ſingulis diſcutiendo, ſicut lex Salica declarat, iudicare decreverunt.* Vnde autē lex iſta nomē *Salicæ* acceperit, inter eruditos quæri ſolet. Sunt qui ab ipſis Francis Salijs Ammiano Marcellino nominatis vocabuli originem arceſſunt; alij à *Sal* & *Sala* id eſt, aula derivant, quaſi *Salicus* denominativum eſſet & *aulicum* denotaret. Aventinus: *Lex Salica, terra Salica, Saliga prædia, Salici clientes*, apud jureperitos Galliæ & Germaniæ dicti, quod ad *aulam* ſpectent. Adhuc nobis in uſu eſt oreque frequenti Salbuch / hoc eſt, *Salicus codex*, ubi prædia regia aut Lib. 4 Annal. Baior.

 eccle-

eccleſiaſtica vectigalia redituſque prædiorum deſcribuntur. In Legibus quoque Alemanorum earumque gentium ſæpe occurrit *Sala* pro domo: ut Aleman. Tit. 81 *domum eius incendat ſeu ſalam.* Longobard. 1. Titul 11 l. 4 *bubulcus de ſala* & iterum ibidē l. 7. *de ſala propria exire.* Quibus locis liquet non tantum domus partem, id eſt, cænaculum ut nunc ſignificaſſe. Nam & in Decret. Taſſil. §. 14. occurrit Saliſuchen quod eſt, *domi ſcrutinium facere* & rem furtivam inquirere. Vt ita *terra Salica* proprie ſit terra aut ſolum quod hoſte devicto, *Salæ* aut *Salicis* id eſt, *regiæ aulæ* atque *aulicis* aſſignatum fuit: Huius portionem hereditariam ſexus femineus, utpote qui eam armis tutari nequiret, nullam adibat. Gloſſarium vetus Latino Theotiſ. citatur Lindebrogio, in quo, *Terra Salica*, Selilant explicatur: quod nihil ſit forte aliud, quam ſolum, ad domum regiam ſpectans. Nam Selilant ſive Salilant / ut ſupra in Decreto Taſſilionis Saliſuchen formatum videtur. Hæc Lex LXXI Capitulis abſolvitur. Accedunt, præter *Pactum pro tenore pacis Dominorum Childeberti & Chlotarij Regum*, itemque *Decretum Chlotarij Regis*, CAPITVLA nonnulla CAROLI AVGVSTI & HLVDOVICI Imperatorum. Authoritate eius utitur Hincmarus Epiſcopus libro de vita & actibus B. Remigij; & Feudorum liber 2. Tit. 29.

LEGES ALAMANORVM, BAIOARIORIORVM, RIPVARIORVM à Theodorico Francorum Rege compoſitas Prologus indicat. Qui ita habet: *Theodoricus Rex Francorum cum eſſet Catalaunis, elegit viros ſapientes, qui in regno ſuo legibus antiquis eruditi erant. Ipſo autem dictante juſſit conſcribere legem Francorum & Alemanorum & Baiu-*

variorum

variorum unicuique genti, quæ in eius poteſtate erat, ſecundum conſuetudinem ſuam. Addidit quæ addenda erant, & improviſa & incompoſita reſecavit, & quæ erant ſecundum conſuetudinem paganorum, mutavit ſecundum legem Chriſtianorum. Et quidquid Theodoricus Rex propter vetuſtiſſimam paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſthæc Childebertus Rex inchoavit, ſed Chlotarius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſimus per viros inluſtres Claudium, Indomagum, & Agilulfum renovavit & omnia vetera Legum in melius tranſtulit & unicuique genti ſcripta tradidit, quæ uſque hodie perſeverant.

HOC DECRETVM EST APVD REGEM ET PRINCIPES EIVS, ET APVD CVNCTVM POPVLVM CHRISTIANVM, QVI INTRA REGNVM MERVVINGORVM CONSISTVNT.

RIPVARIORVM quidem LEGIS nulla ibi mentio. Eſſe tamen ab iiſdem Regibus docti perſvaſum habent. *Ripuarios* autem ſive *Ribuarios* non *Riparios* dictum eum populum probant, quæ adfert in voce *Ripuarius pagus* Lindebrogius. Vbi inter cetera iſta legas, digna quæ hîc & iis quæ a nobis ſub finem libri 2 ſupra obiter dicta ſunt, adjiciantur: *Ripuariorum ſitum etſi curate ſatis inquiſivit Hermannus Comes Nuenarij in Galliæ Belgicæ Comment. certum tamen eſt, id quod ex fide veterum hiſtoricorum colligere potuimus, Ripuariam regionem ad Ruram fluvium (à quo Ruremunda civitas nomen accepit) qui inter Moſam & Rhenum medius currit fuiſſe. Clare hoc indicat Frodoardus in Chron. An. 923 dum inquit:* Rotbertus in regnum Rotharienſe proficiſcitur, locuturus cum Henrico, qui ei obviam venit in pagum Ribuarium, ſuper fluvium Ruram &c. *Regino Abb. An. 870:* Cum à partibus Orientis

entis venientis Ribuariorum terminos intraſſet, in quandam regiam villam nomine **Flamerſheim** ad hoſpitium divertit. *Idem an. 881.* Duo Reges Nortmannorum Godefridus & Sigefridus cum inæſtimabili multitudine peditum & equitum conſederunt in loco qui dicitur **Haſlow** juxta Moſam: & primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium civitatem, Traiectum caſtrum, Tungrẽſem urbem incendio cremant. Secunda incurſione Ribuariorum finibus effuſi cædibus ac incendijs omnia devaſtant: Coloniam Agrippinam, Bonnam civitates cum adjacentibus caſtellis, ſcilicet Tulpiacum, Vilipiacum & Nuis, igne comburunt. *Idem an. 891:* Ribuariorum fines intrantes Coloniam tenderent. *Eodem anno:* Nortmanni qui ad naves remanſerant Moſam tranſeuntes RIBVARIORVM PAGVM ingreſſi, & ſecundum crudelitatem ſibi ingenitam cuncta devorantes pervenerunt uſque Bonnam. *Wippo in vita Conradi Salici:* Rex Conradus primum per regionem Ribuariorum uſque ad locum, qui dicitur Aquiſgrani palatium pervenit. *Hugo Abbas, qui contemporaneus fuit D. Bernardo in libro MS. de miraculis B. Mariæ:* Commanens in Ribuaria ultra Axonam fluvium, qui præterlabitur urbem Sueſſoniam *Ex quibus locis ſatis colligi ſitus provinciæ poteſt: quam in quinque comitatus diviſam fuiſſe ex Aimonio, ut fallor, probabitur, ubi regni diviſionem inter Carolum & Lodovicum recenſet, Hiſtor. lib. 5. cap. 25. Ceterum à ripis fluviorum, juxta quos habitarint, ut quidam volunt, Ripuarios dictos, non auſim aſſeverare: ſic enim rectius* Riparij *vocarentur (ut in Gloſſar. Riparius ὀχθοφύλαξ) non autem* Ripuarij *vel* Ribuarij *: quemadmodum indifferenter ſcriptum hoc nomen apud veteres reperimus.*

Hucuſ-

Hucuſq; Lindebrogius. Et firmet poſterius iſtud, quod Guntherus Ligurinus *Ripuaria* quoque ſcribat primâ correpta, cum *ripa* & *riparia* primam producant Lib. 1:

Saxones & quorum Ripuaria nomina tellus
Veſtphaliaque urbes.

Item lib 6:

Ripuaria Cæſar in arva
Tendit, & extremos Rheni percurrere fines.

Capitula Legis Ripuariorum in univerſum ſunt LXXXIX.

CAROLI MAGNI. ET LVDOVICI PII &c. Chriſtianiſſimorum Regum & imperatorum Capitula ſive leges eccleſiaſticæ & Civiles ab Anſegiſo Abbate & Benedicto Levita collectæ Libris VII comprehenduntur, additis aliquot Lotharij & Caroli Calvi novis Capitulis.

Omneſq; hæ Leges à Tilio primum, atq; inde à Frãciſco & Petro Pithœis ſeorſim editæ, in unum nuper Corpus cum *Wiſigothorum, Burgundionum, Saxonum, Longobardorum, Angilorum* & *Werinorum* aliarumque gentium Conſtitutionibus à Frederico, quem indicavimus, Lindebrogio collectæ ac bono publico evulgatæ in omniũ nunc manibus habentur.

Notandum vero quod paſſim in iis occurrãt noctes pro diebus computatæ, ad morẽ ſcilicet veterum adhuc Germanorũ, de quibus Tacitus lib de morib. German. *Nec dierum*, inquit, *numerum ut nos ſed noctium computant, ſic conſtituunt, ſic condicunt, ut nox ducere diem videatur*. Cæſar quoque de Gallis: *Galli ſe omnes ab dite patre prognatos prædicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam cauſam ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed*

noctium finiunt. Inde & veteribus pragmaticis Gall. *Comparoir dedans les nuictz* & ſimilia. Sic etiam in ſpecul. Sax. noctes putantur lib. 1 Articul. 2. 67. & in LL. Inæ Reg. cap. 2. binnam thꝛitigum nihta / *intra triginta noctes.* Dies quoque numeratos ſed raro notatur ex Form. 110. *Noctes* numeratas etiam Caroli adhuc ævo patet ex lib. 3. capitul. 45: *Prima mannitio ſuper noctes* VII. *Secunda ſuper noctes* XIIII. *Tertia ſuper noctes* XXI, *quarta ſuper* XLII *fiat.* Leg. Sal. titul. 26 & alibi exempla plurima occurrunt.

Nobiles beneficijs regiis ornabantur & Alodijs. Hæc proprij iuris erant, Germanico vocabulo ſic dicta quod familiæ velut coagmentata ſint & coniuncta, hoc eſt inſeparabilia à familia. ein anlod. Gloſſ. vett. *Allodium dicitur hereditas, quam vendere vel donare poſſum, ut mea propria.* Item, *Allodium, id eſt prædium.* Carolus in Capitulis quæ conſtituta ſunt apud Sueſſiones Ann. 853: *Et poſtea in alodem data ſunt, ut deſcribant quæ fuerint, & à quo vel à quibus in proprietatem data ſint.* Et in adnunciatione Ludovici Reg. *Et illorum alodes de hereditate, & de conquiſitu, & quod de donatione noſtri ſenioris habuerunt.* Ado Viennenſis: *Baptizatis Saxonibus & ingenuitate & Alode firmitas roborata.* Vide & Lindebrogij Gloſſarium in *Alode.*

Salici Franci prærogativam in Iudicijs præ alijs habebant. Nam hi ſolidum XII denariorum pro multa ſolvebant. Si Saxo aut Friſius offendiſſet Salicum Francum XL denariorum ſolido multabatur. Idem quoque de Romanis erat iudicium. Leg. Sal. tit. 15. 2. *Si Romanus homo Francum expoliaverit,* IID *den. qui faciunt ſol.* LXII *culpabilis iudicetur. Si vero Francus Romanum expo-*

expoliaverit, ICC *den. qui faciunt* ſol. XXX. culp. iud.

In puniendis facinoroſis multo clementiores erant, quam hodie ſumus. Non furta, non homicidia capitali pæna ſed multa ut plurimum abſolvebantur. Notavit & olim Tacitus ubi de ijſdem in Germania ſua agit: *Luitur*, inquit, *etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus.*

Deſeruiſſe exercitum aut principem inter capitalia numerabatur. Id flagitium *Heriſliz* appellabant. Vnde Capitulare lib. 3 Titul. 70. cap. 4 Add. 2 § 29. *Abſque licentia & permiſſione principis de hoſte reverſus, quod factum Franci Heriſliz dicunt.* Her ſive Heir eſt exercitus, laſſen/ deſerere. Theodulph. *Et quomodo Dominum Pipinum Regem in exercitu derelinquens & ibi quod Thetiſca lingua Heriſliz dicitur, viſi ſunt indicaſſe Taſſilonem ad mortem.* Origo rei à primis Germanis, indicante Tacito, repetenda. *Cum*, inquit, *ventum in aciem, turpe principi virtute vinci; turpe comitatui virtutem principis non adæquare. Iam vero infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta eius gloriæ aſſignare præcipuum ſacramentum eſt.*

Qui *faidam* & ſimultates miſſas facere renuebat ad principem mittebatur. Capitulare lib. 4 Tit. 6. Faidam vocabant Franci ſimultatem apertam, qua unus aliquis uni vel pluribus bellum denunciat. Gloſſ. *Faida, vindicta mortis.* Ger. Feide. Anglo Saxon. Foehte. LL. Eduardi cap. 7 id eſt, inimicitia ſeu grandis ſimultas. Hanc aut hujuſmodi ſimultatem non fovebant aut exercebant filiæ. Vnde Leg. Longobard. 1. Tit. 9 L. 18 *Faidam non poſſunt levare filiæ.* Ius, quod Feudale juriſconſulti vocant, non aliunde appellationis auſpi-

cium acceperit. Nam & jure antiquo feudorum etiam filiæ à ſucceſſione feudi removebantur. Quod ipſum ſcilicet feudum militare quaſi autoramentum eſſet. Militiam autem non fœminæ ſed mares tantum exercent.

Exſtat quoque Addit. Lud. 4. titul. 81. Lex de armorum depoſitione eiuſmodi: *Poſtquam comes & pagenſes de qualicunque expeditione hoſtili reverſi fuerint ex eo die ſuper* XL *noctes ſit bannus receſſus, quod lingua Theodiſca* Scaſtlege / *id eſt, armorum depoſitio vocatur. Bannus regius* in Specul Sax. lib. 2. Articul. 61 eſt mulcta LX Solidor. Scaſtlegi corruptum puto pro Scholtlegi. Schiol apud Danos hodieque clypeus ſeu ſcutum dicitur, nos, Schilt dicimus.

Nemo militiæ ſocium aut alium quempiam ad potandum invitare audebat, inhibente id lege, quæ exſtat in Capitulari lib. 1 cap. 144. Quod ſi quis ebrius repertus fuiſſet, eiectus quoad culpam agnoſceret, aquam bibebat. Hæc ſanctio ſummopere neceſſaria fuit genti, apud quam, ut Tacitus de ea tradit, *diem noctemque continuare potando nulli erat probrum.*

Lib. de Germ.

Non ebrietas modò ſed & alea legibus atque edictis indigebat. Cap. 6. titul. 200: *Epiſcopus* & *presbyter & diaconus aleator & ebrioſus eſſe non debet. Similiter & Clerici & Laici ſi permanſerint in alea, communione priventur.* Hoc vitij quam familiare etiam fuerit priſcis & primis Germanis ex verbis denuo Taciti recognoſcitur, ubi ait de Moribus eorum: *Aleam (quod mirere) ſobrij inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo iactu de libertate & de corpore contendant.*

Ad regem vel in bellum proficiſcens aut rediens, à vectigali, quod *Straſluram* vocant, immunis erat. Vnde lucem accipiet inſcriptio, quæ Neomagi viſitur. Caroli Magni ævo poſita: HVCVSQVE IVS STAVRIÆ ſive *Sturiæ*. De qua vide Diſceptationes noſtras Chorographicas. Diſcept. 40.

Mendici per regiones vagari non permittebantur. Suos pauperes quæque civitas alebat. Operari & manibus laborare tenebantur. Capitul. 1 titul. 124.

Scholas & literarum gymnaſia in ſingulis urbibus aperta decreto primum Francorum regum obtinuit ut patet ex tit. 72 Capit. 1 & Addit. præſertim 2 Capitulorum tit. 5. Antea ut Tacitus notavit, *literarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorabant.*

Vſuram, fenus omniaque turpia lucra abominabãtur. Capitul. 1. titul. 125. 130. 131. De his ſimiliter Tacitus: *Fenus agitare & in uſuras extendere, ignotum: ideoque magis ſervatum, quam ſi vetitum eſſet.*

Adulterij pæna non una erat: Subinde caſtratio, aliquando & flagellatio pro modo delicti adhibita. De caſtratione Luitprandus lib. 6 cap. ult. *Presbyterulus qui ad dominæ aſſeclas adhinnivit*, *virilibus amputatis demittitur.* De flagellatione vide Leg. VViſegoth. titul. 2 lib. 3.. Tacitus de Moribus German. eandem in adulteris agnoſcit *verbera* appellans, cum inquit: *Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia.* Eandem & poſterioribus adhuc ſeculis eodem in delicto apud Germanos ſupplicij rationem obtinuſſe indicat epiſtola

Ttt 3 Boni-

Bonifacij ad Etholbaldum, Anglo-Saxonum regem: *In antiqua*, inquit, *Saxonia* (Germanicam non Anglicam Saxoniam intelligens) *ubi nulla Chriſti cognitio, ſi virgo in materna domo, vel maritata ſub conjuge ſit adulterata, manu propria ſtrangulatam cremant: aut cingulo tenus veſtibus abſciſſis flagellant eam caſtæ matronæ, & de villa in villam miſſæ occurrunt novæ flagellantes, & cultellis pungunt donec interimant.*

Eſt & ſupplicij genus in legibus Burgundionum titul. 34. 1. luto ſeu palude facinoroſos mergendi, populis ſimiliter Germaniæ jam ab antiquo uſitatum. Tacitus de morib. Germ. *Diſtinctio pœnarum ex delicto. Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt: ignavos & imbelles & corpore infames, cœno & palude, injecta inſuper crate, mergunt.* Hodie adhuc apud nos non abſimili interdum pœna infames corpore afficiuntur, præſertim ſi in propria pignora ſævierint. Vide & Lindebrogij Gloſſ. ad verba: *Luto necetur.*

Vtebantur præterea Franci judicio aquæ frigidæ & ferventis nec nō ferri candentis. *Aquæ ferventis* mentio eſt Cap. 4. titul. 13: *Si proprius ſervus hoc commiſerit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc ſponte, an ſe defendendo feciſſet. Et ſi manus ei exuſta fuerit, interficiatur, ſi autem non fuerit dominus eius juxta quod Wirgildus eius eſt, ad eccleſiam perſolvat.* Specul. Sax. lib. 1. artic. 39 *Ferrum calidum ferant, vel in aquam bullientem brachium uſq; ad cubitum mittant.* Conſil. Rhemenſ. cap. 1. pag. 19: *Hæc ſi quiſquam veſtrum aliter eſſe putat, meque indignum, cui credatur, credat igni, ferventi aqua, candenti ferro, faciant fidē tormenta, quibus non ſufficiant mea verba.* Ferri candentis judicium etiam Danis antiquitus notum fuiſſe liquet

ex quotidiano ipſorum loquendi uſu. Crebrò enim, ubi rei dubiæ fidem adſtruere laborant, in ore ipſis & ſermone, till id iern tegen id eſt, *in ſignum* ſeu indicium *ferri*, candentis ſcilicet. Originem huius ritus exiſtimant viri docti à Iudæis flnxiſſe, ac ſenſim conſvetudinem ac morem deteſtandum apud Chriſtianos obtinuiſſe. Nam & aquæ amaræ ad purgationem Zelotypiæ mentio Num. 5. Sed & apud Paganos ſimilia haud pauca obſervata. De quibus vide Lindebrogium eiuſque Gloſſar. ad Codicem Legg. antiquar. Improbat ac deteſtatur hanc omnem iudiciorum rationem Ivo Carnotenſis Epiſtola 91: *Vulgarem*, inquit, *legem ac nulla canonica ſanctione fultam ferventis ſcilicet ſive frigidæ aquæ ignitique ferri contactum, aut cuiuſlibet popularis inventionis (quia fabricante hæc ſunt omnino facta invidia) nec ipſum exhibere, nec aliquo modo te volumus poſtulare, imo Apoſtolica authoritate prohibemus firmiſſime.* In eandem quoque ſententiā ſcripſit jam olim Epiſcopo Magontino Sylveſter PP. II: *Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, ſacri nō conſveverunt canones: & quod ſanctorum patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſe adinventione non eſt præſumendum.* Sed præcipue ſtatim poſt Carolum, Ludovici nimirum Imp. ſeculo, hæc improbare atque impugnare cœpit Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus. Quapropter edidit tractatum ſententijs SS. ſcripturarum refertum *contra damnabilem opinionem* (ita habet libri titulus) *putantium divini judicij veritatem igne, vel aquis vel conflictu armorum patefieri.* Quo poſtremo intelligit *Duella*, de quibus ſupra* Agathias; jamque & ipſi nonnihil addemus.

*Pag 415.

Duella inter principes ac nobilitatem præcipue uſurpata ſvadent, quem dixi, Agathiæ hæc verba: *Si quæ, inter principes oriatur controverſia, omnes quidem aciē inſtruunt tanquam ad bellandum remque armis decernendam: Deinde ſimul conveniunt; conſpicatæ vero ſeſe utrimque copiæ, ſtatim abiecta offenſione, ad concordiā redeunt, iubentque ut principes jure potius controverſias decernant; ſin minus ſingulari inter ſe certamine agant, & ſuorum ipſimet capitum periculum adeant. Neque enim æquitati aut patriæ conſvetudini conſentaneū cenſent, ut privatæ ipſorum ſimultatis cauſa, publicum labefactetur ac ſubvertatur, &c.* Etiam Leges Longob. 1. Titul. 9. Leg. 39. diſtinctionem ac diſcrimen manifeſtum indicant; *Duello* enim inquiunt *liberi, ferventi aqua ſervi innocētiam ſuam probant*. Moris etiam erat ut ij qui ipſi certamē detrectarent alios ſuo loco ſubſtituerent quos *Campiones* appellabant. Long. 1. Tit. 55. L. 11. 39 L. 40. *Campionem pro ſe dare debet, ſi quis ipſus pugnare non poſſit*. Gloſſ. Iſidori: *Campiones, gladiatores, pugnatores*. Theotiſ. **Kempſſers.** Prius de *aqua ferventi* & *ferro candenti*, ſicuti priſcis illis Germanis uſurpatum legere non memini, ita alter hic mos manu & duello litem diſcernendi, ipſis erat uſitatiſſimus. Quam in rem inſignis eſt Vellei Paterculi locus, quem paulo prolixius adſcribam: *Varus Quintilius, illuſtri magis quam nobili ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore & animo immobilior, otio magis caſtrorum, quàm bellicæ aſſvetus militiæ; pecuniæ vero quam non contemptor, Syria, cui præfuerat, declaravit; quam pauper divitem ingreſſus, dives pauperem reliquit. is cum exercitui, qui erat in Germania, præeſſet, concepit eſſe homines qui nihil, præter vocem membraq; haberent hominum; quiq; gladijs domari non poterant, poſſe jure mulceri. Quo propoſito me-*

diam

diam ingreſſus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iuriſdictionibus agendoque pro tribunali ordine trahebat æſtiva. At illi, quod, niſi expertus, vix credebat, in ſumma feritate verſutiſſimi, natumque mendacio genus, ſimulantes fictas litium ſeries, & nunc provocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, quod eas Romana iuſtitia finiret feritaſque ſua novitate incognitæ diſciplinæ miteſceret, ET SOLITA ARMIS DISCERNI, IVRE TERMINARENTVR, *in ſummam ſocordiam perduxêre Quintilium.* Tacitus de Moribus Germanorum demõſtrat huiuſmodi monomachias belli præſertim tempore, auſpicij atq; eventus ſecundi vel adverſi vice habuiſſe eos, & maxime ante pugnas ac præliorum initia. Ita enim de ijs loquitur: *Eſt & alia obſervatio auſpiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant; Eius gentis cum qua bellum eſt, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorũ, patrijs quemq́; armis committunt. victoria huius vel illius pro præiudicio accipitur.* Hæc de Germanis Tacitus. Etiam alias gentes uſurpaſſe conſtat. Nam & Alexandrum Magnum eodẽ fere modo belli eventum adverſus Darium ſuſcepti cognoviſſe ſcribunt hiſtorici & repetit Camerarius 2 Med. 19. Bodinus lib. 4 de Repub. cap. ult. ait Frotonem olim regem Danorum tuliſſe legem, ut omnes controverſiæ duello finirentur, idque adhuc in Moſcovia uſitatum ſibi credi vult. Exempla controverſiaum per duella terminatarum adducunt iuriſconſulti &, inter ceteros Cuiacius ad titul. 4. 1. Feud. Hotomã. ill. q. 5 Borcholt. cap. 7. n. 50 Feud. Tiraquellus de iure Princip q. 40. Ob patriæ ſalutem ſuſceptum duellum omnino licitũ eſſe putat Ferdinandus Vaſques 1. Cõtroverſ. ill. 40 quale fuit Davidis cum Goliatho 1. Reg.

17. Cuiuſmodi etiam eſſe innuit Alciat, libro de duello cap.3.quod miles permiſſu Ducis cum milite hoſtis ob bonum publicum æquis legibus inſtituit. Aliã autẽ eſſe rationem ipſius Ducis, nec teneri eum ad ſingulare certamen, licet identidem provocatum, concludit Caſtelan. lib. 2 cap. 29, ne, ſi occubuerit, animum deſpondeat exercitus. Quapropter Carolo V. vitio verti non potuit, quod Franciſco Galliarum Regi provocanti non comparuerit. de quo Sleidan. lib. 6. Magni Galliarum regis Henrici 4. Edictum anno 1609 promulgatum habetur; quo duella omnia ac monomachiæ ſeveriſſime inhibentur; utpote quæ & ipſemet ut impia ac homine Chriſtiano indigna ſerio damnet ac deteſtetur. Videatur & Augerij Busbequij epiſtola tertia Legationis Turcicæ. Poſtremum obſervatu hoc loco non indignum eſt provocatorem plerumque à provocante victum. Ita vicit David, quem diximus, Goliathum; Manilius Torquatus Gallum; Heraclius Imperator Coſroem Regem Perſarum multique alij ſuo exemplo demonſtrarunt, non ſatis id ſibi feliciter ceſſiſſe.

Duella autem ut erant ſingularum perſonarum, ita ex ijs ſæpenumero familiarum exortæ ſimultates ac vindicta, quam ſupra *faidam* diximus appellatam. Hîc qui unum ex propinquis etiam omnes adverſos habebat; ijque armis iniuriam ſuam & ſuorum vindicaturi advolabant. Quando vero res aut pace per amicos vel etiam judicio ſecundum leges tranſigebatur, ſecuritatis cautiones interponebantur, quarũ exemplum eſt apud Marculfum Formul. lib. 2 cap. 18 cui Tit. *ſecuritas pro homicidio facto.* Vide etiam Greg. Turonenſem

ſem lib. 5. cap. 32. l. 6. cap. 17. lib. 8 cap. 18. lib. 10. cap. 27. Præcipuum vero eſt quod pluribus ab eodem refertur lib. 7. cap. 47 de Sichario & Auſtreſigilo, quorum Auſtreſigilus à Sichario cum quibuſdam alijs erat interfectus; Sicharius à propinquis defuncti petitus, poſt varia diſſidia, diſcrimina, cædes, ægre evaſit, tandemque compoſitione facta, interceſſione epiſcopi ipſius Gregor. Turonenſis & judicum, argentum ab eccleſia Turonenſi pro Sichario ſolutum eſt & ſecuritas ei ab adverſarijs data. Qui privatæ vindictæ ſeu faidæ mos reprobatur in Capitulari Caroli lib. 5 cap. 180, ſed ita ut facile appareat peſſimam cōſvetudinem prævaluiſſe nec potuiſſe coerceri. Quemadmodum & eadem gravius exarſit ſecundæ regum Francorū familiæ temporibus & initio tertiæ. Adeo ut belli privati ius factum ſit. De quo vidēdus Bignonius. Inveteratā hanc fuiſſe gentis conſvetudinem Tacitus etiam de Germanis ſui ævi loquens hiſce verbis teſtatus eſt: SVSCIPERE TAM INIMICITIAS SEV PATRIS SEV PROPINQVI, QVAM AMICITIAS NECESSE EST.

CORONIS SVPERIORVM.

Cudendæ monetæ jus & prærogativa Francorum. Deque lite Theodiberti Regis cum Imp. Iuſtiniano ob titulos in præiudicium Francorum uſurpatos.

Monetæ cudendæ non argenteæ tantum ſed & aureæ privilegium ſtatim, poſtquam occupata in univerſum eſſet Gallia & eiecti Gothi, uſurpare cœperunt Francorū reges, ſuâ, nō Romani imperatoris, impreſſā imagine. Quod licet nulli gentiū Romani permitterēt, imo nec ipſi Perſarum induperatori, hîc connivere &

 aſſen-

aſſenſum nutumque id ſuum interpretari nolentes volenteſque cogebantur. Sed Procopij Græci authoris, qui Iuſtiniano Cæſari à libellis fuit aſſiduuſque militiæ eius comes, hæc verbis referemus commodius. Ita enim ait lib. 3 bel. Goth. vocabulo *Germanorum*, ut & ante monuiſſe me ſcio, more ſuo *Francos* intelligens: *Galliarum*, inquit, *partem ſuæ quondam ditionis effectam, in huius belli principio Gothi Germanis tradiderant, quum minus ſe poſſe exiſtimarent Romanis ſimul ac Germanis reſiſtere. Id ſane factum non ſolum nil prorſus Romani interpellarunt, ſed ut Gallias ſibi Franci haberent, Iuſtinianus ultro permiſit. non enim illi has tuto ſe poſſeſſuros rebantur, niſi & imperator ut ſuæ ditionis futuras perpetuo confirmaſſet. Quo factum, ut eo ex tempore principes Germanorum Maſſiliã, Phocenſium quondam coloniam, & cetera circa id mare loca tenuerint, totiuſque oræ maritimæ potiti imperio ſint, unde & Arelate nunc reſident; ad certaminis equeſtris ſpectaculum. aureum nummum nativo è Galliarum metallo hi cudunt, non Romani imperatoris, ut ceteri ſolent, imagine, ſed ſua impreſſa. Perſarum ſiquidem imperator, etſi ad arbitrium argenteum numiſma facit, aureo tamen non illi fas eſt ſuam ut imponat effigiem, nec barbarorum princeps alius quiſquam id facere auſit.* Hactenus Procopius.

De lite & controverſia inter Imp. Iuſtinianum & Theodibertum ita res habet, narrante Agathia lib. 1 de Rebus Iuſtiniani: *Theodibertus* (Clodovei nepos) *accepto paterno regno & Alemanos & alias nonnullas finitimas gentes ſubegit. Erat enim ſummopere & audax & turbulentus & periculorum præter modum amans. Cum itaque Romanis bellum adverſus Totilam Gotthorum ducem eſſet ortum, Theodibertus hoc animo agitabat, ſummaque diligentia procurabat, ut, interea dum in Italia Narſes pariter & exercitus laborarent*

occu-

occupatique eſſent, ipſe fortiſſimis validiſſimiſque copijs coactis, in Thraciæ regionem penetraret, eaque tota vaſtata & ſubiugata, Byzantium, regiam in urbem, bellum transferret. Hoc verò conſilium ſuum adeò gnaviter re ipſa tantoque apparatu eſt perſequutus, ut etiam ad Gepidas & Longobardos aliaſque nonnullas finitimas gentes legationem inſtituerit, ut & hi in ſocietatem belli venirent. Neque enim tolerandum eſſe cenſebat quod Imperator Iuſtinianus in Edictis Imperatorijs FRANCICI ET ALEMANICI, NECNON GEPIDICI ET LONGOBARDICI *alioſque huiuſmodi titulos ſibi vindicaret, perinde ac ſi omnes haſce gentes ſubiugaſſet. Quocirca & ipſe graviter hanc* INIVRIAM *ferebat & alios ut communi ſecum iniuria contumeliaque affectos ad indignationis ſocietatem ſollicitabat.* Hactenus ille.

Atque hæc de Legibus & politia Francorum. Quibus, ut plurimum Romanis, quod uſos fuiſſe * ſuperius videretur innuere Agathias, non ita accipiendum, quaſi ſuas non habuerint Franci, ſed quod eæ ad morem Romanorum eſſent civiles plurimumque compoſitæ. Nam & aliàs Agathias ipſe non ſemel πατρίᾳ eorum νόμῳ ac conſvetudinis meminit. *Maſſiliam* quoque *ex Græcanica* ait *factam barbaricam & patriæ reipublicæ adminiſtratione abiecta imperantium,* id eſt, Francorũ LEGIBVS *uti*. Vide ſub initium libri primi de Rebus Iuſtiniani Imp. Quamquam etiam hoc ex Sal. Leg. XLIII colligi ſit, quo & reſpexerit fortaſſe Agathias, fuiſſe ſcilicet victis liberum, ut & ante innui, lege aut ſuâ aut victoris vivere. De quo tamen quid ſanxerit poſtmodum Magnus Carolus modò indicatum eſt.

* Pag. 414.

CAP. XVIII.

PRISCORVM FRANCORVM habitus, ſpecies & veſtitus.

AGathias ſupra loco citato *differre ſolummodo* à Græcis Romaniſque Francos volebat *barbarico veſtitu* : At ante Agathiam Sidonius Apollinaris, rem propius tangens, etiam membrorum proceritate, ut plurimum, diſcriminatos innuit, cum ait:

Strictius aſſutæ veſtes procera coercent
Membra virum; patet ijs arctato tegmine poples.
Latus & anguſtam ſuſpendit balteus alvum.

Procera, inquit, ut oſtendat & Gallis & Romanis fuiſſe ſtatura eminentiores. quamvis Cæſar etiam ſuo ævo de Bel. Gal. lib. 2 innuat Gallis Romanorum brevitatem contemtui ſuiſſe. Ità enim habet: *Pleriſque hominibus Gallis, præ magnitudine corporum ſuorum brevitas noſtra contemtui eſt.* ubi haud fruſtra additum, *pleriſque*, ut nimirum Galli præſertim innuantur Belgæ, & qui origine ac poſitu tranſrhenanis erant propiores. Vnde & Hirtius de Bel. Africo Gallis Germanos iungens, *Gallorum Germanorumque corpora, mirifica ſpecie amplitudineque, cæſa toto campo ac proſtrata diverſè jacebant.* Carolum Magnum fuiſſe enormi & quaſi Cyclopica quadam proceritate ſunt qui literis tradiderunt. Quam opinionem ut anilem & vanam eleganti ſcripto diluit jam pridem V.CL. Marquardus Freherus. Quod ſcriptum quia & nobis,

bis munері ipſemet miſerit, dignumque ſit quod in manibus paſſim eruditorum verſetur, hîc totum adſcribendum cenſui:

DE STATVRA
CAROLI MAGNI
IMP. ΦΙΛΟΠΟΝΗΜΑ.

SI digna res ſpeculatione & curâ habita Pythagoræ, ſummo philoſopho, longitudinem Herculani corporis è plantæ eius indicio indagare, ut Plutarchus & Gellius tradiderunt; cur nõ & de Celtico Hercule idem inquirere nobis precium operæ videatur? Ita enim vocare liceat illum omnis Germaniæ Galliæque dominum, & multarum ferociſsimarum gentium non tam domitorem quàm pacatorem, emollitorem & inſtitutorẽ: cui tertio à Pompeio & Conſtantino, MAGNI *cognomen res geſtæ pepererunt. ut quemadmodum veterum aliquis Herculem velut* AFRICANVM *quendam inter Deos habitum, eleganter ludit; ita* Lactantius lib. 1, c. 9. *nos Martem ipſum, velut* CAROLVM *quendam inter ſuperos fuiſſe, dicere poſsimus. Et hunc quidem cùm oris quadam eximia dignitate, & quam Euripides vocat* εἶδος ἄξιον τυραννίδος, *tum inprimis non vulgari corporis ſtaturâ & proceritate fuiſſe, non magis vulgò creditum, quàm etiam conſenſu à ſcriptoribus traditum videmus: & cum omnia in eo magna fuerint, neque hoc ornamentum ei defuiſſe, ſatis credibile videtur. Non tamen ut prodigioſæ altitudinis longurionem aliquem nobis fingamus, ceu Goliathem Philiſteum, aut Maximinum Thracem: ſed ut heroicæ ſtaturæ virum principem in bellace populo Francorum, qualis olim inter Danaum primos*

præ-

ſuerit) eiuſque filij Werènberti Sacerdotis, hauſiſſe ſe profitetur. Is inter alia refert, eo ambitionis primarium quendam Germaniæ Epiſcopũ veniſſe, ut virgam auream incomparabilis Caroli, quam AD STATVM SVVM fieri juſſit, diebus feriatis vice baculi ferendam, ille pro Epiſcopali ferula improbus ambiret. *Quo loco ante omnia notari velim*, ad ſtatum ſuum *nihil eſſe alind, quàm ad ſtaturam ſuam. Ita enim & alius ſcriptor Francicus duobus locis loquitur. Gregorius inquam Turonenſis lib. 4. cap. 24.* Celſum virum procerum ſtatu, in ſcapulis validum, lacerto robuſtum. *Et Fredegarius, ſive quiſquis eſt eius continuator cap. 51.* Ille hæc audiens, ad Gundebergam ſecretius ait: Formam ſtatus mei laudare dignata es. *Dixerat enim illa ibidẽ*: Honeſta ſtaturâ Adalulfum fuiſſe formatũ. *Quæ ſufficiant. Deinde obſervatu dignum fuerit, σκηπτοῦχυς Reges eius tẽporis non brevia veluti q́; Comica (ut ita dicam) ſceptra manibus verſaſſe; ſed prælonga & ſibi ipſis plerumq́; ferè paria, & haſtis quã ſceptris aut ſcipionibus ſimiliora traxiſſe: qualẽ quirin Quirinus vibraſſe legitur, qualis in manibus Antoniorũ Cæſarũ aliorumq́; conſpicitur, qualem Othoni tertio Imp. geſtatã in ſigillo eius conſpicio: qualem deniq́; varia in nummis Numina, Divi Divæque, pro divinitatis ſigno, & ipſe adeo Olympi rector, Stator Vindexque Dieſpiter oſtentare ſolet. Talem igitur & Carolus auream feſtis diebus ſolemniter geſtavit: quã ideo Epiſcopus ille pro Epiſcopali ferula, id eſt, pedo paſtorali, cambota, utpote nihilo breviorem neque minus ſibi aptam, uſurpare abſente Rege improbiuſculè affectavit.*

Lib. 1. cap. 19.

Apud Ant. Auguſtin. paſſim.

Sed quid hæc tam multa? quid ad nos, dices, quid ad rem? Audi, mi Lector, & crede non vana referenti. Supereſt enim inter alia quæ ex eius ſuppellectile (verè ità dictã, quia caſtrenſe inſtrumẽtum, & ſub pellibus uſurpatum fuiſſe ipſo aſpectu apparet: inter

quæ & ſella plicatilis ferrea, opere Muſivo laborata, qualem & olim Cæſaribus de ſuggeſtu ad milites allocutionem habentibus, inſeſſam in nummis obſervamus) ſuperſunt, & in penitiſſimis cimeliarcheiis Palatinis religiosè aſſervatur, talis ſive baculus ſive haſta, non ille è rutilanti metallo, de quo paulo ante dictum; ſed de ſequiori alio, at quod Marti magis amicum, ſive cuſus ſive fuſus, mediocris digiti ſpiſſitudine, litteras haſce argento puro nitidiſſimè inſcriptas habens, idque charactere omnino eius ævi, qui eruditis non eſt ignotus:

KARLVS IMPR. IVSSIT CVBITV ISTV FACERE IVXTA MENSVRAM SVAM:

Charactere (inquam) ævi Francici & Carolini, qui quanto à Romanorum veteri elegantiſſimo degeneravit, tanto ſequentium ſeculorum quibus, Monachi & clerici ſoli ſcribebant, barbarie & ineptiâ melior tolerabiliorque videtur. Cum quo & orthographia ſive ſcribendi ratio concurrit; in eius ævi membranis & nummis obſervanda: KARLVS, *item* IMPR. *& phraſis illa* FACERE IVSSIT, *apud Sangallenſem,* Fieri iuſſit. *Sed quid* CVBITVM *eſſe dicam? diverſum utique ab eo ſenſu, quo Plautus* cubitum longas litteras *dicit, quæ* cubitales *aliis. Quid niſi verbo eius ævi, utut malè proprio, menſuræ non tam genus quàm inſtrumentum, ceu decempedam aut perticam? Id quod me hactenus, nullo adhuc auctoris idonei loco deprehenſo, ſolus docet Papias Lexico:* CVBITVS habet pedem & dimidium. Cubitus Geometralis, ſex noſtros habet cubitos. *quod forent novem pedes, artificiales nimirum. At Carolus ſeptempedam (ita dicere liceat) ſuam, ſtaturæ ſuæ modum,* Cubitum *nihilominus hic vocari voluit. Quod ſit eadem formâ, qua* Vlnam * *hodieque diverſis linguis dicimus, pro ipſo bacillo & calamo menſurali, magis quàm genere menſuræ, quæ multum pro locis variare ſolet, & aliquot unciis pluſve minuſ-*

* Aulne. Elen.

minuſve continet.

Supereſt ut pedis ipſius Carolini modulum ſtatuamus, haud paullo certiore ratiocinatione quàm illa Pythagoræ. Ille enim ex Herculis pede corpus ſibi imaginatus eſt: nos ex corporis certa menſura, pedumque certo numero, unum facile metiemur, cubito iſto in ſeptem æquales partes diviſo. Quod fecimus accuratè, & id menſuræ delegimus, cui ſcripturam ipſam incideremus, quæ aliàs in ipſo cubito duos ferè eiuſmodi pedes implet. Et hæc obſervatio non dubijs (ut videtur) argumentis innixa, pudorem etiam imponet turpiculo fabulatori, qui Turpini Remenſis Epiſcopi nomine circumfertur; qui velut id negocij ſibi datum ratus, ut vel Antæum vel Typhonem aut Cyclopum aliquem nobis deſcriberet, inter alia omnia portentoſa neque in numero pedum neque quantitate modum tenere potuit: Statura eius, *inquit*, erat in longitudine octo pedum ſuorum, ſcilicet qui erant longiſſimi. *Iſte enim Carolinus nihil adeo inſolens, vaſtum, extraordinarium habet: ſed omnino ei reſpondet, quem medium inter Romanum ordinarium & Barbaricum quendam maiorem, poſtremorum temporum (ut ait) creditum, nobis ob oculos poſuit, qui hoc argumentum ex profeſſo tractavit vir eruditiſſimus Lucas Pætus I. C. Romanus: atque adeo ad unguem convenit cum pede Auguſtano, quem ipſum Leonardus à Portis ſcripſit merè Romanum eſſe, cuiuſque ſchema extat apud Glareanum & Welſerum* lib.4. Rerum Aug. Vind fol.70.

SEMIS PEDIS CAROLINI, VNIVS E SEPTEM

Quæ res facit, ut neque de barba Caroli, palmi ſcilicet longitudine, eidem Turpino temerè fidem habendam putem: cum quidem Eginhardus, non paulo locupletior teſtis, qui corpus, ſtaturam, apicem capitis, oculos, naſum, caniciem, faciem, ceruicem, ventrem, pedes, inceſſum, vocem Caroli accuratè deſcribit, barbæ nullam mentionem faciat, non omittendæ, ſi qua vel laude vel notâ digna fuiſſet. Et hac etiam parte non poſſum diſſentire

à ſummo viro, neque ſolùm in Auguſtana republica, ſed in omni regno litterario ſummo & eminentiſſimo (quod elogium pro nomine eſſe poteſt) qui de hac re ita ad me nuper ſcripſit : Ego plurimorum præiudicia non veritus, in ea ſum hæreſi, Carolum barbam non paviſſe; ſaltem polixam illam, qua plerunq; exornatur, ad eum nihil pertinere. Certè Eginhardus eius non meminit: & eſt apud me moneta Carolina, vetus niſi fallor, cuius ectypon mitto, puro mento. Non nego fieri potuiſſe, ut interdum tonſoris negligentiâ mentũ & labra pili nõnihil inumbrarent: hac enim ſpecie Romæ in muſivo opere illus ætatis cõſpicitur. Sed prolixam & ſquallidam barbam abominor. Hactenus de ſtatura Caroli Freherus.

Apollinaris porro, quod ad vultus ſpeciem, tribuit Francis glaucam & cæruleã obtutus aciem, cum inquit, *Lumine glauco Albet aquoſa acies.* Iuvenalis *Cærula lumina* dixit: *Cærula quis ſtupuit Germani lumina*: Vitruvius *Cæſia*, ubi ait : *Sub ſeptentrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo & rufo, cæſijs oculis, ſanguine multo.* Tacitus, *Truces & cærulei* (Germanis) *oculi.*

Porro *veſtitus* ex ijſdem Sidonij verbis fuiſſe videtur aſtrictus & veluti membra ſingula exprimens. Et ſane haud aliter de eorundem maioribus Tacitus lib. de morib. Germ : *Locupletiſſimi*, inquit, *veſte diſtinguuntur non fluitante ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente.* Graphice nobis Francum depinxit Anonymus quidam S. Galli monachus in vita Caroli Magni, ex VVerimberto : *Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calciamenta forinſecus aurata, corrigijs tricubitalibus inſignita, faſciolæ crurales vermiculatæ, & ſubtus eas tibialia ac coxalia linea quamvis ex eodem colore, tamen artificioſiſſimo*

ſiſſimo

ſiſſimo opere variata. Super qua & faſciolas, in crucis modum intrinſecus & extrinſecus, ante & retro, longiſſima illa corrigia tendebantur. Deinde camiſia gizzina, poſt hæc baltheus ſpata colligatus. Quæ ſpata primo, vagina fagea, ſecundò corio qualicumque; tertiò, linteamine candidiſſimo cera lucidiſſima roberato ità cingebatur, ut per medium cruciculis eminentibus, ad peremptionem gentilium auraretur. Vltimum habitus eorum erat pallium canum, vel ſaphyrinum, quadrangulum, duplex, ſic formatum ut cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus vero vix genua contegeret. Tum baculus de arbore Malo nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis cuſpide manuali ex auro vel argento cum celaturis inſignibus præfixo, portabatur in dextra. Quo habitu lentus ego cum in Franciam nonnunquam venirem, vidi caput Francorum in monaſterio S. Galli, duoſque flores auricomos ex eius femoribus progreſſos, quorum qui prior egreſſus eſt proceritatem illius adæquabat, poſterior autem paulatim excreſcens verticem ſtipitis ſui ſumma gloria decoravit, & tranſcendendo contexit. Sed ut eſt mos humani ingenij, cum inter Gallos Franci militantis, virgatis eos ſagulis lucere conſpicerent, novitate gaudentes antiquã conſuetudinem dimiſerunt, & eos imitari cœperunt. Quod interim rigidiſſimus Imp. idcirco non prohibuit, quia bellicis rebus aptior ille videretur habitus. Sed cum Friſones hac licentia abutentes adverteret, & breviſſima illa palliola, ſicut prius maxima vendere comperiſſet, præcepit ut nullus ab eis niſi grandia latiſſimaque illa longiſſima pallia conſuetudinario pretio coemeret: Adijciens, quid proſunt illa pictaciola? In lecto non illis poſſumus cooperiri, caballicans contra ventos & pluvias nequeo defendi, ad neceſſaria naturæ ſecedens, tibiarum gelatione deficio. Ex quo loco, præter cetera, nunc intelligitur, quod exſtat Capitulo 2. lib. 5. in Caroli Capitulari:

 Decre-

Decrevimus ut presbyteri vel diaconi non ſagis laicorum more, ſed caſulis utantur ritu ſervorum Dei. Iohannes Aventinus lib. 4. Annal. Boiorum refert in templo quodam apud Noricos duos cōſpici equites ex gypſo formatos, Franco habitu. Qui Aventini locus cum ſuperioribus Anonymi verbis quaſi illuſtrandis ſit, integrum adijciam: *Pagus*, inquit, *Boiariæ in Norico eſt, ad Matícham flumen, inter Iuuavum Oenumq́; amnes cubat* (Mautkirchen *vocant) ibi in templo duo equites, gypſo cocti, poſiti conſpiciuntur Franco veſtitu. Calceamentis utrimque lora trium cubitorum innexa ſunt: Tibialia fœminalia linea ac vermiculata faſciolis eius coloris conſtringuntur. Atque hæc omnia lora ſuperiora cancellatim intendebantur. Extremum veſtimentum paludamentū quadrangulum cæruleum & duplex, quod humero iniectum, lateribus utrimque patet; ore eius priora poſterioraque uſque ad calcem plantamque perveniunt. Franci inter Gallos militare ſoliti, eorum ſagis virgatis brevioribuſque uti jam cœperant. At Carolus viſa quondam braccatorum turba indignabundus exclamavit: En liberos Francos, qui eorum, quos vicere veſtimenta haud bono omine, & inauſpicato uſurpant. quid iſta pittaciola proſunt? Totum non operiunt corpus, maxima ex parte nudum relinquunt: neque à pluvijs ventiſque defendunt. Quin etiam ad naturæ neceſſaria ſecedenti tibiæ congelaſcunt. Edixit denique ne de cetero huiuſmodi Gallica ſaga in Germania venderentur aut emerentur à quopiam.* Hucuſque Aventinus. Vbi notandum, quod Anonymus his verbis habet: *Vltimum habitus eorum erat pallium canum, vel ſaphyrinum quadrangulum*, id Aventino eſſe, *extremum veſtimentum, paludamentum quadrangulum.* Tacito indubie *ſagum* jdem intellectum, ubi inquit de moribus Germ. *Tegumen omnibus ſagum, fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum; cetera intecti*

intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt. Innuit enim ſagum ſimiliter extremum fuiſſe veſtium & veluti operimentum, quemadmodum noſtra hodie pallia. Quadrangula autem etiam veteres illos agnoviſſe cum Iſidorus, qui ait Gallos primum habuiſſe *ſaga quadrata*, tum Afranius indicet, qui *ſagos quadratos* maſculine extulit. Saga itaque hæc, ut paludamentum quoddam, fibula aut ſpina, ut hærerent, côllo & corpori circundabantur. Quibus viciſſim reiectis ut intecti & nõ operti, ſi hiems eſſet, focum juxta atque ignem agebant. Poſtremo uterque, & Aventinus & Anonymus, hoc inter Gallica & Francorum ſaga fuiſſe diſcriminis monſtrãt, quod illa nimirum exigua; hæc lata ac longiora eſſent. Quibus omnibus ut lux maior accedat, proxime hîc ſubnectendus ipſius Magni Caroli veſtitus & habitus, cuiuſmodi eum eleganter nobis & ad vivum expreſſit in eius vita Eginhartus, teſtis oculatus.

VESTITVS ET HABITVS CAROLI Magni ex Eginharto:

Veſtitu patrio, hec eſt, Francico utebatur: ad corpus camiſiam lineam, & fæminalibus lineis induebatur: deinde tunicam, quæ limbo ſerico ambiebatur & tibialia: tum faſciolis crura & pedes calceamentis conſtringebat: & ex pellibus lutrinis thorace confecto humeros ac pectus hieme muniebat. Sago veneto amictus, & gladio ſemper accinctus, cuius capulus ac baltheus aut aureus aut argenteus erat: aliquoties & gemmato enſe utebatur: quod tamen non niſi in præcipuis ſolemnitatibus, vel ſi quando exterarum gentium legati veniſſent, faciebat. Peregrina vero indumenta quamvis pulcherrima reſpuebat, nec unquam eis indui patie-

patiebatur, excepto quod Romæ ſemel Adriano pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore eius ſupplicante, longa tunica & chlamyde amictus & calceis Romano more formatis induebatur. In ſolemnitatibus veſte auro texta, & calceamentis gemmatis & fibula aurea ſagum aſtringente, diademate quoque ex auro & gemmis ornatus incedebat: alijs autem diebus habitus eius parum à communi ac plebeio abhorrebat.

Quæ, præter alia, ſatis jam indicant, quod de ſagis ex Tacito dictum, ea ſuprema fuiſſe veſtium operimenta, & fibula leviter aſtringi ſveta, ut in omnem occaſionē poſita facile viciſſim reſumta humeros ac tergum contegerent.

Habebant præterea & Franci integumenta alia & veluti ſaga ex pellibus lupinis ſimiliumq; animalium, hiberno præſertim tempore & cælo minus ſudo. Vnde de Carolo iterum Aventinus: *Hieme ut eſt Germaniæ mos vetuſtiſsimus, longinquaq́; cōſvetudo, rhenone ex pellibus lupinis ovilliſque muniebatur. Cumque apud Forum Iulium hibernaret, ac videret Francos exoticas pelles, peregrina veſtimenta à Venetis mercatoribus magno emptitare: huncque ſericatum, illum gemmatum, iſtum armillatum, alium manuleatum, cycladatumque procedere, omnes uti veſtiti erant, ſecum venatum pluvia imminente proficiſci imperavit, veſtibuſque hiſce imbre corruptis, ſpinis atque fruticibus, dum feras inſequuntur, conficiunt, dilaniatis cruore atque ſanguine oblitis, domum revertit, iuſsitque univerſos mox ſecum in prætorium coire, atque eodem habitu ſecum cœnare. Ob frigus tum omnibus ad focum certatim conſidētibus, convivium ad multam noctem protraxit. Poſtridie yſdem indutos amictibus, cunctos apparere jubet. Tum ubi huiuſmodi indumenta, partim imbre, pluvia, ſentibus dilacerata, cruore oblita: partim igne rugis conſtricta, proinde rupta, diſciſſaque conſpexit,*

Lib. 4. Annal. Boior.

conſpexit, lupinas pelles, quas, uti fieri ſolet, aere ſiccarat, integras oſtendit: ſtolidiſſimi mortalium, inquit, quod veſtimentum nunc utilius precioſiuſve eſt? Meum ne drachma comparatum an veſtra, tot libris atque integro patrimonio coempta. Hæc Aventinus. Quibus adde ex Chron. Sangall. de vita eiuſdem Caroli M. lib. 2. *Carolus habebat pellicium berbicinum non multum amplioris pretij, quam erat roccus ille S. Martini.* Taciti ævo, quum adhuc Germanorum tantum nomine noti eſſent Franci, non luporum modò & terreſtrium ferarum, ſed belluarum quoque, quas exterior Oceanus gignit, pelles geſtaſſe conſtat. Vnde in Germania eius legere eſt: *gerunt & ferarum pelles; proximi ripæ negligenter, ulteriores exquiſitius, ut quibus nullus per commercia cultus. eligunt feras & detracta velamina ſpargunt maculis, pellibúſque belluarum, quas exterior oceanus, atq; ignotum mare gignit.* Quo loci ſunt qui mirentur abſurdumque & præter rationem cenſeant, quod ripæ Rhenanæ proximi, quibus per commercia cultus, negligenter; ulteriores, quibus nullus per commercia cultus exquiſitius pelles geſſerint. Ideoque & * reſcribere integerrimum locum non dubitant legereque: *Gerunt & ferarum pelles; ulteriores, negligenter, ut quibus nullus per commercia cultus; proximi ripæ exquiſitius:* Nõ animadvertentes ſcilicet id velle Tacitũm, proximos ripæ ob commercia & advenarum frequentationem negligenter pellibus & ſuo veſtitu uſos; utpote aliunde, id eſt, eorundem commerciorum beneficio ſe excolentes; at ulteriores, quibus id non ità obvium, cum ad eos inſtitores & advenæ vix pervenirent, pelles ſuas geſtaſſe; idque exquiſitius, & quaſi nullum præterea cultum aut concupiſcentes aut ſcientes. Et hoc eſt quod ſupra Aventinus & Anony-

* Germ. Antiqua lib. 1. cap. 16. pag. 174

mus; & præſertim his verbis Anonymus dicebat: *Vtmos eſt humani ingenij, cum inter Gallos Franci militantes, virgatis eos ſagulis lucere conſpicerent, novitate gaudentes antiquã conſvetudinem dimiſerunt, & eos imitari cœperunt.* Eſt & Melæ inſignis locus, Taciti, quem poſui, ſenſum & verba proprie exprimens, lib. 3. cap. 6, ubi de Britannia: *Fert populos regeſque populorum; ſed ſunt inculti omnes, atque ut longius à continente abſunt, ita aliarum opum ignari magis, tantum pecore & finibus dites, incertum ob decorem, an quid aliud, vitro copora infecti.* Imo & ipſe Tacitus in eadem Germania hanc ſuam mentem ſatis aperit, ubi inquit: *Proximi* (ripæ nimirum Rheni) *ob uſum commerciorum aurum & argentum in pretio habent, formaſq́; quaſdam noſtræ pecuniæ agnoſcunt atque eligunt: interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium utuntur.*

Quod ad comam & capillitium, ſupra, ubi de regij capillitij jure, ſatis dictum puto. In univerſum verò, quamvis præcipue principes, eum, ut diximus, in morem, coma cultiore gauderent, tamen etiam promiſcue & priſcis præſertim ac veteris ævi Germanis, capillus notus atque uſitatus fuit. Vnde Silius *auricomum Batavum, Batavum* ſcilicet pro Germano intelligens, extulit. Quin & affectaſſe flavedinem capillitij, quibus id naturæ beneficio minus eſſet conſpicuum, liquet ex verſibus Martialis certũ ſmegma, ſive ſaponẽ commemorantis, qui Germanis uſitatus fuerit, quo lotũ identidem capillitium flaveſcebat. Ait enim: *Et mutat Latias ſpuma Batava comas:* Item: *Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos.* Item lib. 14 *Mattiacas pilas* eandem ſpumam dixit. Sidonius Apollinaris Epiſt. 9 lib. 8 ad Lampridium non obſcure ſubindicat, quæ diverſitas

fuerit

fuerit inter regiam & vulgarem comam, cum innuat plebem & militum vulgus occipite fuiſſe raſo. Tacitus quoque ſuo ævo diſcrimen agnoſcens ità de eo locutus eſt libro de Morib. Germ: *Svevi uſque ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant. Principes & ornatiorem habent.* Quo loci ſi legas, *horrentem capillum retroſecus, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant* (quomodo legendum Scaligero placuiſſe memini mihi aliquando ſubindicaſſe Scriverium noſtrum) erit & dictio & ſenſus elegantiſſimus. Nam & *retroſecus*, ut *forinſecus*, *intrinſecus* & talia, dicetur, & hoc amplius, quod his verbis expreſſit Sidonius, loco jàm indicato:

Iſtic Saxona cærulum videmus
Aſſuetum ante ſalo, ſolum timere:
Cuius verticis extimas per oras
Non contenta ſuos tenere morſus
Altat lamina marginem comarum.

Quibus adde illa Pauli Diaconi lib. 4. cap. 23. de Longobardis: *Siquidem cervicem uſque ad occipitium radentes nudabant, capillos à facie uſque ad os dimiſſos habentes, quos in utramque partem in frontis diſcrimine dividebant.* Demiſſi ergo in vultum & os erant capilli, niſi aut diſcriminatim in partem utramque frontis dividerentur aut retroſecus vel in vertice religarentur: Religati autem ubi eſſent, videbatur decedere aliquid occipiti & addi vultui: Vnde cõtinuo idem Sidonius ſuperioribus iſtis adijcit:

Et ſic crinibus ad cutem reciſis
Decreſcit caput, additurque vultus.

Vbi *crines reciſi ad cutem* non de univerſo capillitio, ſed de cervice ad occipitium uſq; raſa, ut Diaconus loquebatur,

batur, accipiendi. *Additur* enim, inquit Sidonius, *vultus*, quia comâ antrorſum religatâ atque evectâ, decreſcebat capitis pars poſtica crinibus reciſa. Sic & Iuvenalis haud minus eleganter dicebat de fœminis, quæ capitis frontem capillorum ordinibus cumulabant: *ædificant caput*: Et ſtatim, *Andromeden à fronte videbis, poſt minor eſt*. Sed locum totum adſcribam, qui eſt eiuſmodi Satyr. 6:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromeden à fronte videbis,
Poſt minor eſt.

Cornelius quoque Tacitus loco jam citato ſubnectit continuo, quæ huc ſimiliter ſpectent. Nam occurrens obiectioni negat hanc capillitij curam eſſe Germanis ob formæ decorem, ſed ad terrorem; ut nimirum hoſtibus eò formidabiliores apparerent. Ita enim loquitur. *Ea cura formæ, ſed innoxiâ. Neque enim ut ament amenturve: in altitudinem quandam & terrorem adituri bella comti, ut hoſtium oculis armantur.*

Franci hoc porro in more poſitum habebant, ut victi comam ſqualere permitterent, nec ante eam novacula reciderent aut ornarent, quam ſe de hoſte vindicaſſent. Hinc eſt quod idem Sidonius eodem in Carmine ponit:

Hic tonſo occipiti ſenex Sicamber
Poſtquam victus es elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos.

Et alibi ad Maiorianum Cæſarem.

Sic ripæ duplicis tumore fracto
Detonſus Vabalim bibat Sicamber.

Idem de Saxonibus refert Gregorius Turonenſis lib. 5

cap. 15: *Illi quoque qui ex Saxonibus remanſerant, deteſtati ſunt, nullum ſe eorum barbam, neque capillos inciſurũ, niſi prius ſe de adverſarijs ulciſcerentur.* Quod repetit Paulus Diaconus lib. 3. cap. 7 de geſtis Longobard. *Sex milia quoque Saxonum, qui bello ſuperfuerant, devoverunt ſe neque barbam neque capillos inciſuros, niſi ſe de hoſtibus Svavis ulciſcerentur.* Atq; hoc eſt quod de Germanis in univerſum jam ante ſcripſerat Tacitus his verbis: *Et alijs Germanorum populis uſurpatum, rara & privata cuiuſque audentia, apud Cattos in conſenſum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte caeſo exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super ſanguinem & ſpolia revelant frontem, ſeq; tum demum precia naſcendi retuliſſe dignoſque patria ac parentibus ferunt. Ignavis & imbellibus manet ſqualor.* Vnde idem de Civili Batavo lib. 4 Hiſtor. *Civilis barbaro voto, poſt capta adverſus Romanis arma propexũ rutilatumq; crinem, patrata demum caede legionum, depoſuit.* Lib. de Moribus Germ.

Barbam quod attinet, ex loco & verbis Taciti jam citatis liquet curam eius Germanis fuiſſe; & raſam nec ſqualidam habuiſſe, poſtquam ſe inſigni aliquo adverſus hoſtem facinore, patria & parentibus dignos demonſtraſſent. Diodorus Siculus Gallorum iuxta ac Germanorum barbitia ita deſcripſit: *Barbam quidam radunt, nonnulli modicè paſcunt. Nobiles genas quidem radunt, barbam vero adeo ſinunt creſcere, ut operiant corpora, Quo accidit, ut cum edunt, repleantur cibo: cum vero bibunt, veluti per canalem potus videatur inferri.* De Francis, qui muſtaces praecipue aluiſſe videntur, ita Sidonius Carmine 5 ad Val. Maiorianum, ubi & alia illa, quae de caeſijs oculis deq; coma corundẽ & raſa cervice jã monuimus, obiter repetuntur. Ita enim integer locus habet: Lib. 5. cap. 9. Rer. antiq.

Hic quoque monſtra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauco
Albet aquoſa acies, ac vultibus undique raſis,
Pro barba tenues perarantur pectine criſtæ.

Meminit & Turonenſis Bellomeri cuiuſdam qui ſe filiũ regis Clotharij mentitus fuerat. Hunc à Mummolo Francis deditum atque inde à populo occiſum barba & cæſarie ornatum ita deſcribit lib. 7 cap. 38: *Venit omne vulgus, & defixis in eum lanceis pedes eius fune ligantes, per omnia exercituum caſtra traxerunt: evellenteſque cæſariem & barbam eius, inſepultum ipſo in loco, quo interfectus fuerat, reliquerunt*. Inter Romanos, qui licet, ut indicant eorum ſigilla ac ſtatuæ nummiq;, qui adhuc in manibus ſunt, mentũ & ora genaſq; perpetuo tonſi ac raſi fuerint, primus tamẽ imperator Hadrianus habetur, ut memorat Dio, qui ad morem Germanorum hoſtiumq; barbitio inſignis conſpici voluit: Vnde de eo, prӕter Dionem, Iulius Capitolinus: *Fuit decorus corpore, barba prope barbaricè demiſſa*. Secutus exinde Septimius Severus alijque, quos nummi indicant. Refert quinetiam Herodianus Antoninum Imperatorem capiti flavam cæſariem adaptare ſolitum, quæ mentiretur Germanicæ tonſuræ modum: ſicuti & Domitianum alioſque, captivis & adſcititijs comis capiti additis, cultum & decorem quæſiviſſe Martialis non ſemel memorat. Repertum quinetiam eſt plures ante annos circa arcem, quam vocant, Brittenburgicam in littore Hollandico Catvici, ſervaturque nunc Hagæ Comitis, ſigillum, caput humanum exprimens, oculis diſtentis ac trucibus,

capillum & barbam habens promiſſiorem, quod ego Batavum aliquem priſci ævi, aut, ut habet lemma Martialis, *Germanicam perſonam* ad vivum referre non vanè fortaſſe ſuſpicer. Carolus Magnus an barbam paverit, quæſitum ſupra meminimus in Philoponemate de eius ſtatura. Nam cum palmi longitudine barbam ei tribuerit Turpinus, vanitas fabulatoris aperienda omnibus fuit, præſertim quia Eginhartus, qui corpus, ſtaturam, caput, oculos, naſum, caniciem, faciem, ceteraque eius accurate deſcripſit, barbæ nuſpiam meminit. Qui haud dubio eius mentionem feciſſet, ſi qua vel laude vel culpa fuiſſet notabilis.

Lib. 14. Lem. 174.

CAP. XIX.

DE MILITIA ET ARMIS FRANCORVM.

REmpublícam ut moribus legumque præſidio, ità & armis eſſe ornatam decet. Quapropter de legibus ac gentis inſtitutis cum ſupra cap. 17 ſatis diſſeruerimus, nunc de armis & militia forma nonnihil adijcere promiſſum & ordo poſtulat. Quantus autem armorum bellique amor ac ſtudium Francis ſemper fuerit, cum verba authorum ſupra paſſim recitata, tum & res eorum geſtæ & Imperium poſt Romanos virtute atque armis partum luculenter declarant. In Gallias enim è Germania & ſuis ſedibus, quod ante relatū eſt, tranſgreſſi, diutiſſime cum Galliarum tum Germaniæ regiones ac

regna

regna adminiſtravere, per duas familias,unam Merovingorum, Carolingorum alteram. Priori initium *Merovæus* ſive Merovichus dederat: A Carolo *Carolingi* dicti ſunt. Sidonius gentis generoſitatem & animi robur paucis, ſed elegantibus expreſſit verſibus, qui ita habent, Carm. 5 ad Majorianum:

Eſt belli maturus amor, ſi forte premantur
Seu numero ſeu ſorte loci,mors obruit illos
Non timor; invicti perſtant, animoque ſuperſunt
Iam prope poſt animam . .

Quo loci reſpexiſſe illud Flori videtur lib. 1 cap. 18. *Omnium vulnera in pectore, quidam hoſtil us ſuis immortui, omnium in manibus enſes, & relicta in vultibus minæ, & in ipſa morte ira vivebat*. Seneca lib. 1 de ira cap. 11:*Germanis quid animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur innutriunturque, quorum unica illis cura eſt, in alia negligentes*. Et Agathias de Francis proprie loquens, *Francis*, inquit, *æſtus valde eſt inimicus & gravis, neque libentes æſtate bellum gerunt. Bruma vero tempore vegetantur valentioreſque ſiunt & tunc commodiſſime labores ferunt*. Quod & ante Agathiam animadverterat de Alpinis gentibus agens Florus lib. 2 cap. 4; ubi ad pugnæ ardorem tranſtulit: *Alpina*, inquit, *corpora humenti cælo educata, habent quiddam ſimile cum nivibus ſuis, quæ mox ut caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt, & levi motu quaſi ſole laxantur*. Faciunt huc proprie verba Ioh. Tilij ex Præfatione Chronici,quod de Regibus Francorum edidit: *Francorum*,inquit,*gens è Germanica nobilitate in Galliam veniens,regnum condidit: quæ tanta fuit animi magnitudine & virtute,ut nullus uſquam populus fuerit, quem ferociter bello nõ appetierit:aut laceſſita, magna cum laude non repulerit.*

Gallias

Gallias enim debellavit, cum quibus non pro imperio & gloria, ſed pro ſalute atque vita omnes fere orbis nationes armis contenderunt. Ea prima toti pariter Germaniæ imperavit: quã neq; Romani, neque alij quantumvis potentes, non modo domare, imo nec vincere potuerunt. Sed, præter hæc, apud jam ſæpe citatum Agathiam Narſetis glorioſiſſimi Romanorum ducis oratio exſtat, in qua de Francis hæc legas: FRANCORVM NATIO EST POPVLOSISSIMA ET MAXIMA ET APPRIME IN RE BELLICA EXERCITATA. Qua laude à laudato non ſolum viro ſed à duce tanto &, quod omnia ſuperat, ab hoſte profecta, quænam eſſe laus maior quod elogium illuſtrius poteſt?

Sed jam ipſa, ſuperius indicata, Agathiæ verba videamus. Ait, *Vilis eſt & neglecta Francicæ nationis armatura, quæque varijs opificibus non indigeat, facile ab ipſis, qui ea utuntur, ſi quid forte fractum fuerit, refici poteſt. Loricas & ocreas non norunt. Capita plerique eorum non muniunt, pauci vero galeis tecti pugnant.* Quod idem & Tacitus innuiſſe jam ante de Germanis videtur, his verbis: *Ne ferrum quidem ſupereſt, ſicut ex genere telorum colligitur. Rari gladijs aut majoribus lanceis utuntur, &c. paucis loricæ: vix uni alterive caſſis aut galea.* Raras ergo fuiſſe eis loricas vult ob ferri raritatem. Turonenſis qui vixdum ſeculo Agathia poſterior eſt, *Loricas* agnoſcit lib. 7. hiſt. Frãc. cap. 38: *immiſſa lancea voluit eum transfigere, ſed repulſa à circulis loricæ nihil nocuit. Ocrearum* vero vice tibialia Frãcos habuiſſe ſequentia Agathiæ indicant. Quod autem pauci galeâ caput munierint, capiendum de principibus ac militum ductoribus. Aimonius lib. 4 cap. 18. *Rex enſe percuſſus in caput, deciſos cum parte galeæ crines patri per armigerum miſit, ut ſibi in auxilium properaret.* ubi no-

Pap. 416.

Lib. de Germ.

tandum, nodatum capillium in galeam veluti in criſtam erectum fuiſſe. Atque hæc fortaſſis galea è corio. Nam Iſidorus *galeam è corio, caſsidem è lamina* fuiſſe affirmat. Teſtimonia ſunt apud bellicæ rei ſcriptores.

Ait porro Agathias: *Equis non ut untur, niſi admodum paucis, quippe qui ad pedeſtrem pugnam, quæ ipſis familiaris patriaque eſt, optime ſunt exercitati.* Hoc quoque de ſui temporis Germania Tacitus notat: *Equi non forma, non velocitate conſpicui: ſed nec variare gyros in morem noſtrum docentur. In rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo poſterior ſit. In univerſum æſtimantes plus penes peditem roboris: eoque mixti prœliantur, apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant.* Ibidem de Cattis: *Omne robur in pedite.* Procopius quoque Cæſarienſis lib. 2 ſect. 20, agens de Rege Francorum Theodiberto, qui ad centena hominum millia contracto adverſus Gothos & Romanos exercitu Italiam intraverat, *maiore*, inquit, *hi parte pedites erant, perpauci equites.* Quod autem ait Tacitus mixtos equiti pedites prœliatos, accipendum haud dubio de militum dexteritate, qui tam ex equo quam pedites pugnare didicerant. Sane illud Cæſaris de Arioviſto: *Arioviſtus his omnibus diebus exercitum caſtris continuit. equeſtri prœlio quotidie contendit. Genus hoc erat pugnæ, quo ſe Germani exercuerant. equitum millia erant ſex; totidem numero pedites velociſsimi ac fortiſsimi; quos ex omni copia ſinguli ſingulos, ſuæ ſalutis cauſa delegerant. cum his in proelijs verſabantur; ad eos ſe equites recipiebant. hi, ſi quid erat durius, concurrebant: ſi qui, graviore vulnere accepto, equo ceciderant, circumſiſtebant. ſi quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum; tanta erat horum*

Lib. 1. de Bel. Gall.

exerci-

exercitatione celeritas, ut jubis equorum ſublevati curſum adæquarent. Hoc, inquam, libens eò traxerim. Nam, ut ex Strabone de Hiſpanis loquente conſtat, non tantum jubis ſublevati, ſed bini ſubinde eodem equo, vehebantur, quorum alter, occaſione data, deſiliens pedes pugnam inibat. Turcas hoc maxime nomine commēdat Buſbequius Epiſtola, ni fallor, 3, quod peditem veteranum, qui nunquam eques pugnavit, tamen ad equum reſcribere non dubitent: Id ſcilicet perſvaſum habentes, in quo ſit militiæ uſus & conſtantia, eum quocunque pugnæ genere fortem operam navaturū. Lib. 3.

Agathias: *Enſis femori, & ſcutum ſiniſtro lateri appendet. Enſis* vocabulo gladius intelligitur, quem vulgo *ſpatam* vocabant. Hæc ſupra deſcripta verbis Anonymi: *Deinde camiſia gliſſina, poſt hac baltheus ſpatæ colligatus. quæ ſpata primo, vagina fagea; ſecundò, corio qualicuncunque; tertio, linteamine candidiſſimo cera lucidiſſima roborato ità cingebatur, ut per medium cruciculus eminentibus, ad peremptionem gentilium inauraretur.* Iſidorus Originum libro 18 cap. 6, *gladium ex utraque parte acutum, ſpatam vulgo vocari* rectè ait. At quod Latinam vocem autumet, itàque appellatam *quod ſpatioſa ſit*, hallucinatio eſt. Eſt enim vox merè Gallica & noſtras. Diodorus lib. 5 de Gallis & Celtis loquens, *pro gladijs*, inquit, *ſpatas gerunt prælongas, ex catenis ferreis aut æneis, ad dextrum latus dependentes.* Kilianus: ſpade/veteri Theutonicâ linguâ, *machæra.* Gall. *Eſpee.* Ital. *ſpada.* Hiſp. *eſpada.* Alias vulgo nobis ſpade & ſpaye/*ligo* dicitur: & ſpaden ſeu ſpayen/*fodere* ac *rutro agrum paſtinare.* Quod autē dicitur, *enſem femori, ſcutum ſiniſtro lateri appenſum*, ſcrupulo non caret. Cui enim femori gladius appenſus, dextro ne an ſiniſtro?

Diodori ſane de Celtis verba jam modo citata dextrũ latus cinctum innuunt; Quod & Strabo agnoſcit. Romanos quoque machæram geſtaſſe ad femur dextrum ait Polybius alijque. At Ioſephus qui Romanam militiam Veſpaſiano imperante explicavit, rem quaſi cõ-
Lib. 1. Excid. cilians lõgiorem à ſiniſtris, à dextris breviorem geſtatum innuit, cum inquit: *Pedites utrimque gladium geſtant. Longiorem quidem illum ad ſiniſtrum latus: nam qui ad dextrũ eſt, palmi ſive duodecim digitorum menſum non excedit.* atq; ita qui ad dextrum , pugio fuerit ſive dolo. Vegetius lib. 2. cap. 15 *ſemiſpatam* dixerit. Nam & *ſpatam* & *ſemiſpatam*, id eſt, maiorem minoremque gladios militibus tribuit. Vtrumque videtur & Sidonius agnoviſſe in Sigiſmere, Athalarici regis Comite, quem armatum eleganter deſcribit lib. 4 Epiſ. 20: *Penduli ex humero gladij, balthei ſupercurrentibus ſtrinxerant clauſa bullatis latera rhenonibus.* Longiorem vero intellexerit idem Panegyr. ad Anthemium, lævæ eum accingens:.

bullis hoſtilibus aſper
Applicat à læva fulgentem balteus enſem.

Pergit Agathias: *arcubus aut fundis, vel alijs telis quæ eminus jaciuntur, non utuntur; ſed ancipitibus ſicuribus* &c. Quibus fundarum & arcuum uſum Francis non tam ignotum quam inſuperhabitum videtur innui. Sane nec Tacitus toto eo libro, qui eſt de Germania deque Germanorum moribus, armis, telis ceteriſque rebus, *arcuum* aut *fundarum* ullam mentionem facit, tantum *miſſilium* meminit. Sub finem tamen libri ait Fennos, qui verſus ortum æſtivum Germanorũ extremi ſunt, omnem ſpem in ſagittis collocare, quas, inopia ferri, oſſibus aſperent. Francos vero haud penitus ignoraſſe

arcus facit ut credam Alexander Sulpitius : cuius verba & fragmentum è Greg. Turonenſi ſupra attulimus lib. 3 pag. 289. in quo , prætercetera hæc habentur: *Franci ſagittas tormentorum ritu effudêre , inlitas herbarum venenis, ut ſummæ cutis, neque lethalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes ſequerentur.* Niſi hæc fuêrint, quæ dixi, *miſſilia.* Tacitus: *Pedites & miſſilia ſpargunt, pluraque ſinguli, atque in immenſum vibrant, nudi aut ſagulo leves.* Virgilius quoque 7 Æneid. *Theutonico ritu ſoliti vibrare cateias.*

Agathias autem cum addat, *ancipitibus ſecuribus & angonibus præcipue rem gerunt*, indicat quid arcuum & ſagittarum vicem præcipue ſupplerit. Eas autem ſecures ita deſcribit: *Sunt vero angones haſtæ quædam neque admodum parvæ, neque admodum magnæ, ſed & ad iactu feriendum ſicubi opus fuerit, & ubi cominus collato pede confligendum eſt impetuſque faciendus, accommodatæ. Hæ pleraque ſui parte ferro ſunt obductæ, ita ut perparum ligni laminis ferreis nudum conſpiciatur, atque adeo vix tota imæ haſtæ cuſpis.* Procopius lib. 2 Bel. Goth. *Franci ad hominum millia centum contracto exercitu, Theodiberto duce in Italiam veniunt. Sed maiorem in partē hi pedites erant, perpauci equites, & hi quidē haſtati: ceteri vero nec arcus quidē, nec haſtas geſtantes; ſed enſem & clypeū ſecurimq́ unam, cuius ferrum craſſius erat, & utrimq́ acutū.* & ſtatim: *Hanc Franci ſecurim in primo ipſo congreſſu in hoſtē iacere cōſueverunt, & eo impetu, ut hoſtium ſcuta perfringant, & ipſos ſimul interimāt.* Quod poſterius pluribus verbis exponit atq; aperit Agathias, cum inquit: *In conflictu itaq; Francus miles hunc angonem iacit; quod quidem ſi corpori infictum adigitur quidem intro, uti veriſimile eſt, cuſpis; neq; is qui ictus eſt facile telum evellere poteſt, obſtant enim acuminati illi hamuli carni inhærentes, & acerbos cruciatus excitant, adeo ut*

etiam ſi hoſtem nequaquam lethale vulnus accepiſſe contingat, ex eo tamen intereat. Si verò ſcuto impactum fuerit, ſtatim ex eo propendet & circumagitur, infima ſui parte ſolum verrens & verſans. Is vero qui ictus eſt, neque enſe amputare valet, quod nimirum ad lignum pertingere non poſſit, ferreis laminis quibus id obductum eſt obſiſtentibus; quod ſimulac viderit Francus, confeſtim pede inſultat & proculcans imam haſtam, ſcutum pondere ſui corporis deprimit, ita ut, geſtantis manu ſeſe nonnihil laxante ac remittente, caput & pectus nudentur. Tum ille nudum hoſtem neque munitum nactus facile trucidat, ſive ſecuri frontem feriens, ſive alia haſta jugulum trajciens. Hocce telum idem eſſe, quod poſtea Gregorius Turonenſis

Lib. 3. pag. 183, 184. *Franceſcam* appellavit, memini me ſupra commonuiſſe. Ita enim de eo Turonenſis: *Tranſacto anno, Clodoveus exercitum ſuum apto armorum apparatu in campo Martio luſtravit, armorum cuiuſque nitorem viſurus. Verum ubi rex, cunctum exercitum circumivit, venit ad hominem illum: qui antea urceum percuſſerat, & ait ad illum: nullus tam inculta & ſordida arma habet, quam tu, quia neque clypeus, neque lancea neque bipennis eſt tibi utilis, accepit autem rex Franceſcam eius, quæ eſt bipennis & proiecit in terram. at ille cum ſe inclinaſſet colligere eam; rex ſtatim elevatis manibus ſuis, Franceſcam ſuam in capite eius defixit.* Tacitum quoque haud aliud jam olim *frameæ* vocabulo indicare voluiſſe, veriſimile ſit. Sic enim habet libro de Morib. Germanorum: *Haſtas vel ipſorum vocabulo,* frameas *gerunt, anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo prout ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent. Et eques quidem ſcuto frameaque contentus eſt.* Et ſtatim: *arma ſumere non ante cuiquã moris quàm civitas ſuffecturũ probaverit: tum in ipſo concilio, vel principum aliquis, vel pater; vel propinquus ſcuto frameáq; juvenem*

juvenem ornant: hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos. Vnde, præter alia, non ſolum eundem frameæ fuiſſe uſum intelligitur, quem Agathias & Procopius ſuis haſtis ac ſecuribus, & Franceſcæ tribuit Turonenſis, ſed & honoratum inſuper armaturæ genus fuiſſe & veluti gentis Germanicæ peculiare & proprium. Quapropter nec fruſtra in Gregorij verbis poſitum, *Franceſcam* præcipue, rege volente, militi ablatam & in terrã proiectam: ut nimirum demonſtraretur indignum eum eo armorum ac juventæ honore. Formam interim teli minus expreſſit Turonenſis, *bipennem* dixiſſe ſatis habens. Tacitus quoque & Procopius, licet uterque acri armatum ferro innuant, hamulos tamen, quorum Agathias meminit, non indicarunt. Sidonius, ut Turonenſis, *bipennes* dixit:

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes.
Et plagæ præſciſſe locum, clypeoſq́ rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas.

Poſtremo ex verbis Agathiæ id præterea colligi poteſt, ità cominus & eminus hoc telo pugnatum, ut eminus ſi res ageretur, proiecta ſit manibus haſta. nam inquit valere *ad iactu feriendum ſicubi opus fuerit*: itẽ *: miles hunc angonem iacit.* Item: *ſi ſcuto impactum fuerit* (telum) *ſtatim, ex eo propendet & circumagitur, infima ſui parte ſolum verrens & verſans.* Et ſtatim: *qui ictus eſt, neque enſem amputare, quod nimirum ad lignum pertingere non poſſit, ferreis laminis, quibus id obductũ eſt obſiſtetibus. quod ſimulac viderit Francus, confeſtim pede inſultat &c.* Accedit quod quãvis Tacitus *frameã* & Agathias *angonẽ*, haſtas fateãtur, *telum* tamen uterque nominet: ille, cum dicat: *eodem telo cum ratio poſcit vel eminus, vel cominus pugnant*; hic, *neque is qui ictus eſt facile*

telum

telum evellere poteſt. *Telum* autem licet latius accipi queat proprie tamen id eſt, quo iactu ferimus. Euſthatius εἶδος δόρατος genus haſtæ eſſe dixit *Angonem*. Diſcriminandæ hæ Procopij & Agathiæ haſtæ ab ijs, quas Tacitus Annal. 1. *Cheruſcorum ingentes*, & Annal. 2 *enormes haſtas* vocat. Sic & idem libro de Germania *maiores lanceas* intellexit: *Rari gladijs, aut maioribus lanceis utuntur*. Franci poſtmodum vulgo uſi. G. Turonenſis lib. 7. cap. 39. de Francis, *duo cum lanceis utraq; ei latera feriunt, ſicque cecidit & mortuus eſt*. Item cap. 38, *Venit omne vulgus, & defixis in eum lanceis, pedes eius fune ligantes, per omnia exercituum caſtra traxerunt*. Atq; hæc de armis deq; bellicis Francorum telis occaſione verborum Agathiæ dixiſſe ſufficiet. Nunc machinas videamus.

CAP. XX.

DE MACHINIS ATQVE OPERIBVS bellicis, deque oppugnandi urbes atque obſidionis ratione.

IN urbium oppugnationibus atque obſidione plurimum valuiſſe Romanos, minus Germanos, & quos illi barbaros appellabant, ex hiſtorijs conſtat. Tacitus de Batavis & Tranſrhenanis Vetera oppugnantibus hiſtor. lib. 4: *Machinas etiam, inſolitum ſibi, auſi. nec ulla ipſis ſolertia. Perfugæ captivique docebant ſtruere materias in modum pontis, mox ſubiectis rotis propellere: ut alij ſuperſtantes, tanquam ex aggere prœliarentur: pars intus*

intus, occulti mures ſubruerent. Sed excuſſa baliſtis ſaxa, ſtravere informe opus. & crates vineaſque parantibus, adactæ tormentis ardentes haſtæ. Vnde idem de barbaris in univerſum lib. Annal. 12. *Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta, &* ASTVS OPPVGNATIONVM*: at noſtris ea pars militiæ maxime gnara eſt.* At unde ea ſcientia & hæc gnara Romanis? A Græcis, teſte Athenæo: *Romani à Græcis tormenta & machinas urbium oppugnandarum ſumpſêre.* Interque eos præcipui earum extitere artifices Eudoxus & Archimedes, ut docet in Marcello Plutarchus. Poſtmodum, ut à Græcis Romani ità à Romanis hæc, eadem accepêre Franci. Cumque dupliciter OPPVGNATIO inſtitueretur, *corona* & *operibus*; utriuſq; veluti umbram quandã exhibet Gregorius Turonenſis libro de rebus Francorum 7 cap. 35. Vbi de Convenarum obſidione ſic loquitur: *Convenitur ad Convenas. Omniſque phalanga in ſub urbana urbis campania caſtra metata eſt: ibiq́ extenſis tentoriis reſidebat.* Ac deinde cap. 37. *Quintus & decimus in hac obſidione effulſerat dies, & Leudegiſilus novas ad deſtruendã urbẽ* MACHINAS *præparabat: plauſtra enim cum arietibus, clitellis & axibus texat, ſub quibus exercitus properaret ad deſtruendos muros.* Et poſt pauca: *Mane autẽ facto, exercitus iterum ad bella conſurgit, ac ex virgis faſces faciunt, quaſi ad complendam vallem profundam, quæ à parte Orientis ſita erat; ſed nocere hæc machina nihil potuit.* Vnde liquet, poſtquam coronâ atque obſidione cincta circundataque urbs eſſet Convenarum (*Cominges* quondam, nunc *S. Bartrandi* nomine inſignita eſt) ſtatim exinde ad opera ac machinamenta progreſſos. Inquit enim: *Leudegiſilus novas ad deſtruendam urbem machinas præparabat; Novas* ait, ut intelligatur in primo illo ac ſubitaneo

Lib. 6. cap. ult.

aſſultu ac cinctione, *ſcalas* ut ſolet, *crates*, *muſculos*, & quæ leviores ſunt machinarum, adhibitos; inter maiores vero & decretorias fuiſſe *Arietes, clitellas, axes*.

Aries. *Aries* ergo, qui primo loco ponitur, machinamentum fuit, quo muros urbium frequenti ictu feriebant evertebantque. Eius inventionem Plinius lib. 7 cap. 56 Epeo tribuit exiſtimans ab equo repertum Troiano. Ità enim ſcribit: *Equum, qui nunc aries dicitur, in muralibus machinis, Epeus invenit ad Troiam.* Tertullianus libro de Pallio Carrhaginenſibus adſcribit, ſecutus Lib. 10. cap. 24. fortaſſe Vitruvium, qui ita habet: *Primum ad oppugnationes Aries ſic inventus eſſe memoratur. Carthaginenſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt. cum autem caſtellum ante cepiſſent, id demoliri ſunt conati poſteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta; ſumpſerunt tignum, idque manibus ſuſtinentes, capiteque eius ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines deijciebant, & ita gradatim ex ordine totam munitionem diſſipaverunt.* Abbo, qui multo poſt Turonenſem tempore claruit, in obſidione Pariſienſi videtur *Carcamuſas* dixiſſe: *Arietes, Carcamuſas vulgo reſonatos.* Exſtat & Colmarienſe chonicon, in quo *Cancer* appellatur: *Poſt hæc Cancrum ad civitatem perduxerunt. Fuit Cancer inſtrumentum magnum, forte pariter & ponderoſum. In eo erat* TRABS *magna, pariter longa, in una parte groſſa, in altera parte parva. In groſſiori parti, ſive in capite, fuit ferro forti circundata, & in fronte ipſius Cancri fortiſſime colligata. Trabs hæc ſuper quædam inſtrumenta iacuit, quo faciliter moveretur.* Hucuſque chronicō, addens *quingentos homines in Cancro illo fuiſſe occupatos.* Paulus Diaconus lib. 17. *Exterminatorium inſtrumentū* vocat: *Exterminatorio inſtrumento facto, quod Arietem vocant, civitatem*

adeptus

adeptus eſt. Atque hæc de origine ac nomine. Rem ita deſcripſit Flavius Ioſephus, tertio excidij: *Eſt*, inquit, *Aries trabs prægrandis quæ malũ navis aſſimilat. Is ſolidatur in capite gravi ferro, in arietis formã, unde & nomẽ id ſumpſit. Depẽdet medius, funibus ſuſpenſus ex alia trabe, velut trutina; quæ trabs tignis utrimq; firmis munita eſt & fulta. Repulſus porro magna virorũ manu retrorſum, iiſdemq; antrorſum ſtatim & cũ impetu reflectentibus, quatit muros prominulo ferro. Neque eſt ulla turris tã valida, aut mænia tam lata, quæ ut primas maxime plagas tulerint, ſuſtinere & ſubſiſtere aſſiduas eas poſſint*. Accedat his illud Lucani, apud quem miles iactat 1 Pharſal.

Tu quoſcunq; voles in planum effundere muros,
His Aries actus diſperget ſaxa lacertis.

Eſt hoc Sidonij:

Nec Pharij nunc regna precor, nec ut hiſce lacertis
Frangat Hydaſpæas Aries impactus Erithras.

Ex his, poliorceticon authores, & qui omnium circunſpectiſſime & cum cura id argumenti tractavit clariſſimus Lipſius triplicem aut duplicem Arietem facit, *Rudem* & à prima inventione: quem manibus lacertiſq; validi homines ſuſtinentes, egerint; alterũ *cõpoſitum*, qui ex trabe altera ex trãſverſo erecta depẽderit, quo vi maiore, conatum leviore libraretur. Tertius fuerit, *Teſtudo Arietaria*. Quæ ſane diſtributio licet haud improbanda, tamẽ quod ad *compoſitum*, non ſatis rem exprimit. Nam & præter *rũdem*, & præter *dependentem*, exque alia trabe, velut jugo aut trutina, ut habent verba Ioſephi, funibus ſuſpenſum, etiam Aries proprie *compoſitus* fuit ex pluribus trabibus in ſe connexis & laminis ac vinculis ferreis arctiſſime circumligatus & compaginatus. Eiuſmodi ipſemet & αὐτόπτης, ut præcipuum antiquitatis

monumentum, annis ſuperioribus in oppido Campēſi Tranſiſalaniæ, quo amicos viſendi ergo excurreram, non ſine admiratione ſum contemplatus. admiratione dico, quia eo quomodo aut quando tam grande machinamentum eſſet delatum, non occurrebat, qui explicaret. Conſtat autem ex tribus ut firmis ita proceris admodum trabibus ſeu malis, quos Maſtbomen vulgo dicimus, in ſeſe accurate cōplicatis, nec rotundis ſed in quadrū & latera ſua affabre formatis. Circa caput ſumma eſt craſſities, quæ paulatim ad exitum uſque in longitudinem tenuatur. Quanta autem longitudinis ſit ex eo eſt colligere: Nam licet in æde ſeu armamentario, ubi erectum atque elevatum ſervatur, capite non ſolum verſus terram, ſed parte etiam aliqua ſui intra terram conſiſtat, tamen extremitas ſeu poſtica tenuiorque pars ad tectum uſque porrigitur. Habet & foramina intermedia, quibus aut clavi aut alia ferramenta, ad funes recipiendas aut ligaturam ſolidiorem, inſeri potuerunt. Hinc jam intelligentur Lucani & Ammiani Marcellini loca, quæ de Ariete hunc in modum compoſito habentur, hactenus aliorſum & ad priorem compoſitionem, minus, ut exiſtimo, recte traducta. Lucani verba itâ habent:

Aries Cāpenſis.

—— nunc coniunctas adſtringere nodis
Inſtabat ferroque trabes, quo frangeret altos
Portarum poſtes, quateretque morantia clauſtra.

Ammiani hæc ſunt lib. 20, ubi ait, *Arietem vetuſtum, diſſolutum fuiſſe, ut facilius veheretur, iterumque inſtructum,* Vbi primum in verbis Lucani *coniunctas trabes*, quæ nodis & ferro erant aſtringendæ, de ariete eiuſmodi qui ex duobus aut tribus malis cōpoſitus conſtabat, omnino acce-


B
Infra hanc ligaturam ferream inve:
nimus duo ferramenta in utraque
latu arietis parte, quorum forma
hîc utcunq; expreſſa. Capaci:
tas foraminis puſilli infantis
caput tranſmittat. Alterũ
tantum è terra effoſſum eſt,
alterum adhuc ſub ariete
ipſo latet, neque vi erui
quitum, propter machi:
næ grauitatem nimiam
A
Foramen quadratum oc
circumquaque munitum
utraq; parte Arietis.
Hoc quadratum foramen
altero rotundo ſerviſſe v
ad ſuſpenſionem arietis.
craſsiore ſui parte ſuſpenſ
erutina librari et agi impe
reciprocationem machinamen
Catenus ferreus 1.
Ligatura ferrea ſecunda 2
Hi ſex canthi ferrei fur
3
4
57
Latitudo ligaturæ, quæ potuit videri, pollicum
claui
A
B
C
Craſſities pollicum 22.
it,
C
Computruit hoc omne lignum: et partes
quidem maximas, iam in terram red:
actas egeſtas ab operis vidimus. itaq;
ſuſpicamur huiusmodi locum occu:
paſſe ferreum illud in ligno. Quantum
vero æuo et putrefactione abſumptum
ſit vix diuinare liceat. veriſimile eſt,
minimum pedum aliquot longitudinem deperiſſe
Foramina trabes penetrantia, qui
inſerti fuiſſe ferrei claui ad uincie
ac firmius inter ſe compingendas.
funes recipiendas, quibus reductu
tur aries ad deijcienda munimenta

acceperim. Nam & Ammianus cum inquit, *Arietem ut facilius veheretur diſſolutũ,iterumque inſtructum*,quis non de trabe ſimiliter ſolutili aut potius de trabibus cum ut indicavimus in modum in ſe compoſitis atq; aptatis id quoque ipſum intellexerit? præſertim cum iuvet ſchema quod,ut dixi,in armamentario Campenſi ſpectandum hodieque ſervatur. Et dum hoc agimus inque eo jam ſumus,oportune ecce ad me ARIETIS huius mirandi accuratam delineationem ad petitionem noſtrã Campis liberaliter tranſmittunt amici. Eaque oblata occaſione uſus, utque ab omnibus & cominus conſpici tam mirabile machinamentũ poſſit,artifici viciſſim manu chalcographis ad idem exẽplar continuo deſcribendum hicque, additis longitudine,craſſitie ceteriſq; huc ſpectantibus, apponendum curavi.

Axes porro & *Clitellæ* quid ſint in verbis Turonenſis, quæ ſequuntur,non ſatis explico. Nam *Clitæ* aut *Clitellæ* quum proprie ſint ſellæ, quibus ſarcinæ conligatæ mulis portarentur, etiam locus Feſto dicitur, qui eſt Romæ, propter ſimilitudinem ita appellatus,quod ſit modo acclivis modo divexus. Qui & tormenti genus ſic nominatum ait. niſi id ut ævi inferioris à Paulo additum verbis Feſti dicamus. Vſus pro bellica machina etiam Auctor vitæ Caroli Magni à P. Pithæo editus, qui tamen *Clitas* non *Clitellas* effert. Ita enim habet: *Præparaverunt Clitas ad debellandum præ virtute caſtrum.* *Clitellæ. Axes.* Eſt etiam in veteri Gloſſ. Latino Saxonico Tit. de partibus domus: *Laquear*, Fyrſt. *Clita*, Hyrdel. Leg. Ripuar. Tit. 77, *in Clida levare.* Quæ an huc faciant,dubito. Verum Turonenſis cum addat, *ſub quibus exercitus properaret ad deſtruendos muros*: videntur non tam ma-

chinæ quam munimenta fuiſſe, quibus defendebantur, qui Arietem impellebant. Romani *teſtudines arietatias* appellabant. Talis eſt, quæ deſcribitur Procopio lib. 1 bel. Goth. *Columnæ*, inquit, *rectæ ac ligneæ quatuor parique magnitudine ex adverſo defixæ ſolo adſtant: his tigna octona & tranſverſa arctiſſime juncta, quaterna deſuper alia, totidem ad baſes committunt: parvique & quadrangularis ſpeciem domicilij extruunt, & corijs undique integunt latera, ut & ductu ſit levior machina, & intrinſecus milites in tuto ita conſiſtant, ut feriri nullo pacto ab hoſtibus queant: intus vero non parvæ molis ſtipitem ſuperne ſuſpendunt, huncque catenis laxatum in medio machinæ, cum opus fuerit, dimittunt: eius autem caput præacutum multo ferro perinde ac ſagittæ ſpiculum aliquod contegunt. Hæc machina, non ſcutulis ſubiectis, ut navis movetur, ſed ad infima columnarum exſtantium rotis deducitur: ſed eam non minore numero homines, quam quinquaginta interiore ex parte movent, & quo volunt traducunt, & dum moenibus applicant ſtipitem, cui plerumque arietis ferreum præfixum eſt caput, arte quodam volvẽtes facile retrahunt, rurſumque & magno cum impetu in murum incutiunt.* Hæc Procopius. Vbi licet *ſtipitem* rudem ac ſimplicem, non, ut Lucanus, *conjunctas* agnoſcat *trabes*, tamen in ſe, ut monuimus, complicatæ aptæque unum veluti tignum videri ac dici queant. Sane ad pondus & impetum addendum haud leve attulerit momentum ea trabium conbinatio & circa caput præſertim craſſities, quæ, ut in Campenſi oſtenſum eſt & verbis quoq; Colmarienſis Chronici patuit, æquabiliter ac ſenſim, aduſque extremitatem tenuatur. Quod tamen ijs qui pinxerunt Arietes nuſquam obſervatum aut animadverſum hactenus reperio.

Teſtudo arietaria.

Denique

Denique latibula eiuſmodi & tegmina, ſub quibus ſe miles occutabat, non *teſtudines* tantum veteres ſed & *vineas, crates, pluteoſque* dicebant. Francorum & exinde deterior ætas *Talpas*, *vulpecules*, *Ericios*, *Cattos* cœpit appellare. Appendix ad Otthonem Friſigenſem in Rebus Frederici Imp. cap. 23: *Cæſar omnem reliquum apparatum, quē ad oppugnationes civitatis facerat, Talpas, vulpeculas, Ericios, Cattos (talibus enim cenſentur nominibus) juſſit exuri.* Et quid *deterior* dico *ætas*? imo & Vegetius iā ſuâ uſurpati coeptum innuit lib. 4. cap. 15. ubi Cattum *militarem* & *barbaricam* eſſe vocem his verbis docet: *Vineas dixerunt veteres quas nunc militari barbaricoque uſu Cattos vocant.* Ita enim habet in orâ edito Pariſina, non, ut vulgo *Cauſias*, quod ſane, ut accurate notavit Iuſtus Lipſius, *barbaricū* vocabulum dici nequit, cum Græcum probumque ſit, & Macedonicum capitis tegmen. Catti ergo eiuſmodi ſive vineæ ſive plutei fuerint, ſub quibus miles, in mores felis, quem *Cattum* vulgo dicimus, in ſubſeſſis aut inſidijs latuit. Ne autem monticulos quiſpiam & è terrâ aggeſta quædam, ut nos hodie *Cattos* militares accipimus, ſuſpicetur, en Colmarienſe Chronicon, in quo ad mentem Vegetij propius depingitur ſub annum Chriſti 1292: *Dominus de* Beetkheim/ *duas machinas magnas, lapides proijcientes; & Cattum, videlicet inſtrumentum quo turres deſtruuntur, accepit.* Et idem, quinquennio inferius: *Expugnavit rex hanc civitatem per duo *vaſa concava, quæ faciebant artifices ſapientes. Vnum vas Cattus vocabatur, aliud Cancer. Erant hæc vaſa longa, quadrata, demiſſa, ex omni parte laterum clauſa. Verſus terram nullum munimen habebant, ſed verſus cælum de tabulis fortibus ac ſpiſſis tectum, machinarum lapides minime metuebat. Cattus leve vas*

Catti.

*Id eſt, Inſtrumenta.

do Mangam (malè *Margam* editur) *vulgo dicere ſolent, pro-pulſum ad ſuperiora loca conſcendiſſe*. In Chronico quodam Leodienſi ad annum 1313 *Mangonalia* dicuntur: *Epiſ. copus miſit Leodium mangonalia ſeu fuſtibula, ſive tribuceta, vel arietes aut ſues, vineas biblias petrarias, ſive Cattos verſatiles, neſcio quæ ex his ingenijs, in ſignum quod intendebat caſtra ſolo æquare*. Ex quibus ſatis intelligitur *Mangatellas* Petrariæ ſeu balliſtæ genus fuiſſe, ſaxa & eiuſmodi iaculantis, non autem, quod nonnulli exiſtimarunt, *Mantellos*. *Mantelli* enim noſtri ex vinearum genere fuerunt. Et notandum quod atavorum aut proavorum ævo hæc noſtro & patrio idiomate **Manghenelen** dicta fuerint, ut habent Flandrica & Hollandiæ præſertum Chronicon, in quo paſſim hæc vox occurrit. Atque inde in Etymologico ſuo Kilianus: **Manghe**. 1. **Mangheneel**/*Machina bellica genus*. Vox autem non noſtras ſed mere Græcanica eſt. Heſychius: μάγγανα, μηχανήματα. Videantur & alij Scholiaſtæ Græci & Lipſius lib. 1 Dial. 3 Poliorcet. Anno 1313. Manghenelen.

Vltimo loco *Troiæ* collocantur in verbis Turpini. At quid Troiæ? An ſues, quæ in Chronico Leodienſi, ob Gallicam vocem reſpondentem *truie*? ut fuerit inſtrumentum, quo muros fodiebant & deruebant, ut terram ſus roſtro. Quid quoque in verbis eiuſdem Leodienſis Chronici *Tribuceta*? Suſpicabatur Lipſius ad illud accedere, quod *Trybock* Germanis dictum. Ita enim in fragmento quodam Germanicæ hiſtoriæ de Ottone Imperatore occurrit: *Anno Domini* MCCXXII *Otto Imperator ab Apulia & Italia reverſus, obſedit oppidum Vizenſe, quod ſimiliter expugnavit uſque ad arcem. Ibi tunc primum cœpit haberi uſus inſtrumenti bellici, quod vulgo* Tri- Troia. Tribock.

Bbbb bock

bock *appellari ſolet.* Ambigit Lipſius an non etiam ea vox Gallorum ſit, quibus inſtrumenta aut machinulæ ſuſpenſæ & lapſiles *Trebuchetz* appellantur. At verius videatur ex idiomate Germanorum fluxiſſe, quibus Bock *aries*.

Abſolvi quod ad machinas & opugnationis modum attinet; nunc de *Repugnatione* nonnihil addendum: ſi illud prius dixero, horum operum pleraque etiamſi à priſco ævo ſint, tamen ut nomina, ita formas pro rerum occaſionibus varie mutaſſe. Sic quod ultimo loco *Tribock* dicitur, & anno 1222 uſurpari primò coeptum fuerit, quis non ad conſvetam Arietis formam nova inventione aliquid tum additum potius dixerit? præſertim cum *Aries* & antecedenti & conſequenti adhuc ſeculo, anno ſcilicet 1313, ut patuit ex Leodienſi Chronico, fuerit & notus & uſitatus. Adeo ut nec mirum, ſi Campenſis Aries non uno conſervatus ſeculo ad hæc uſque tempora durarit. Nam inventio & paratura æneorum noſtrorum tormentorum, quæ ut folia ventus hæc omnia difflarunt & aboleverunt, anno tandem 1380. increbuit.

CAP.

CAP. XXI.

DE REPVGNATIONE.

IN oppugnantes vel potius adverſus oppugnatorias artes atq; ingenia quomodo ſe veteres viciſſim tutati ſint, pluribus ex Poliorceticωn ſcriptoribus intelligi ac diſci poteſt. Nos ex ſuperiori Gregorij Turonenſis Capite 37. lib. 7; ubi Leudegiſilum Convenas oppugnare indicavimus, quæ recenſentur eius generis hîc ipſius verbis adſcribemus, ita habentibus: *Sed cum adpropinquaſſent ita lapidibus obruebantur, ut omnes adpropinquantes muro corruerent. Cuppas cum pice & adipe accenſas ſupra eos proÿcientes, alias verò lapidibus plenas ſuper eos deÿciebant.* Primum inquit, *lapidibus obruebantur*, qui nimirũ ſubito accurſu vel teſtudine vel ſcalis mœnia impetebant. Reſiſtebant itaque, & vel ſaxis vel alijs ponderibus adventantes arcebant aut diſſipabant. Tacitus 3. hiſtor. *Tum elatis ſuper capita ſcutis, denſa teſtudine ſuccedunt. Romanæ utrimque artes. Pondera ſaxorum Vitelliani provolvunt, disiectam fluitantemque teſtudinem lanceis contiſque ſcrutantur &c.* Quod ad *adipem* & *picem* ardentẽ, etiã Romani hæc adhibuerunt. Herodianus, de Aquileienſibus, cum Maximinus oppugnaret: *Illi ſaxa deſuper iaciebant, & miſcentes picem ſulphuri ac bitumini, in cavis vaſis longa manubria habentibus, cum ea ferveſeciſſent, appropinquanti exercitui inÿciebant, & imbris in modum denſe & confertim inſpergebant.* Ammianus lib. 20: *Faces ſitellaſq; ferreas onuſtas ignibus, in Arietem magnis viribus iacientes.*

Deoleo quoque profuſo eſt in Ioſepho : *Cum Romani jam invicem ſe adhortati, latera junxiſſent ac deſuper protecti longioribus ſcutis inexpugnabilem globum feciſſent muroq; ſuccederent : Tum ille* (Ioſephus ipſe qui ſcripſit) *ferventi oleo perfundi eos jubet. Quod Iudæi prompte & cupide fecerunt, ipſis etiam ahenis bullientibus in eos miſſis.*

Deinde quod ait Turonenſis, etiam *cuppas quaſdam lapidibus plenas* in hoſtem & oppugnantes deiectas ex Dione Caſſio ſimiliter intelligitur, qui lib. 56 de Tiberio, iuſſu Auguſti in Dalmatia res agente & opidum ibi quoddam aſſidente, ſic loquitur : *Dalmatarum alij lapides multos aut fundis emittebant, aut manu devolvebant; alij Rotas; alij currus totos petris plenas, alij arcas ſive dolia rotunda, facta more gentis & lapidibus referta dimittebant.* Vbi *dolia* intelliguntur, ut Europæorum plerique habent, lignea illa ad vinum aut liquores; Gregorius Turonenſis propria & patria voce *Cupas* uſus eſt. Quin & Plinius lignea ea dolia Galliarum inventum alicubi fatetur.

Poſtremum & lapides leviores manibus in hoſtem proiecti. Turonenſis ibidem ſub finem Capitis jam indicati : *Sagittarius epiſcopus, frequentius muros cum armis circumibat, & ſæpius lapides contra hoſtem manu propria iecit è muro.* Quod & Siſennæ apud Macrobinum lib. 6. cap. 4 verba dicunt, modò, ut olim reſtituimus, legantur. Ita nimirum : *Et Marſi propius ſuccedunt, atque ita ſcutis proiectis* (id eſt oblongis) *tecti, ſaxa certatim levia manibus conjiciunt in hoſtem.* Vulgo eſt *lenta* non *levia*. Item *tectis* non *tecti. Levia* autem dicit *ſaxa* ut diſtinguantur ab ingentibus, cuiuſmodi erant cylindri & columnarum ac lapidum molarium fragmenta, de quibus Ammianus lib. 3. alijque. Nunc ad Aciem.

CAP.

CAP. XXII.

DE ACIE ET STRATAGEMATIBVS.

HVcuſque de *Repugnatione*. Nunc *acies* inſtituenda. Quod verbis fiet Agathiæ, qui pugnæ ac prælij Francorũ adverſus Narſetem, Romani exercitus imperatorem, mentionem faciens, ita eorum aciem deſcribit atque inſtruit: *Erat ipſis forma aciei inſtar cunei, Δ literæ figuram præſeferens, anteriore quidẽ ſui parte in acutum deſinens. Preſſa enim erat & denſa, ſcutis undequaque inter ſe conſertis munita; dixiſſes ſuis caput ſua ſtructura efformare. Alæ verò utrimque ex centurijs & decurijs in longum compoſitæ, & ut plurimum in obliquum protenſæ, paulatim ab ſeſe dilatabantur & dirimebantur, in maximam latitudinem deſinentes; adeo ut locus intermedius vacuus relinqueretur, & nudata militum terga ſeriatim conſpicerentur. Averſi enim inter ſe ſtabant, ut hoſtibus adverſi eſſent, & ex tuto confligerent, ſcutis protecti; terga vero mutuâ illâ inter ſe contrapoſitione tuerentur.* Quibus in verbis notandum vocabulum *cunei*. Quo & uſus Cor. Tacitus de Germanis eorumque acie agens libro de Germania: *Acies*, inquit, *per cuneos componitur*. Quod autem addit Δ *literæ figuram* prætuliſſe, idem eſt ac ſi *trigonum* dixiſſet. Vegetius lib. 1. cap. 26: *In trigonum, quem Cuneum vocant, acies mutanda*. *Cuneus* deinde quid ſit explicat idem Vegetius libro 3. cap. 19: *Cuneus*, inquit, *eſt multitudo peditum, quæ primo anguſtior, deinde latior procedit, & adverſariorum ordines rumpit.* Et deinde Agathias,

thias, *dixiſſes ſuis caput.* Ammianus propius rem aperit atque explicat lib. 17: *Deſinente in anguſtum fronte, quē habitum* CAPVT PORCINVM *ſimplicitas militaris appellat.* Et Vegetius loco jam indicato: *Milites* (cuneum) *caput porcinum appellant.* Hiſpanos quoque cuneis uſos patet ex Livij lib. 40: *Celtiberi ubi ordinata acie & ſignis collatis ſe non eſſe pares legionibus ſenſerunt, cuneo impreſſionem fecerunt, quo tantum valent genere pugnæ, ut quacunque parte perculēre, impetu ſuo ſuſtineri nequeant.* Romani ſubinde imitati ſunt ut apud Livium lib. 22, *Cuneo quidem hoc laxum atque ſolutum agmen, ac ſi nihil obſtet, tranſibimus*: Apud Cæſarem 6 bel. Gal. *Milites caſtris excluſi, cuneo facto, & duce Tribonio equite Romano per medios hoſtes perrūpunt.* Quomodo diſſolveretur cuneus bellicæ rei ſcriptores docēt, & ipſe Agathias qui Narſetē adverſus Frācorum cuneum incurvaſſe paulatim ac cornua produxiſſe ait: Ammianus Marcellinus hāc aciei formā *forcipem* appellat, cum inquit: *Cogitatum eſt ſoliciteque præſtructum, ut ſævientes ultra ſolitum Alemani vagantesque effuſi, multitudine gemina noſtrorum, forcipus ſpecie, truſi in anguſtias caderentur.* Reliqua in verbis Agathiæ ſatis clara aut obvia apud Tacticos.

Nec omittendum poſtremo hoc loco ſtratagema, quo adverſus Quintinum, Romanorum ducem, uſi Franci, quo & eum & cum eo legiones cæciderunt. Ita enim hæc narrat Alexander Sulpitius, cuius fragmentum exſtat apud Greg. Turonenſ. lib. 2 cap. 9. *Cumque conſultaretur*, inquit, *de ſucceſſu, an in Franciam tranſire deberent, Nanninus abnuit, quia non imparatos & in locis ſuis indubie fortiores futuros ſciebat. Quod cum Quintino & reliquis viris militaribus diſplicuiſſet, Nannino Mogontiacum reverſo,*

reverſo, Quintinus cum exercitu circa Niveſium caſtellum (hodie Nuys *dicitur) Rhenũ tranſgreſſus, ſecundis à fluvio caſtris, caſas habitatoribus vacuas atque ingentes vicos deſtitutos offendit. Franci enim ſimulato metu, ſe in remotiores ſaltus receperant, concidibus per extrema ſilvarum procuratis. Itaque univerſis domibus exuſtis, in quas ſævire ſtoliditas ignava, victoriæ conſummationem reponebat, noctem ſolicitam milites ſub armorum onere duxerant. Ac primo diluculo; Quintino prælij duce ingreſſi ſaltus, in medium fere diem implicantibus ſe erroribus viarum, totos pervagati ſunt: tandem cum ingentibus ſeptis omnia à ſolido clauſa offendiſſent, in paluſtres campos qui ſilvis jungebantur, prorupere: qui coniunctis arborum truncis, vel concidibus ſuperſtantes, velut è faſtigijs turrium, ſagittas tormentorum ritu effudêre, inlitas herbarum venenis, ut ſummæ cutis, neque letalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes ſequerentur. Dehinc maiori multitudine hoſtium circumfuſus exercitus, in aperta camporum, quæ libera Franci reliquerant, avide effuſus eſt, ac primi equites voraginibus immerſi, permixtis hominum iumentorumque corporibus, ruina invicem ſuorum oppreſſi ſunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorum calcaverant, implicati limo ægre explicantes greſſum, rurſus ſe, qui paulo ante vix emerſerant, ſilvis trepidantes occulebant. Perturbatis ergo ordinibus, cæſæ legiones, Heraclio Iovinianorum tribuno ac pene omnibus, qui militibus præerant extinctis. Paucis effugium tutum nox & latibula ſilvarum præſtitere.* Hæc in tertio Hiſtor. Alexander Sulpitius. *Concides* autem quas dicit, *Concædes* ſunt, & ita Vegetius & Tacitus. Quorum ille lib. 3. cap. 22: *Multi cum ab hoſte diſcedunt, ſi per ſilvas ituri ſunt, præmittunt, qui abrupta vel anguſta occupent loca, ne ibidem ab adverſarijs patiantur inſidias, & rurſus, poſt ſe, præciſis arboribus, vias claudunt, quas*

concades vocant, ut adverſarijs facultatem adimant perſequendi. Tacitus Annal. 1: *Romanus agmine propero ſilvam cæſiam limitemque à Tiberio captum ſcindit, caſtra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concædibus munitus.*

CAP. XXIII.

DE GYMNASIIS ET PVBLICIS literarum ſtudijs, Francorum primis ſeculis.

A Belli & Martis artibus ad pacis & Minervæ ſacra greſſum dirigemus. Nam & hæc amice conſpirantia mutuis inter ſe opibus ac præmijs ornari juvarique in confeſſo habetur. Sic* Fluvius ille Nobilior novem ſigna, id eſt, omnium Camænarum ex Ambracienſi oppido tranſlata ſub Herculis Muſarum tutela dedicavit, quod videlicet Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis eloquio ac celebratione egeret Muſarum. Scholas itaque & Gymnaſia literarum, decreto Francorum Regum, & præſertim Caroli Magni benignitate eſſe aperta atque aucta jam ante, ubi de legibus* diceremus, ex Capitulari & Additione eiuſdem, innuiſſe nos memini. Et hoc quoque, ipſa ſcilicet monaſteria ac cœnobia fuiſſe primis illis temporibus veluti Gymnaſia quædam & academias Principum liberalitate fundatas: Fuiſſeque officij ſimiliter Epiſcoporum non populum modo, ſed & eos qui ad populum docendū adhibendi aliquando eſſent, puta

*Vide Panegy. Eumenij, 4.

*Pag. 422.

puta presbyteros & canonicos, meliores doctioreſque reddere, hoc eſt, ut non publice ſolum plebi, ſed ſeorſim etiam clero, idque in domo, quam hinc Epiſcopi appellabant, SS. Scripturas interpretarentur. Hæc ita ſe habuiſſe, ſupra ſuis quæque locis ſatis certis atque evidentibus documentis demonſtrata fuêre. An verò eodem Magno Carolo auſpice, ductu & conſilio Alcuini, qui ex Bedæ diſcipulis fuerit, academiæ & ſchola præſertim Pariſienſis inſtituta ſit, hoc inquam an certo quoque demonſtrari poſſit, non tam facile explicatu fuerit. Nam qui aſſeverant, publica & pervulgata jam fama nituntur, novoſque & veteres chronologos teſtes adducunt. Quos inter eſt Achilles Gaſſarus, qui ad annum 792 hæc habet: *Archiſchola Pariſijs Lutetiorum his diebus cœpit ductu Alcuini & Claudij Clementis in Gallia.* Atque hinc eſſe aiunt, quod eadem academia Regum Francorum filia appelletur. Nec id modo ſed & Concilij, quod celebratum eſt ſub Ludovico Pio, autoritate ſe muniunt: & eâ, quam Vitæ S. Germani præfixit Henricus Vellaunodunenſis, vulgo de Auxerre, dedicatoriâ ad Carolum Calvum epiſtolâ. Quorum Concilij verba ſunt Capitul. 12: *Vt morem paternum ſequentes ſaltem in tribus congruentiſſimis imperij veſtri locis ſcholæ publicæ ex veſtra autoritate fiant.* Velaunodunenſis ita loquitur: *Illud vel maxime tibi æternam parat memoriam, quod famatiſſimi avi tui Caroli ſtudium erga immortales diſciplinas non modo ex æquo repræſentas, verum etiam incomparabili fervore tranſcendis, dum quod ille ſopitis eduxit cineribus, tu fomento multiplici tum beneficiorum tum auctoritatis uſquequaque provehis.* Quibus accedit, quod ijdem undiquaque viros eruditos exciverint ad publicam juventutis

Pag. 434.

eruditionem. Quodque tunc ex Hibernia & Anglia *Alcuinus, Iohannes Scotus, Rabanus Maurus, Claudius Clemens* alijque doctrina & linguarum peritia inſignes nec non philoſophiæ ſcholaſticæ gnari in Gallias tranſmigraverint. Quos inter recenſet ex Chronico Arelatenſi Vincentius Belluacenſis duos monachos (alij minus recte *Alcuinum* eorum alterum nominant) cum inſtitoribus aliquot ex Britannia in Galliæ oras appuliſſe, & in foro (locum aut urbis nomen non addunt) inter confertam mercantium ac vendentium turbam ſeſe oſtentantes proclamaſſe: *Si quis ſapientiæ cupidus eſſet, accederet, accepturus, quam venalem haberent ſapientiam.* Eoque ad Carolum delato, evocatos atque interrogatos, an & qua mercede ſapientiam venderent, reſpondiſſe, ſe promptos ac paratos etiam alijs eam impertiri. Verum Rege identidem quærente de pretio, addidiſſe tandem, *ſe loca tantum opportuna, auditores cōmodos, & in ijs vitæ ſubſidia* depoſcere. Hinc utrumque apud ſe ad tempus retinuerit Carolus; ac poſtmodū Lutetiæ Pariſiorum alteri locum & ingenuos adoleſcentes erudiendos aſſignaverit; altero in Italiam Papiam ſeu Ticinum ablegato. Hæc aliaque ſunt, quæ adducere vulgo ſolent iſti. Quanquam nec defuêre, qui contrarium defenderent. Nam quod *filiam* appellent *ſuam Pariſinam academiam* reges Franciæ, loquendi quadam conſvetudine & more fieri reponunt, cum & Græci hoc pacto Minervam Κόρην διός, & Auguſtus Imperator ſolitus ſit dicere, *ſe duas delicatas filias habere, Iuliam & Rempublicam.* Chronicon autem Arelatenſe, ex quo iſta ſua depromſit Vincentius, cum pluribus fabulis ſcateat, cumque hinc alij, & ſequentes, id ipſum quaſi per manus traditum

acce-

acceperint, negant plus fidei illis, quàm authori debe-ri: Præſertim cum Eginhardus, qui res & vitam Caroli non tantum publicam, ſed privatam quoque & familiarem accuratè ad poſterorum memoriam deſcriptam reliquit, nihil huius meminerit, Petri interim Piſani, quem in Grammaticis; & Alcuini, quem in ceteris diſciplinis præceptorem habuiſſe Carolum refert, non oblitus. Vnde exiſtimant Scholas publicas, quarum ſuperius citati Concilij Capitulum mentionē inijcit, nō Pariſijs ſed alijs in locis fuiſſe & nominatim Aquiſgrani, ubi præcipuum Caroli tum palatium fuit: qui & miræ pulchritudinis baſilicam ibidem exſtruxerat, ut indicat inter ceteros jam dictus Eginhardus. Nec etiam concedendum volunt, etiamſi è Britannia aut Hibernia viri eruditi in Gallias id ævi trāſmigraverint; ideo & diſciplinarum eos, aut Scholæ Pariſinæ authores habendos: Cum & Beda ipſe ingenue fateatur Britanniarum Gymnaſia Romanis pontificibus & Galliæ vicinæ ſuam debere originem, id præſertim agentibus Adriano Africano & Theodoro Siculo, quos eò, comitantibus è Gallia alijs, Vitalianus papa traijcere fecerat: quin & multis ante Alcuinum ſeculis ſcripſiſſe poetam:

Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos.

Vt ita refudiſſe in Gallias Britannos, quod ab ijs jam ante acceperant, nō primitus tradidiſſe potius putent: Nec aliud voluiſſe Præfationem Henirici, qui indicatus eſt, Vellaunodunenſis, cum Carolum dicat doctrinarū ſtudia *ſopitis eduxiſſe cineribus*. Et peculiariter ac ſeorſim de Academia Pariſina hoc addunt, avo nimirum Hugonis Capeti, ſucceſſorem eius & filium regem

Robertum, inter Galliæ reges doctrinæ quoque laude clarum, non Pariſijs, ſed Remis à Gerberto, quem ut admirabilem & magnum celebrant, inſtitutum: Et fuiſſe quoque ijs ſeculis celebrem *Academiam Carnutenſem* ob Fulbertum, quem *alterum Socratem* appellabant, alibique alias exſtitiſſe; Et tandem Pariſinam ſcholam illuſtrem redditam per *Hugonem*, *Richardum*, *Adamum de ſancto Victore*, *Petrum Abaielardum* Theologiæ ſcholaſticæ archegum, *Simonem Thuraium*, *Iohannem de Nivelle*, *Comeſtorem* & *Lombardum* aliosque, qui ſub Ludovico Craſſo & juniore præcipue claruerunt.

Hæc aut in hunc fere ſenſum illi. Nos etiam hoc adjjciendum vel repetendum potius ex ſuperioribus putamus, Gallos unà cum religione Chriſtiana doctrinarum ſtudia ante adventum in Gallias Francorum ad ſummum excoluiſſe. Vnde Ireneus Lugdunenſis Galliarum celebratus epiſcopus, eccleſiarum præterea cis Rhenum mentionem facit. Ipſeque nunquam ſatis laudatus Hilarius, patria Pictavienſis fuit; Perque eum, ut loquitur Hieronymus, revertentem de prælio Gallia Ariminenſis perfidiæ & ὁμοιουσίας dolum vitavit. Et poſt utrumque Athanaſius & ipſe Hieronymus Stridonenſis multo tempore Treviris, ut in loco literarum ſacris ac quieti proprie dicato, otium ſuum liberaliter tranſegerunt. Et ante hos, ne ad Druidas & illa tēpora veniam, meminit ſuo ævo Strabo Maſſilienſium, aliarumque paſſim in Gallijs civitatum, quæ dicendi magiſtros privato publicoque impendio oppidatim tantaque cura ſuſceperant, ut Romana juventus, relictis Athenis, ſtudiorum gratia in Gallias ſe conferret. Sed ipſa Strabonis verba digna ſunt, quæ etiā hoc loco

recitentur:

recitentur: *Maſſilienſium*, inquit, *inſtitutio Romanorum hodie nobiliſsimum quemque pellexit, adeo, ut, pro peregrinatione quam ſtudiorum cauſa Athenas pridem ſuſcipiebant diſciplinarum cupidi, nunc illuc ſe conferant. Quorum æmulatio Gallos quoque excitavit, ut pace per terras ſuas compoſita, ipſi otium à rebus bellicis amplectentes ad diſcendi inſtitutum animum appellerent, non viritim modo, ſed univerſim per urbes. Quippe dicendi magiſtros, quos ſophiſtas appellant, privato publicoq; impendio oppidatim ſuſcipiunt, ſalarium illis ſtatuentes perinde ac medicis.* Cicero quoq; civitatis huius diſcipliaam gravitatemque non Græciæ ſolum ſed cunctis gentibus anteponendam putavit. Et poſt hæc tempora plus integro ſeculo Cor. Tacitus in vita ſoceri ſui Iulij Agricolæ eadem refert, ubi ait, *Iulium Agricolam per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam adoleſcentiamque Maſſiliæ tranſegiſſe*, SEDE ET MAGISTRA STVDIORVM, *loco Græca comitate & provinciali parſimonia miſto ac bene compoſito, ibi* STVDIA PHILOSOPHIÆ *ultra quàm conceſſum Romano ſenatori hauſiſſe*. Hæc Tacitus. Exinde ſub Conſtantio Eumenius Rhetor, Auguſtodunenſium in Æduis Gymnaſij præclare meminit, recitata ex ea occaſione pro Scholis reſtaurandis oratione, quam non ut humano, ſed ore Muſarum dictatam docti admirantur. Hîc, inter cetera, ſe avo in oratoria profeſſione ſuccedere & ad deſita diu ſtudia recolenda poſtliminio revocari memorat, ſalvo tamen honore & dignitate, quâ apud Conſtantium *à ſacræ memoriæ magiſterio* fungebatur. Quapropter & ſalarium illi ſexcenum millium nummûm, quæ eſſent aureorum ſena millia, epiſtola ad eum miſſa veluti ſyngra-

pha Conſtantius ipſe decernit. Sed operæ eſt ſingula ex ipſa ad Eumenium Auguſtea epiſtola propius intelligere:

CONSTANTIVS IMP. EVMENIO.

Merentur & Galli noſtri ut eorum liberis, quorum vita in Auguſtodunenſium Oppido ingenuis artibus eruditur, & ipſi adoleſcentes, qui hilari conſenſu meum Conſtantij Cæſaris ex Italia revertentis ſuſcepêre comitatum, ut eorum indoli conſulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his, quam illud conferre debemus, QVOD NEC DARE POTEST NEC ERIPERE FORTVNA? *Vnde* AVDITORIO *huic, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potiſſimum præficere debuimus, cuius eloquentiam, & gravitatem morum, exactus noſtri habemus adminiſtratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ, hortamur ut* PROFESSIONEM ORATORIAM *repetas, atque in ſupradicta civitate, quā non ignoras nos ad priſtinam gloriam reformare, ad vitæ melioris ſtudium adoleſcentium excolas mentes, nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari*, CVM HONESTA PROFESSIO ORNET POTIVS OMNEM QVAM DESTRVAT DIGNITATEM. *Denique etiam ſalarium te in ſexcenis millibus nummum ex reipublicæ viribus conſequi volumus; ut intelligas* MERITIS TVIS *etiam noſtram * confluere clementiam. Vale Eumeni chariſſime nobis.*

* Vulgo, *conſtituere.*

Ab hoc deinde ſeculo ad Auſonij, Paulini Proſperique ſi ævum veniamus, quid ijs temporibus & viris in Gallia cultius? Quos & excepit continuo Eucherius Lugdunenſis epiſcopus & Arelatenſis Hilarius: Sequutique exinde Avitus & Claudius Mamertinus Vienneſis, Sidoniuſque Apollinaris Arvernorum antiſtes, nec.

nec non Rhemenſium Remigius, & Maſſilienſium Salvianus: Et tandē Lupus ille Tricaſſinus Germanuſque Autiſiodorenſis, quibus veluti aſſertoribus ipſa Britannia fidei ingenuitatem ea tempeſtate retinuit. Hinc ſtatim illa conſequuta ſunt tempora ſive temporum potius nox, ut omnes in univerſum bonæ artes aut obrutæ tenebris aut in exilium miſſæ ſolum vertere cœperint. Nam non Franci modò, ſed & Gothi Burgundique, Galliarum unuſquiſque laciniam ſibi retinebat. Et ut regnum omne impatiens eſt conſortis, ità Francis hoc præcipue ſtudio fuit, ſummaque ope anniſi ſunt, ut eiectis Burgundis Gothiſque ſoli regnarent. Hinc; ut ante ſuo loco monſtratum eſt, diutina acerrimaque atque inteſtina utrimque bella exorta, quæ gentem cum gentibus indigenaſque cum exteris commiſcuêre: Vt ita, circumquaque turbatis omnibus, nihil fuerit novi, ſi ad Boreæ & mundi axem ultimaſq; Britannias ſe Muſæ & Vacunæ ſacris operati tū cōtulerint. Nā, ut ſolet, eiuſmodi ſeculo & moribus

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur. Ennius 8 Annal.

Et ut illa tunc fuere, ita viciſſim ſub felicia mox illa Magni Caroli tempora, domitis longe lateque gentibus, redire pax, & pacis quoque refloreſcere ſtudia cœperunt. Tunc certatim è latibulis ſuis in lucem artes regredi, *& Phœbææ lampadis inſtar* caput exerere viſæ, præeunte præſertim ipſo Carolo, de quo ità * Eginhardus: *Erat eloquentia copioſus & exuberans, poteratque quidquid vellet apertiſſime exprimere. Nec patrio tantum ſermone contentus, ſed & peregrinis linguis ediſcendis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, ut æque illa ac Patria lingua orare ſit ſolitus: Græcam verò melius intelligere quam pronunciare*

* In vita Caroli M.

ciare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam didaſcali munus ſubiiſſe appareret. Artes liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis efficiebat honoribus. In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum diaconum ſenem audivit, in ceteris diſciplinis Albinum, cognomento Alcuinum, item diaconum de Britannia, Saxonici generis hominē, virum undecunq; doctiſſimum, præceptorem habuit, apud quem & rhetoricæ & dialecticæ, præcipue tamen aſtronomiæ ediſcendæ plurimum & temporis & laboris impertit. Diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſiderum curſum curioſe rimabatur. Tentabat & ſcribere, tabulaſque & codicillos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut cum vacuū tempus eſſet, manum effigiandis literis aſſuefaceret. Sed parum proſpere ſuceſsit labor præpoſterus ac ſero inchoatus. Religionem Chriſtianam, qua ab infantia fuerat imbutus, ſanctiſſime & cum ſumma pietate ac veneratione coluit, ac propter hoc miræ pulchritudinis baſilicam Aquiſgrani extruxit, auroque & argento & luminaribus, atque ex ære ſolido cancellis & ianuis ornavit. Hactenus Eginhardus. Melanchthon lib. 4 Chron. Carionis addit eum in Oſnabrugenſi collegio Græcum lectorem, dato amplo ſtipendio, conſtituiſſe. Quæ omnia oſtendunt iudicaſſe Carolum ad principis præſertim officium pertinere curā honeſtarum artiū, fundatis paſſim auditorijs & collegijs, quæ tum doctrinarum ſcholæ habebantur. Nam & ſupra Conſtantij Cæſaris epiſtolium auditorij ſolius mentionem facit, quod oratoriæ præcipue profeſſioni dedicatum ſerviebat; Et ante, cum de epiſcopis ageremus, innuimus

Pag. 436. Theologiæ ſtudium ſeorſim excultum: idque in *domo*, quam Epiſcopi appellabant. Auditorijs autem hiſce ſive ſcholis additum illis ſeculis proſcholion quoddam

videtur,

videtur, ubi morum præſertim ratio habebatur, id nimirum curante proſcholo aut ſubdoctore, ut vocat eum Auſonius Victorium eiuſmodi deſcribens in Profeſſoribus Burdigalenſibus. Spectant huc illa Ioſephi Scaligeri lib. 1 cap. 15 Lectionum Auſonianarum: *Proſcholus*, inquit, *ab eodem Auſonio redditur ſubdoctor. Erat enim in ſchola ille, qui non docendis tam pueris, quam eorũ moribus præfectus erat. Vt ſcilicet concinne ad magiſtrum accederent, ut togã componerent, ut omni geſtu, inceſſu, veſtitu compoſiti eſſent. Nam ante ſcholæ auditorium erat locus Proſcholij nomine ab auditorio ipſo velo tanquam aliquo intergerrino pariete diſſeptus. Ibi pueri conveniebant eius loci præfectum, quem proſcholum vocabant, ut admonerentur officij ſui ante, quam ad magiſtrum reducto velo accederent. Quod ſane inſtitutum non poſſam non valde commendare. Id ego didici ex veteribus puerorum colloquijs utraque lingua ſcriptis. In quibus ita loquitur puer: Vt ergo veni ad ſcalam, aſcendi per gradus leniter, ut oportebat, & in proſcholio depoſui birrum, & demunxi capillos. & ſic elevato centrone introivi, & primum ſalutavi præceptores, condiſcipulos &c. Et hoc quidem in ludo puerorum. Nam in ſchola Grammaticorum aut rhetorum videtur proſcholus non omnino docendi munere caruiſſe.* Hactenus ille. Et ut ad Carolum, vel potius ut Carolus, à quo initium ſumptum, huic diſſertioni faſtigiũ imponat, en & epiſtolam, ſive edictum eſt eius, ad omnes ditionis ſuæ literarum cultores ac religioſos: cuius hæc clauſula eſt: *Igitur quia curæ vobis eſt, ut eccleſiarum ad meliora ſemper proficiat ſtatus, obliteratam pene maiorum deſidiâ, reparare vigilanti ſtudio literarum ſatagimus officinam, & ad pernoſcenda liberalium artium ſtudia noſtro etiam invitamus exemplo.* Nunc de lingua dicamus.

CAP. XXIIII.

DE LINGVA FRANCORVM VETERI.

EXplicatis, quæ ad Gymnaſia ſtudiaque literarum ſpectabant, proximus ad linguam & idioma Francorum procinctus erit. Francos gentem, uti jam ante ſatis fuit demonſtratum, Germanicam Germanico etiam idiomate loquutam cum multis indicijs atque argumentis poſſit probari, tum manifeſto convincunt, præter appellativa Regum nomina de quibus ſupra egimus, vernacula etiã gentis vocabula, quæ ſparſim ſuis rerum Francicarum hiſtorijs authores interſerunt: ut omittam libros, qui ex bibliothecis nuper eruti, ut VVilleramus, Abbas Merſpurgenſis, Otfridus aliaque monumenta. Vocabula autem, quæ innui, ſi reſpicere libeat, ingentem eorum ſyllogen eſſet conficere, præſertim ex Legibus, quæ exſtant. Verum cum hoc ab ijs qui eas leges publicè ediderunt jã ante, & nuper quoque accurate & plena, ut ſic dicam, manu à Frederico Lindenbrogio ſit præſtitum, paucula tantum quaſi in guſtum ex Gregorio Turonenſi adducam, præſertim quia is author antiquiſſimus ſit, & res Francorum tunc temporis, cum è ſuis ſedibus, id eſt è Germania in Gallias jam primum deveniſſent, literis pertexuit.

Ait ergo Gregorius lib. 3. cap. 23: *Sed ille muneribus placatus à leodibus ſuis defenſatus eſt.* Et lib. 9. cap. 20. *Similiter*

militer convenit, ut nullus alterius leudes nec ſolicitet nec venientes excipiat. Et ibidem : *Leudes illi, qui domno Guntchramno poſt tranſitum domni Chlotarij ſacramenta præbuerunt.* Vbi *leudes* & *leodes* ſunt, quos nunc **Lieden** dicimus, homines ſeu vulgus principi ſuo obſtrictum.

Libro 4. cap. 51 : *Tum duo pueri cum cultris validis, quos vulgo ſcrammaſaxos vocant. Sax* etiam Saxonibus ceteriſque Germanis *cultrum* notaſſe ſupra fuit indicatum. Hîc vero ecquid notet vocula addititia *ſcrama*, non ſatis liquet. *Scram* quidem nobis hodieque *cicatrix*, *vibex* ſeu *vulnus cæſim inflictũ*. Et ſane eiuſmodi ex duobus, ut vocant Grammatici, ſubſtantivis compoſitio etiã locũ hic habere poteſt. Si quis autem exiſtimet vitioſam eſſe lectionem, legat is *ſcharaſax*. Vetus Gloſſarium Theutonicum a Iuſto Lipſio collectum : **Scarſahs**, novacula. Nam **Sahs** / *cultrum* notat : unde & Saxones VVidekindo. Hæc ille. Vide & adde his quæ ſupra notamus pag. 95.

Libro 5. cap. 28. : *Statutum fuerat ut poſſeſſor de propria terra, unam amphoram vini per aripennem redderet.* Idem & Regino habet, ſed clarius ad annum DX : *Hilpericus rex deſcriptiones novas per conſilium Fredegundis in omni regno ſuo fecit, ut unuſquiſque poſſeſſor de propria terra, de uno Aripenne unam amphoram vini ad partem regis daret, & de iugero modium unum* Quorum *Aripennis* non tantum Francica ſed & vetus Gallica vox eſt, *ſemi jugerum* ſignificans, etiam Columellæ eo ſenſu uſurpata, ut alibi notamus; ab **aert** ſcilicet & **pandt** noſtratibus voculis deducta. **Aert** enim *terram*; **pandt** id ſignificat quodcunque eſt certo termino modoque circumſcriptum.

Libro 7. cap. 37. *Cupæ* ponuntur pro dolijs ligneis &

vaſis grandioribus. Nos adhuc ita uſurpamus, atque hinc etiam nobis *cuper, victor*, qui nimirum vaſa eiuſmodi conficit.

Libro 9. cap. 20: *Tam in dote, quàm in* morgenegoba/ *id eſt, matutinali dono.* Nunc dicimus morgengabe & morgengabe.

Lib. 9 cap. 38: *Cum duabus pateris ligneis, quas vulgo Bacchinon vocāt.* Vbi *Bacchinon* noſtrates adhuc agnoſcāt pro poculis ſeu pateris. Quamvis nos hodie contractius back & becker / vas potorium ſeu poculum dicimus & *Mactram* backtrech.

Vrbem Argentoratenſem lib. 10 cap. 19 & alibi *Strataburgum* Francis vocatum ait: *Qui ſtatim ad Argentoratēſem urbem, quam nunc Strataburgum vocant, deductus &c.*

In Teſtamento Remigij, quod ſupra poſuimus, *Piſchofesheim* ſive Biſchofesheim pro *domo Epiſcopi*, lingua Frācorum legitur: *Cum duabus villis, quas Ludovicus* (Chlodoveū intelligit) *à me ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus, amore nominis mei, Piſcofesheim ſua lingua vocatis, mihi tradidit.*

Huc pertinet quod Lotharius Francorū rex periclitāti in Saxonibus filio Dagoberto opē ferens, quū ad Viſurgim amnē veniſſet, & detractâ galea nudaſſet caput jam prorſus canum (nā agnoſci cupiebat, quo ſui præſentia metū hoſtibus incuteret) Berchtoldus Saxonum princeps, rege ſtatim agnito, *ò vetulum*, inquit lingua ſua, *& canū iumentum adeſſe hic?* Qua verborū cōtumelia ſic eſt cōmotus Lotharius, ut non expectatis copijs ſuis, quas præceſſerat, cum cohortibus filij fluvium tranſiret, & conviciatorem invaderet, ac in fugam verſum tandem obtruncaret. Vnde ſatis liquet Francorum & Saxonum idioma inter ſe affine fuiſſe. Nam, ut eſt in anna-

annalibus, Barchtoldus Saxo barbara voce,id eſt, ſua ut dixi vernacula id inclamaſſe memoratur, atq; hinc commotum Lotharium,percepto nimirum convicio. Quod non potuiſſet, ſi linguam Saxonum non intellexiſſet. Convicij formula & ratio apud Danos adhuc obtinet, qui vulgo ſua lingua hominē ſenem probroſe volentes excipere **thet gammel egh**/id eſt, *hoc vetulum jumentum* ſolent dicere.

Narrat Eginhardus Carolum Magnum duodecim menſibus & ventis vocabula iuxta propriam linguam impoſuiſſe. Hæc autē vocabula à noſtrate hodie idiomate non ſunt prorſus aliena. Verba Eginhardi ſunt: *Menſibus juxta patriam linguam nomina impoſuit, quum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus proprijs inſignivit, quum prius non amplius quam vix quatuor ventorum vocabula invenire poſſent. Menſium quidem* Ianuarium *appellavit* **Wuntchermonat**/Februariū **Hornung**/ Martium **Lentzmonet**/ Aprilem **Oſtermonet** / Majum **Wunnemonet**/ Iunium **Brachmonet**/ Iulium **Heumonet** / Auguſtum **Aernmonet** / Septembrem **Herbſtmonet**/ Octobrem **Wynmonet** / Novembrē **Windtmonet** / Decembrem **Heiligmonet.** *Ventis verò hoc modo nomina impoſuit, ut* Subſolanum *vocaret* **Oſtrenwindt** / Eurum **Oſtſunderen**/ Euroauſtrum **Sundoſtren** / Auſtrum **Sundren** / Auſtroafricum **Sundweſtren**/Africum **Weſtſundren** / Zephyrum **Weſtren** / Corum **Weſtnordren** / Circium **Norduueſtren** / Septentrionem **Nordren** / Aquilonem **Nordoſtren**/ Vulturnum **Oſtnordren.** Hæc Eginhardus, addens eundem Carolum barbara & antiquiſ-

In vita Caroli M.

 ſima

ſima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, ſcripſiſſe, memoriæque mandaſſe; quin & inchoaſſe grammaticam patrij ſermonis. Vnde mirari ſubit, qua nonnulli mente tradiderint, cœptam demum in Germania paulo poſt imperium Frederici ſecundi, anno ſcilicet 1231. linguam Germanicam excoli Latiniſque characteribus exarari. Nam & jam ante haud ineleganti Latino carmine mixtâ idiomatis ſui proſâ volumen ſub Henrico 3 anno domini 1070 de nuptijs Chriſti & eccleſiæ in Cantica Canticorum compoſuit VVilleramus Abbas. Quod & typis Plantinianis nunc editum exſtat operâ CL v. Pauli Merulæ, auſpice ampliſſimo clariſſimoque Pancratio Caſtricomio, urbis Groningenſis Syndico. Otfridus autem VVeiſſenburgenſis monachus pluſquam ſeculo anterior, ſub Ludovico Germaniæ rege Pij F. Magni N. Evangelium Francica lingua rhythmice ſcripſit atq; interpretatus eſt. Qui liber, cum rarus ſit nec in omniũ verſetur manibus, guſtum eorundem rhythmorum nonnullum hic dandum judicavi: idque præſertim ijs verſibus, in quibus laudes decantantur Francorum.

Verderius Var. lect. lib. 5.

RHYTHMI ALIQVOT OTFRIDI, continentes Francicæ gentis laudes, linguâ Francicâ cum interpretatione eorundem.

SIe ſint ſo ſame chuani/
Selb ſo thie Romani/
Nu tharf man thaz ouch redinon/
Thaz Kriachi mes giuuideron.

Sie

Sie eigun in zi nuzzi/
So ſam alichô uuizzi.
In felde ioh in uualde/
So ſint ſie ſama balde.
Rihiduam ginuagi/
Ioh ſint ouh filu chuani/
Zi uuafane ſnelle/
So ſint thie thegana alle.
Sie buent mit gizingon/
Ioh uuarun io thes giuuon.
In guatemo lante/
Bi thiu ſint ſe vn ſcante.
Iz iſt filu feizzit/
Harto iſt iz giuueizzit.
Mit manigfalten ehtin/
Ni'ſt iz by unſen frehtin.
Zi nuzze grebit man ouh thar/
Er inti kuphar.
Ioh bi thia Meina/
Iſinet ſteina.
Ouh thara zua fuagi/
Silabar zi nuagi:
Ioh leſent thar in lante/
Gold in iro ſante.
Si ſint faſt muate/
Si managemo guate.
Si manageru nuzzi/
Thaz duent in iro wizzi/etc.

SVPERIORVM QVALISCVNQVE interpretatio, linguâ Belgicâ.

SI ſint koanen,
  Selfals Romaonen.
1noyt † Ni darfman dat ook vertellen,
  Dat Griecken haer darfden quellen.
Si hebben hen te nutte,
  So tameliken * witte.
*id eſt verſtand. In velde, en ook in * Walde,
*al. woude So ſint ſi lijke * balde.
*al. boude. Mit rijcdom genoege,
  Si koenlijc hen voegen.
Ter Wapen ſnelle,
  Sint de * degen alle.
*id eſt, vromen. Si ſint mit zegen mitter Woon,
  En waren des gewoon.
In goeden lande,
  Bi dien ſintze ſonder ſcande.
Het is ſeer vet,
  En Wel beſ.t
Mit menguuldig' ehtin,
  En iſt bi vnſen frethin.
Te nutte graeftmen ook daer,
  Metael ende coper.
Ia bi de Meene,
  Den Iſnet ſteene.
Ook daer ter voege,
  Silver genoege.
Ia leſen daer int land,
  Goud in haren ſand.

Si ſint vaſt te moede,
Tot menigen goede.
En tot menigen nutte,
Dat does hem hare witte, &c.

ET PAVLO POST DE SCRIPTIO-
ne Evangelij, Francica lingua.

GJdan iſt es mi redina/
Thaz ſie ſint guate thegana.
Ouh Gote thiononte alle/
Joh vuiſduames folle.
Nu vuil ih ſcriban unſer heil/
Evangeliono deil.
So vuir nu hiar bigunnun/
In Frenkiſga zungen.

INTERPRETATIO.

GEdaen is mijn redene,
Dat ſy ſint goede geſellene.
Ook God dienend' alle,
In des Wijſdoms volle.
Nu Wil ic ſcriven ons geluck,
Des Evangeliums Stuck.
So Wi nu hier begongen,
In Franſche tongen.

ORATIO DOMINICA EX OTFRI- do lingua Francica veteri.

Pater noſter.

FAter unſer guato/
  Biſt Druthin thu gimuato.

Qui es in cælis.

In himilon io hoher/
  Vuih ſinamo thiner.

Santificetur.

Adveniat.

Bigueme uns thinaz richi/
  Thaz hoha himmilrichi.
Thara uuir zua io gingen/
  Joh emmizigen thingen.

Fiat voluntas.

Si uuillo thin hiar nidare/
  So er iſt ufan himmile.
In erdu hilff uns hiare/
  So du Engilon duiſt nu thare.

Panem noſtrum.

Thia dagalichun zuthi/
  Gib huitu uns mit ginucht.
Jo ſollon ouh theiſt mera/
  Thimes ſelbes lera.

Remitte nobis.

Sculd bilaz uns allen/
  So unir ouch duan buollen.
Sunta thia uuir thencken/
  So emmuzigen uuirken.

Ne nos inducas.

Ni firlaze unſich thih iniara/
  In thes uuidaruu erten fara.
Thas uuir ni miſſigangen/
  Thar ana ni bifallen.

Libera nos

Loſi unſi io thanana/
  Thas uuir ſin thine thegana.

Amen.

Joh mit ginadon thinen/
  Then uuewon bimiden.

Obſer-

Obſervanda in his tam ea, quæ à ſermone nunc noſtro divertunt, quàm & illa quæ eundē referunt. Eiuſmodi, præter alia, ſint,

Giwideron / adverſari.

Wizz & **witte** / prudentia. *Nobis hinc* **wittich** & **alwittich** / omniſcius *Item* **wittevrouve** & **wittikewijf**/mulier ſciola, maga, *ſaga & incantatrix.*

Rihiduan/**richdom**/divitiæ.

Thegane/nobis **dienar**/ famulus. *Item* **Thegā**/ **degen** probus. *Nos hinc* **degēlyck** & **degelyc.**

Guateno/ **goede** bonus.

uno ana/ *eſt* ſine. *nobis* **ſonder**. *quamvis &* **one** & **ona** *Germanorum quorundam dialectus adhuc retinet.*

Harto & **filu**/ *utrumq; noſtras eſt vocabulū. Frequētius tamen nobis* **zeer** & **wel**. i. valde, multum.

Ethin / & **Ettinge** *nos,* paſcua.

Er/ferrum, *nos* **yſer** *Dani hodieque* **iern**.

Druthim/ *quaſi* **truuſtin** *ſide et. nobis* **Gott**. *eid Ottfrido,* **Druthines haus**/ *Dei domus,* ædes ſacra. *Daniæ borealioribus populis adhuc uſurpari alibi dixiſſe memini.*

Vuihſi/ *id eſt,* ſanctum ſit. **wye**/**wyh**/**wih**. i. **heylich**/ſacer. **wiē**/ **wyhen**/ **wieden**/ *dedicare, ſacrare, pugnare, luſtrare.*

Zuthi / **taegelich zuthi**/ **daegelycſe broot**/ quotidianus panis, vict⁹, omne genus alimonia. *Nos adhuc veſtigiū vocis retinemus in vocabulo* **zuthelaer** & **zuthelaers**/ *qui nobis ij dicuntur qui belli tempore, ut inſtitores, cōmeatum omniaq; ad vitam & victū neceſſaria in caſtra ſolent ſubvehere. Diodorus Siculus, quod alibi indicavimus* Zythum *Gallorum eſſe vocem agnovit.*

Inter hæc&alia,quæ apud authores hoſce occurrunt, multa ſunt,quorum præcipua eſt in orthographia difficultas. Nam fere ſemper, ut hoc obiter dicam, *ch* per ſimplix *h* ſolent ſcribere: & w duplex per triplex, ut wuuillo quod nobis wille. De qua ut inæquabili ita difficili ſcribendi ratione ipſe Otfridus in prologo Evangeliorum à ſe in linguam hāc tranſlatorum hunc in modum, inter cetera, præfatur: *Huius linguæ barbaries, ut eſt inculta & indiſciplinabilis atque inſueta capi regulari fræno Grammaticæ artis, ſic etiam in multis dictis, ſcriptu eſt propter literarum aut congeriem aut incongruam ſonoritatem difficilis: nam interdum tria uuu ut puto, quærit in ſono, priores duo conſonantes, ut mihi videtur, tertium vocali ſono manente. Interdum vero nec* a, *nec* e *nec* u, *vocalium ſonos præcavere potui. Ibi v Græcum vidabatur adſcribi, & etiam hoc elementum hæc lingua horreſcit, interdum nulli ſe characteri, aliquotiens in quodam ſono niſi difficile jungens.* K *& z ſæpius hæc lingua extra uſum Latinitatis utitur, quæ Grammatici dicunt inter literas eſſe ſuperfluas. Ob ſtridorem autem dentium, ut puto, in hac lingua* z *utimur,* k *autem ob faucium ſonoritatem.* Huc etiam reſpexiſſe videtur longe ante Otfridum Childericus Francorum Rex, de quo Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 44. ita loquitur: *Scripſit alios libros idem rex verſibus, quaſi Sedulium ſecutus: ſed verſiculi illi nulli penitus metricæ conveniunt rationi. Addidit autem & literas literis noſtris, id eſt ω ſicut Græci habent,* ae/the/uuui *: quarum charecteres ſubſcripſimus hi ſunt:* Θ. Ψ. Ζ. Π. *Et miſit epiſtolas in univerſas civitates regni ſui, ut ſic pueri docerentur, ac libri antiquitus ſcripti, planati pumice reſcriberentur.*

Eadem omnino ratio & ſcriptionis & ſermonis videtur, quantum colligi poteſt, quo Tatiani Syri Harmonia

monia IV Evangeliorum in eandem hanc linguam olim tranſlata eſt. Qua quidē interpretatione Tatiani Theutonicâ Bonaventura Vulcanius (apud quem, cum viveret, exemplar ipſum ſervabatur) nullum in eo genere exſtare ſcriptum antiquius credidit. Cum itaque tria quatuor illius Harmoniæ capita cum eadē, de qua jam dixi, verſione, meas in manus venerint, hiſce ordine ut inter ſe conferri ſingula queant, adiungam.

TATIANI SYRI HARMONIA IV Evangeliorum, lingua Teutonica veteri.

BIthiu wanta manage zilotun
oꝛdinon ſaga thie in uns
giſulta ſint rahhono;
ſo ons ſalthun thie thar fon anaginne
ſelbon giſahun/inti ambahta warun woꝛtes:
was mir giſehan gifolgētemo fon anagiune allen
gernlihho after antreitu thir ſcriben thu bezziſto
Theophile/thas thu foꝛſtantes thero woꝛto
fon thene thu geliret biſt war.

INTERPRETATIO.

Quoniam quidem multi conati ſunt
ordinare narrationem quæ in nobis
completæ ſunt rerum,
ſicut tradiderunt nobis qui ab initio
ipſi viderant, & miniſtri fuerunt ſermonis:
viſum eſt mihi aſſecuto a principio omnibus
diligenter ex ordine tibi ſcribere optime
Theophile, ut cognoſcas eorum verborum
de quibus eruditus es veritatem.

Cap. I.

In anaginne was wort/
inti thaz wort was mit Gote.
inti Got ſelbo was thas wort/
thaz was in anaginne mit Gote.
allin thuruh thaz wrden gitan/ (was.
inti uzzan ſin ni was with gitanes thaz thar gitan
thaz was in imo lib/
inti thaz lib was hoht manno/
inti thaz lioth in finſtarniſſen leuhta/
inti finſtarniſſen thaz ni begriffun.

Interpretatio.

In principio erat verbum,
& verbum erat apud Deum,
& Deus erat verbum.
hoc erat in principio apud Deum.
omnia per ipſum facta ſunt,
& ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.
in ipſo vita erat,
& vita erat lux hominum,
& lux in tenebris lucet.
& tenebræ eum non comprehenderunt.

Cap. II.

Was in tagun Herodes thes cuninges Judeno ſumer
Biſcof namen Zacharias/ fon temo wehſale
Abiaſes/ inti quena imo fon Aarones tohterun.
inti ira namo was Eliſabeth.
Siu warun rechtiu beidu fora Gote.
gangenti in allen bibotun/
inti in Gotes rethfeſt in uzzan laſtar.
inti ni war in ſun, bithiu wanta Elizabeth was

unberenti/ inti beidu ſram gi ziendun in iro tagun.
Ward tho mit thiu her in Biſcofheite giordinot was
in antreitu ſines wehſales fora Gote after
gewonu thes Biſcof heites: tirlozze fram gieng thaz her
wihrauh branti ingangenti in Gotes tempal.
inti althiu menigi was thes folkes uzzi betonti in thero
ziti thes rouhennes. Araugta ſih imo Gotes engil
ſtantenti in zeſo thes altares thero wihrouch brunſti.
thanan tho Zacharias ward gitroubit thaz ſehenti/
inti forhtana fiel ubar inan. quad thozi imo ther engil:
Ni forhti thu thir Zacharias/ wanthagihorit iſt
thin gibet. inti thin quena Elizabeth gibirit thir
ſun/inti nennis thu ſinan namon Johannem.
inti her iſt thir giſeho inti blidida/inti manage in
ſinero giburti mendent. her iſt warlicho mihhil
fora truhtine. inti win noh lidiri trinhit.
inti heilages geiſtes wirdet gefullit fon hinan fon reve
ſinero muoter. inti manage Iſraheles barno giwerbit
zi thruhtine Gote iro. inti her ferit
fora inan in geiſte/inti in megine Elias es.
thaz her giwente herzun fatero in kind/
inti ungeloub folle zi wiſtuome rehtero.
garwen truhtine thuruhthigan folc.
Inti quad Zacharias zi themo engile. Wanan weiz ih thaz?
Ih bin alt/ . . . . . iſt gigangan in ira tagun.
Tho . . . . imo: Ih bin
Gabrih . . . . bingiſentit
zi thir thiſu thir ſagen. Inti nu wirdiſt thu ſuigenti:
inti ni maht ſprehhan unzan then tage in themo thiſu
werdent. bithiwanta thu ni giloutos minen worten/
thin thar gifulta werdent in iro ziti.
Inti was thaz folc beitonti Zachariam/
inti wontotun thaz her lazzeta in templo.
her uzgangenti ni mohta ſprehhan zi in.
inti forſtuontun thaz her geſiht giſah in templo.
her was bouhnenti in thuruh woneta ſtun.
inti gefulte wirdun tho thaga ſines ambahtes.
giengin ſin hus. After then tagen
intfieng Eliſabeth ſin quena. inti tomgihta ſih
ſinf manoda/quedenti: Wanta ſus teta mir
trohtin in tagon in then her geſcouwota arſtran-
nemano intiuuis/untar mannon.

& incredibiles ad prudentiam iſtorum.
parare Domino plebem perfectam.
Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc ſciam?
Ego ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus.
Et reſpondens Angelus, dixit ei: Ego ſum
Gabriel qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui
ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens,
& non poteris loqui, uſque in diem quo hæc
fiant. pro eo quod non credidiſti verbis meis,
quæ implebuntur in tempore ſuo.
Et erat plebs expectans Zachariam,
& mirabantur quod tardaret ipſe in templo.
egreſſus autem non poterat loqui ad eos.
& cognoverunt quod viſionem vidiſſet in templo.
& ipſe erat innuens illis & permanſit mutus.
& factum eſt ut impleti ſunt dies officij ejus,
abijt in domum ſuam. Poſt hos autem dies
concepit Elizabeth uxor ejus. & occultabat ſe
menſibus quinque, dicens: Quia ſic mihi fecit
Dominus in diebus quibus reſpexit auferre
opprobrium meum inter homines.

Cap. III.

In themo ſehſten manode giſentit ward engil
Gabrihel fon Gote in thie burg Galileae/
thero namo iſt Nazareth; zi thiornum gimahaltero
gomanne themo namo was Joſeph/ fon huſe
Davides; inti namo thero thiornun Maria.
Inti ingangenti ther engil zi iru quad: Heil wis thu
gebono follu/ truchtin mit thir/ giſegenot ſis thu in
wibon. Tho ſiu thiu giſah/ was gitroubit
in ſinemo worte/ inti thahta welih wari thaz
wolaqueti. Quad iru ther Engil: Ni forhti thir Maria,
Thu fundi huldi mit Gote. Seno nu inphahis
in reve/ inti gibiris ſun, inti ginemnis ſinan namon,

Heilant

zi gimunt ſgonne ſinero miltida.
Do her ſprah zi unſen fateren,
Abrahame inti ſinemo ſamen zi werolti.
Wonata Maria mit ſin nah thri manoda/
inti warb zi ira hus.

EADEM LATINE.

In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Domino in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Davidis; & nomen virginis Maria. Et ingreſſus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait angelus ei, ne timeas Maria. Inveniſti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Ieſum. Hic eſt magnus, & filius altiſſimi vocatur. & dat ei Dominus ſedem Davidis ſui patris. & regnabit in domo Iacob in æternum. & regni ejus non erit finis. Dixit Maria ad angelum: Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco. Reſpondens angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. ideo quod naſcetur ſanctum vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabet cognata tua. & ipſa concepit Filium in ſenectute ſua, & hic eſt menſis ſextus illi quæ vocatur ſterilis. quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.

 Tunc

Tunc dixit Maria: Ecce ancilla Domini; fiat mihi
ſecundum verbum tuum. & diſceſſit ab illa angelus.
Exurgens Maria in diebus illis abijt
in montana cum feſtinatione. in oppidum Iudæ,
& intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit
Elizabeth. & factum eſt ut audivit ſalutationem
Mariæ Elizabeth; exultavit infans in utero eius.
Tunc impleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth
exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta ſis tu
inter mulieres, & benedictus ſit fructus
ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat
mater Domini mei ad me? Ecce enim ut
facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis:
exultavit in gaudio infans in utero meo. & beata
quæ credidit; quoniam perficientur quæ dicta
ſunt ei à Domino & ait Maria:

Magnificat anima mea Dominum,
Et exultavit ſpiritus meus in deo ſalutari meo.
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Qui fecit mihi magna potens eſt,
& ſanctum nomen eius.
Et miſericordia eius in progenies
& progenies, timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio ſuo,
diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.
Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.
Suſcepit Iſraël puerum ſuum,
memorari miſericordiæ ſuæ.
Sicut loquutus eſt ad patres noſtros,

Abraham & ſemini eius in ſecula.
Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus,
& reverſi eſt in domum ſuam.

Hanc Tatiani verſionem prolixius adieci, ut cum antecedentibus contendi queat imo & lexici quaſi vice eſſet, accedente præſertim verbotenus Latina interpretatione. Nos enim nunc paucula tantum ex ſingulis Capitibus excerpſimus, ad alia feſtinantes:

Cap. 1. Zilotun occurrit pro, *conati ſunt*. Kero, *ſtudeat* zilee, *ſtudere*, cilē. ſaga/ *narratio* eſt, nos geſegge aut geſage dicere poſſemus. Giſulta/ pro vervulte / *completa*. Rahhona/ *rerum*, forte à racken/quod res aliquē tangant. Kero *rerū* rahono. Anaginne/Kero, anakinne/ *initio*. Ambahta/*miniſtri*. Hinc nobis ambacht /*officium*, *munus*, etiam *præfectura*; nam & Ambachtſ-heerē/ *illuſtres* ſunt *viri*, penes quos eſt ſumma rerum in municipijs & territorijs. Cæſar uſus eſt ut vocabulo priſco Gallico, lib. 6. de bello Gall. *Vt quiſque eſt genere copijſque ampliſſimus, ita plurimos circum ſe ambactos clienteſque habet. Hanc unam gratiam potentiamque norunt.*

Cap. 2. Finſtarniſſen/*tenebræ*. Hodie adhuc retinēt Germani. Wehſale/ & infra, in antreitu ſines wehſales. Kero/*vices*, wehſal. Forte à wiſſelē & werſelen/ quod *vices* permutentur. Quena, uxor. Dani hodieq; quine dicunt, Angli quene. Bibotun/nunc geboten/ *mandata*. Laſtar/ *querela*. Nunc laſter/ *convitium, vituperatio & calumnia* intelligitur. Unberenti / *ſterilis*. Hodie onvruchtber. Onberenti autem ab on privativo, & beren/ quod *geſtare*, *ferre* hodieque Danis eſt. Vnde & berie & berrie nobis *feretrum*. Onberende ergo, quaſi *nō ferens*, fructum puta aut uterum. Barno/

filij,liberi. Anglis adhuc & Danis eo ſenſu uſurpatur. eſt autem à **baeren**/quod eſt *generare*. **Thruthine** *dominus*. De quo ante. **Garvan** *parare*. In Lipſij Teutonico lexico eſt **Gervvon**, *parare*. Hinc **Gerf-camer** hodieque nobis *locus*, ubi quid *agitatur* aut *diſquiritur*. **Gote**/ *Deus*. nobis hodie **Gode**/& **guet** / *bonus*. Deus enim bonus. Danis autem **guet** ſimiliter *Deus*; **God** vero quod nobis *Deus*, illis *bonum*.

Cap. 3 **Burg**/*oppidum*.inde nobis **burg-wall. Thiornum**/*virgo*. hinc nobis **Deerne**/*miniſtra,famula,puella*. **Volaqueti**/ *ſalutatio*, à **quiten**/& **queken** / quod tamen in malā nunc partē accipitur. Infra **helſrunga**, *ſalutatio*, Danis hodieq; frequentatur. **Gommannes**/ *vir,maritus*. Vtitur & Otfridus eodem ſignificatu. Kilianus, **Goman**/**Gomman** vetus Germanicū, *maritus, paterfamilias*. **Mogin**/ *virtus*. à **mogen** & **vermogen**/ *poſſe*. **Reve** / *uterus*, Danis hodie non illam corporis anticam ſed poſticam partem notat.

Cap. 4 penes me ſervatur;ibi **Quadun zi iru**/*dixerūt ad illam*. De verbo jam dictum. **Zi** pro **zu**/adhuc in uſu Germanis. Nos mutamus z in T. **In deſe cunne**/*in hac cognatione*. Danis hodieque **menniſlige**, **cun**/ eſt, *humanum genus*. De quo alibi dixiſſe memini.

Hæc atque eiuſmodi Francorum veterum lingua, hoc idioma fuit, non modò cum jam è Germania & ſuis ſedibus in Gallias irruerent, verum etiam multo poſt, Caroli inquam & nepotum eius ſeculo. At,inquies,quânam ergo tum linguâ ipſi Galli locuti? Galli,utpote Romanorum provincia, Romanam acceperant; quomodo & ceteræ omnes, ut Rhetia prima ſecundaque; Noricum & Pannonia; Germania ciſrhe-

nana

nana cum ſuperior tum inferior. Studio enim Romanis fuit, ut provinciales jam ſubacti Romane loqui addiſcerent, quo ita per linguæ præſidium obſequentiores ac faventiores haberent. Nam inter diſſimiles linguâ, quæ nam firmiter coaleſcere amicitia poteſt? Vnde Auguſtinus: *Data eſt opera, ut civitas imperioſa non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis imponeret.* Lib. 19. c. 7. de Civit. Dei. Quod Plinius lib. 7. cap. 5 beneficentiam interpretatur, in laudibus Italiæ ita loquens: *Populorum diſcordes feraſque linguas ſermonis commercio contraxit ad colloquia, & humanitatem homini dedit.* Qua & occaſione, de *Gallis* agens Strabo Auguſti jam ævo, *negat dicendos eos ultra barbaros*, utpote *mutatos in Romanum morem & lingua & vita, quoſdam & civili gubernatione.* Idemque de *Hiſpanis*: *Qui ad Bætim colunt, plene planeque converſos in Romanos ritus, adeo ut nec ſermonis ſui patrij meminerint.* Et de *Pannonijs* Velleius Paterculus: *In omnibus Pannonijs non diſciplinæ tantum, ſed linguæ quoque notitia Romanæ.* Auſonius ſimiliter Burdigalenſis Moſellam, amnem Germaniæ Ciſrhenanæ ſeu primæ *Belgicæ* deſcribens, tractumque eum miris extollens laudibus, tandem ab eo quoq; commendat, quod Romano ſermone utatur, ſic autem canit,

Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.

Vocat ecce Provincialem ſermonem, æmulum Latiæ ſeu Romanæ linguæ. Quæ, ut eo nunc veniamus, dum adeò per gentes diffuſe ac varie ſpargitur, diſperſa & ipſa ac variavit. *Vites arboreſque*, inquit ille, *tranſlatæ degenerant*, cur non & ſermo? Factum hinc ergo ut ea, quæ gratiam & venerem ſuam, cum primum aſſumerentur, haberent, poſtea obſordeſcerent & in deſpectum venirent.

rent. Et nonne id jam huic, de qua diximus, provincialium Romanæ linguæ, Carolo adhuc vivente, evenit? certe evenit. Et exſtat canon Concilij Turonenſis, in quo provincialium ſeu Gallorum lingua, quaſi viliorum *ruſtica Romana* tum appellata, Francorum, id eſt, honeſtiorum ac nobilium, *Theodiſca*. Ita enim habet canon: *Epiſcopus homilias apertè transferre ſtudeat in ruſticam Romanam linguam, aut Theotiſcam, quo facilius poſſint cuncti intelligere. Ruſticam Romanam* dicit, ut intelligatur varie tum mutatam & à priori elegantia ac puritate alium colorem & ſuccum imbibiſſe, transfuſam nimirum per tot canales gentium. Nam primo cum eam à Romanis Galli acciperent, ſane ſuam, de qua ſtatim addemus, Galli habuerunt. En primus flexus & inclinatio. Hinc Gothi, Burgundi, Alemani, & mox ipſi Franci, quantum mutationis & fecis addidêre! ut vere genius omnis priſtinuſque vultus tum ſit deperditus, & aſſumptâ peregrinâ cum inflexione tum phraſi, ipſa quoque peregrina & nova nunc habenda. Nec id de Gallica modo ſed Italica quoq; & Hiſpanica ſtatuendum, quæ ſingulæ antiqui nunc Latij nothæ ſunt filiæ Germaniſmo Gothiſmoque varie obfuſcatæ. Et ne ſine teſte vel autoritate hæc loqui videar, attexā in hanc rem teſtimonium Iulij Cæſaris Scaligeri, qui in Præfatione ad neſcio quem Theſaurum de lingua hodierna Gallica ità cenſuit: *An ignoras*, inquit, *linguam veſtram, quâ nunc utimini, Latinæ linguæ abortum eſſe, quemadmodum & Italicam & Hiſpanicam? Materia namque è Latio eſt forma depravata, infarctis adſpirationibus, diſtortis vocalium ſonis ad difformes diphtongos: adeo ut ne nunc quidem quibus elemētis ſcribatis inter vos conſtet. Quanto purius ſuam Suiceri, qui*

nullam

nullam diphtongum norunt. Adhæc accentus & quantitates adulterata, devorata conſonantes in pronunciatione, in qua ſi eſt intellectio, cur non erit idem jus in ſcriptura, quæ illis careat quibus & vox? De flexionibus nihil dico, propius enim ad Germanum accedunt ſonum, unde & Franci ducunt originem. Age ſane ſi ad victus quidpiam vel ad arma neceſſarium petatis, quarum duarum rerum feliciſſimarum perquam eſtis ſtudioſi, Latine poſcendum eſt, piſcis, caro, panis, vinum, ſpatha, ſcutum, lancea, caballus, coriacea; ſic enim à corio, quemadmodum illi à loris loricam. Nam quod à Græcis quidā inſani deducunt vos propter Druidas, riſum ſæpe commorunt acutioribus judiciis inconſiderati. Hæc ille, materiam ſcilicet, id eſt, verba & voces hodiernæ linguæ Gallicæ Latinorū eſſe indicans, phraſim vero & formā totamq; inflexionē Germanorum. Et ità ſane res habet. Nā haud aliter hodie Galli quam ipſi Germani Belgæque omnes per *ſum* & *habeo* animi ſui ſenſa effari valent; Exempli gratia Latinus dicat, *tu feciſti*, idq; ſi imitandum Gallo ſit, dicet totidē eiuſdemque, qua Germanus, formæ vocibus, *vous avez fait*: Germanice enim id, **du habſtes gedaen**. Cuiuſmodo dicendi rationem Latinitas neutiquam patitur; Quis enim Latinè dixerit, *tu habes illud factum?* Iam quomodo ipſa Gallica vocabula maxima parte facta ſint ex Latinis integro lexico demonſtrari poſſit, & fecit id olim doctiſſimus ille Gallorum Robertus Stephanus in Gallica ſua Grammatica; nos in exemplum paucula quædam adducemus.

A verſum in E: ut Æſtas, *eſté* Ala, *Aile*. Bonitas, *bonté*. charitas, *charté*. ſal, *ſel*. A in I. Ceraſū, *ceriſé*. vacuus, *vuide*. A in OV, Tāgere, *toucher*. A in EA, ut aqua, *eaue*. A in AI diphtōgū ut, acer, *aigre*. dama, *daim*. faſcis, *fais*. amare,

 aimer.

aimer. Facere,*faire*. Lana,*Laine*. Area,*aire*. Fames,*faim*. Vanus, *vain*. &c. A in AV. Aliquis,*aulcun*,factum eſt ex *aliquis unus*. Alter,*aultre*. Altus,*hault*. Calidus,*chaud*. Falſus,*faulx*. A in OV. Aperire,*ouurir*. Apertus *ouuert*. A in O, vel in OV. Audire,*ouir*. Auricula, *oreille*. Aurum, *or*. Aurifaber, *orfeure*. Avis *oiſeau*. Cauda, *coue* vel *queue*. Claudere, *clorre*. Clauſtrum,*cloiſtre*,&c.

B. in C: Cubare,*coucher*. Cubile, *couche*. B. in F: bubalus, *boufle*. Trabs,*trefs* B. in G. Ruber, *rouge*. B. in P. lambere,*laper*. Turba,*troupe*. B. in V. caballus, *cheval*. debitus,*deve*. Ebrius,*yvre*.

C in CH, Bucca,*bouche*. muſca,*mouche*. peccatum,*peché*. C. in G, acuere,*aguiſer*. acutus, *agu*. locus, *loge*. Ficus,*figue*. C. QV, bellicus,*belique*. Coquus,*queu*. C in T, cognoſcere, *cognoiſtre*. creſcere,*croiſtre*. paſcere,*paiſtre*.

D in C. vel CH,expedire,*depeſcher*. impedire, *empeſcher*. D. in G. hordeum,*orge*. Iudex,*iuge*. Iudicare,*iuger*. vindicta, *vengeance*. D in L,Egidius,*Gile*. D in M, amaritudo, *amertume*. incus, incudis, *enclume*. D in T, plaudere,*ploter*.

E in A, Mercari,*Marchander*. Sapiens,*Savant*. vidēs, *voyant*. E in EI diphtongum, Avena, *aveine*. Plenus, *plein*. Frenum,*frein*. Ren, *Rein*. Ingenium,*engein*. E in EV, conceptus, *conceu*. debite, *deument*. E in I, cera, *cire*. Legere,*lire*. Tegula, *Tuile*. Lectus, *lict*. Ebrius, *yvre*. precari,*prier*. E in IE, fel,*fiel*. Ferus,*fier*. Petrus, *Pierre*. E in O, ergo,*or*. debeo, *ie doy*. Sericum,*ſoye*. Rex, *Roy*. lex, *loy*. hæres, *hoir*. Tela, *toyle*.

G. in C. vel CH, Gingiva,*gencive*. Mungere, *Moucher*. tangere, *toucher*. G in D, cingere, *ceindre*. Spargere, *eſpardre*. Fingere,*feindre*. pingere, *peindre*. Tingere, *teindre*.

ungere

ungere, *oindre* & infinita alia.

I in A, lingua, *langue*. I in E, circulus, *cercle*. Epiſcopus. *Eueſque*, Infans, *enfant*. vitulus, *veau*. litera, *lettre*. I in EI, Mirabile, *Merveille*. Vigilia, *veille* I in EV, viſus, *qui eſt veu, vevè*. I in G, Abbreviare, *abbreger*. ſomnium, *ſonge*. Simia, *ſinge*. I in OI, bibere, *boire*. Fides, *Foy*. digitus, *doigt*, & alia perplurima. I in V, Fimentum *fumier*. Primarius, *prumier*.

L in R, Apoſtolus, *Apoſtre*. Epiſtola, *Epiſtre*. Luſcinia, *Roſcignol*. L in T, Anſula, *anſette*. palliolum, *palleto*.

M in N, Mappa, *nappe*. Matta, *natte*. aliquando abijciunt M, veluti à lambere, dicunt *laper*.

N in M, Fœmina, *femme*. ſomnus, *ſomme* vel *ſommeil*, unde *aſſommer*. Vindocinum, *Vendome*. N in V, conſtare, *couſter*. Sponſare, *eſpouſer*. conſuere, *coudre*. Sponſus, *Eſpoux*. conventus, *conuent*. aliquando abijcitur N, ut à manſio, *maiſon*, ab inſula, *Iſle*.

O in A, domina, *donne*. Octoginta, *octante*. O in E, Amo, *i'aime*. homo, *homme*. Imago, *Image*. virgo, *vierge*. Ego, *ie* vel *ge*. cubo, *ie couche*. O in EV, ambitioſus, *ambitieux*. Amoroſus, *amoureux*. coquus *queux*. cor, *cœur*. labor, *labeur*. dolor, *doleur*. nodus, *neud*. probus, *preud*. ſoror, *ſeur*. O in OEI, oculus, *oeil*. O in OEV, ovum, *Oeuf*. Opus, *oeuure*. O in OV, amor, *amour*. florere, *flourir*. labor, *labour*. Moles, *moule*. Plorare, *plorer*. vos, *vous*. Nos, *nous*. Rota, *Roue*. O in V, carnoſus, *charnu*. membroſus, *mẽbru*. ramoſus *ramu*. O in VI, coquere, *cuire*. Nox, *nuict*. coquina, *cuiſine*. Octo, *huict*. Oleum, *huile*. nocere, *nuire*. coxa, *cuiſſe* OE in OI, fœnum, Pœna, *pone* vel melius, *peine*. Muſtela fœnaria, *foine*.

P. in B, Conſtantinopolis, *Conſtantinoble*. Duplicare, *doubler*.

doubler. Duplus, *double*. P. in C vel in CH, rupes, *roche*. Spume, *Ecuſme*. Rupella, *rochelle*. P in F, caput, *chef*. P in V conſonum, aperire, *ouuir*. Aprilis, *Auril*. capillus, *cheveul*. Recipere, *recevoir*. Sepelire, *enſevelir* aliaque plura.

QV in C, vel CH, appropinquare, *approcher*. quinq;, *cinq* coquina, *cuiſine*. unde *cuiſinier*. QV in G, Æqualis, *egal*. Aqua, *Aigue*. unde *Aiguiere* & *Aigues mortes*.

R in S, Camurus, *camus*, *camuſe*.

T in L, Satur, *ſaoul*. T in G, natare, *nager*. T in R, butyrum, *Beurre*. latro. *larron*. nutrire, *nourrir*. Putrere, *pourrir*. Tonitru, *toneire*. vitrum, *voire*.

V in B, curvare, *courber*. curvus, *courbe*. V in E, auditus, *onye*. circulus, *cercle*. ſeculum, *ſiecle*. velum, *voile*. viſus, *veue*. V in EV, coluber, *coleuure*. Fluvius, *fleuue*. V in F, brevis, *bref* vel *brief*. Nativus, *naif* vel *natif*. Nervus, *nerf*. Cerva, *Cerve*, ſalvus, *ſauf*. Gravis, *gref* vel *grief*. V in I, ebur, eboris, *yuoire*. V in N, Pavo, *pan* vel *paon*. Rubus, *ronce*. V in O, Amabamus, *aimions*. Mundus, *monde*, funda, *fonde*. ſunt, *ſont*. V in OI, crux, *croix*. Nucula, *noiſette*. Nux, *noix*. punctum, *poinct*. V in OV, Bucca, *bouche*. bullire, *boullir*. curia, *cour*. fullo *foullon*. furmis, *four*. V in VI, ſeperata, conducere, *conduire*. Lucere, *luire*. ducere, *duire*. inſtruere, *inſtruire*. ſum, *ie ſuis*.

X in S vel SS, Axis, *Aiſſeul*. Exire, *iſſir*. exitus, *iſſue*. experire, *eſprouuer*. extraneus, *eſtrangier* vel *eſtranger*.

Atque hæc quidem de hodierna Gallica lingua proprie accipienda, non vero uſque adeo de ea, quam dixi Caroli Magni ævo *Romanam* appellatam. Nam licet & illa ſimiliter ex Latino & Romanorum idiomate eſſet deducta, propius tamen primam adhuc originem

ſuam

ſuam ſeu matricem linguam, Romanam nimirum, quemadmodum hodieque Hiſpanica & Italica, referebat. Quod ut claro ſub exemplo conſtet, Nithardi, nepotis Caroli Magni, hiſtoria edita a P. Pithœo habetur, de diſſenſionibus filiorum Ludovici Pij. Ibi iuramentum eſt, quo concordiam inter ſe ſanciunt fratres Ludovicus & Carolus: Ludovicus quidem *Romana* hac *lingua* in hunc modum ſacramentum dixit:

Pro dõ amur, & pro Xpian poblo, & nro cõmun ſaluament, diſt di en avant in quant dõ ſavir & podir me dunat ſi ſalvarai eo ciſt meon fradre Karlo in adiudha & in cadhuna coſa ſi cum per dreiti ſon frada ſaluar diſt ino quid il mi altre ſi fazet & al ludher nul plaid nunquam prindrai qui meon vol ciſt meon fradre Karle in damno ſit.

Quod cum Lodhuuicus expleſſet (ſunt verba Nithardi) Carolus *Teudiſca lingua* ſic hæc eadem teſtatus eſt:

In Godes minna induithes Xpanes folches ind unſer bedhero gealteniſſi fon these no dage frammordeſſo frã. ſo mir Got geuuiz et indi madh furgibit ſo hald ihtis an minam bruher ſcal int:yt utha zermigſono maduo indi mit luherem in nothe in mit hing nege gango theininam uullon · imo ce ſcadhen uuerhen.

Sacramentum autem quod utrorumque populus quiſque propria lingua teſtatus eſt, Romana lingua ſic habet:

Si Lodhuuig ſagramnent que ſon fradre Karlo jurat conſervat, & Karlus meos ſendra in ſuo part n̄ los tanit, ſi io returnar non lint pois ne io, ne neulſcui eo returnar int pois in nulla aiudha contra Lodhuuig nun li juer.

Teudiſca autem lingua:

Oba Karl then eid thē er ſineno bruodher Ludhuwige geſuor

 geleiſtit/

geleiſtit/ſnde Ludwwig min herro then er ſino geſuor ſorbrhchit ob ih tua neſarmuendenne mah / nch ih noh thero/ noh hein then thes ii uuendeu mag uuidhar Karle ino ce ſollus ttne uu.rdhit.

Hæc hucuſque ex Nithardo. Quæ ſane ſatis luculenter demonſtrant qualis tum utraque lingua fuerit, quam ſupra canon Concilij Turonenſis ſub Carolo Magno, *ruſticam Romanam* & *Theotiſcam* appellabat. Et utraque ſimul quam nunc intellectu atq; explicatu ſit difficilis, res ipſa loquitur. Cauſa eſt partim, quam ſupra tetigi, orthographiæ ratio; partim, quod vitioſe haud pauca ad nos deſcripta pervenerunt. Oedipo itaque opus ſit, qui hanc Sphingem in totum explicet. Collega meus V. CL. Anthonius Thyſius, qui hæc antiquitatis rudera juxta mecum admiratur, nec illibenter, dato otio, animum ijſdem oblectare ſolet, ità partem aliquam juramenti ad linguam hodiernam Gallicam formare allaborabat: *Pour lamour de Dieu, & pour le peuple Chreſtien & noſtre commun ſauvement de ceſte journée en avant en quãt que Dieu ſavoir & pouvoir me donera, ainſi je le ſalveray mon frere Charel & en ayde & en chacune choſe, ainſi comme l'hom (aut l'on) per droict &c.* Germanicum ſive Theotiſcum, quod ſequitur, eatenus quoque aſſequi viſi ſumus: Hunc enim in modum accipiendum fere videbatur: **In Godes minne/ende des Christelicken volcks eñ onſer beider behaltenisse /van deſen dage af eñ voorts/ſo my God wetenſchap eñ macht verlene/ ſo haldt icht an mijnẽ bruder/etc.** In quibus notãdũ, quod illa pars juramenti cõprehenſa his verbis Theodiſcis: *fon theſmo dage frãmordeſſo frã, ſo mir Got givizz, intì maht furgibit*, fere totidẽ verbis cõtineatur in Cõfeſsione veteris Alemanorũ eccleſiæ Tom.2. Alemanicarũ

Antiq.

Antiq. edente Goldaſto Hac enim ibi legas: *inti gerto buozzin frãmort ſo frã, ſo mir Got allmahtigo mahti inti giuuizzi forgibit.* Id eſt, *& cupio emendare in poſterum pro ea quam mihi Deus omnipotens poteſtatem & intelligentiam dederit.* Illud autem, *frammort ſo fram*, vel ut habetur in ipſo iuramento, licet corruptius, *frammordeſſo fram, in poſterũ* reddiderunt, nos Belgice **voorts en voorts** diceremus. Dani hodieque phraſi & verbis non abludentibus à lingua hac veteri Francorum, *udi fram tiden*, idem extuliſſent. Anglice *from, deinceps.* Vnde colligere eſt, nõ ex una gente veteris huius linguæ integritatem reparari debere. Nã, ut tradidit ante annos circiter quadringentos Rodericus Toletanus, quod & ſupra meminimus, Theutonia, Dania, Norvegia, Svecia, Flandria & Anglia unam habuerunt linguam, idiomatibus tantũ diſtinctam. Deinde hæc verba: *ſo halt ihtis an minã bruher* forte ità reſcribenda: *ſo halt ih tiſſan minam bruther*, ut reſpondeant iſtis Romanis: *ſi ſalvarai eo ceſt meon fradre.* Nam & Keroni eſt *ſervare, halten, kehalten*. Quæ porro in eodem iuramento ſequuntur ſcripturæ vitio haud leviter laborant; numeros memini, ſi verba tenerem; quamvis interea ſint quæ capimus, ut illud, *negegango*, Danica dialecto prolatum, eſt *genige gang*, id eſt, *nunquam*, ut habetur in Romano: & denique iſtud, **imo teſchaden wehren**/facile etiam explicatu ſit.

Quod ſequitur populi juramentum ita formabamus ad Gallicum hodiernum:

Si Louïs le ſerment, qu'il a ſon frere Charel jurat, conſerve, & Charel mon Seigneur de ſa part ne le tient, ſi ie detourner ly ne puis, ni je, ni nullui detourner lui ne puis, en nulle ayde contre Louis avec luy iray.

Vbi

Vbi *Serment* à Sacramento, quod *juramentum* ſonat. Pro *ſendra*, quod eſt in Romano & Nithardo, legendum *Sennora*, id eſt, ut vertimus, *Seigneur*. Scriptum ſcilicet contracte fuerat *Senora*, unde imperitè aut caſu *Sendra* factũ. At *Sennora* etiam in Germanico, quod ſubijcitur, habetur, **min herro**. Pro *returner* fecimus *detorner* ex Germanico, **arwuendene**. *lint pois* leg. *li ne pou. nũ li iver*, fuerit forte, *cun li iver*. *iurat* lingua Delphenatũ eſt *juravit*.

Germanicum ita illuſtrabamus:

Ob (Belgice off ſeu indien) Karel den eyd den er ſinen brudher Lodowigh geſuor/ geleyſtet/ ende Lodwig mijn heer/ dener ihm geſuor verbricht/ ob ich t.aen niets erwuenden mag/ noch ich/ noch der/ noch kein dieſers (ihm) erwe..den mag wider Karel ihm zu folgen etc.

Pro *ina* legimus, *inan*. pro *nes*, *nit*. *Ce* vel *ze* vel *zi*, commutabiles ſunt literæ, ut *citi*, *Ziti*, *tempus*. Et *ci ad*, Germanice nunc *Zu* Belg. *te*. In ultimus vocibus *tine uuirdhit* nodus hæret. Sed totam hanc ſpartam & quæ deinceps ſequuntur, aliĳs, quibus induſtria promptior & otium quoque uberius, accuratius inſpicienda atq; exornanda relinquimus

Satis, ut exiſtimo, patuit, qualis Francorum veterum lingua fuit, qualemque in Gallias intulerint. Ipſas verò Gallias provincialem ſermonem, id eſt, Romanorum, qui rerum potiebantur, vulgo tum uſurpaſſe & eam quoque diverſarum poſtea nationum influxu, varie paulatim obfuſcatam atque immutatam ſimiliter jam conſtare puto. Vnum itaque, quod modò innuimus, aperiendum reſtat, quale nimirum ipſius Galliæ idioma fuerit, priuſquam in provinciæ formã redigeretur à Romanis. Græcum non fuiſſe, quod nonnulli crediderunt, hinc liquet, quod Varro Maſſilienſes trilingues

lingues fuiſſe ait, id eſt, *Gallice*, *Græce*, & *Latinè* loquutos. *Latine* ſcilicet, quia Romanorum erant provincia: *Græce*, quod in iſtum Gallici littoris ſinum, relicta Græcia, Phocenſes jam olim colonias intulerant: *Gallice* denique, quod is communis ijs eſſet cum Gallis reliquis ſermoq; vernaculus. Illud ergo videndum, quis ille & qualis vernaculus ſermo fuerit. Græcum haud fuiſſe nunc indicatum eſt. Proprium vero Gallorum & peculiarem exſtitiſſe nec id veroſimile videtur tot præſertim vocabulis, quæ hodieq; Britannis & Germanis in uſu ſunt, publice reclamantibus. Vnde ſequitur aut Britannicam veterē fuiſſe aut Germanicam aut certe utriq; iſti nō admodum abſimilem. Qui Britannicam & mere quidem Britannicā afferunt his utuntur rationibus: Primū, quia ſcribat Cæſar moris fuiſſe ut Galli, qui Druidū diſciplinas diligētius cognoſcere vellent, in Britanniā traijcerent. Cū autem Druides iſti libris nō uterētur conſentaneū videri eos eodē, quo Galli, uſos fuiſſe in docendo ſermone. deinde quia tradat Cor. Tacitus, *Britannorū Gallorumq; ſermonem haud multo eſſe diverſum*. Quæ certe duo argumēta abunde quidem oſtendunt Gallicæ Britannicæq; linguæ maximā fuiſſe antiquitus affinitatem; at nullam interim cū Germanica habuiſſe cognationem, quod inde concludere ſimul volunt, neutiquam cōcedi poteſt. Ratio eſt, quia & ipſi Britanni à Germanorum ſermone nonniſi dialecto variabant. Tacitus libro de Germanor. moribus: *Dextro Svevici maris littore Aeſtiorum gentes alluuntur: quibus ritus habituſque Svevorum lingua Britannicæ propior.* *Aeſtios* videlicet appellat Tacitus vernacula gentis, voce, prout potuit, reſervata, quos hodieque *ooſters*

 & *ooſter-*

& *ooſterlingen* ideò indigetamus quod nobis orientaliores Vendici & Baltici maris littori propiores, ut Pruteni ceterique eius tractus, adhabitent. Si ergo Gallorum Britannorumque ſermo, ut Tacitus dixit, haud multum diſcreparit; iſtique Germaniæ populi *Aeſtij Britannis* haud diſſimiliter loquuti fuerint, ecquis ab iſta cum priſca Gallorum lingua ſocietate Germanos excluſerit? Sane haud magis id poſſit, quam ſi quis ipſos Gallos diverſos inter ſe ſermone & penitus diſcrepantes conſtituat, quia Cæſar *Aquitanos, Celtas* & *Belgas* lingua, legibus atque inſtitutis inter ſe differre dixit. Strabo enim differentiam eam propius exprimens de de dialecto tantummodo capiendum oſtendit. Sic & *Gothinos* ait Tacitus *origine Gallos eſſe, non Germanos, quia lingua uterentur Gallica*. Gallicâ ſcilicet, cuius dialectus diſpar fuit à Germanicâ.

Rhenanus lib. 2. Ger. Bodin. Meth. hiſt. Sed obijciunt, Cæſarem ſcribere, Arioviſtum ex lõginqua conſvetudine nonnihil Gallicæ linguæ percepiſſe; hoc eſt, ut alij interpretantur, propter diuturnam annorũ XIV conſvetudinẽ, quã habuerat in Gallia Gallicè loqui didiciſſe. Hæc quidem illi, at Cæſarem ſi inſpiciamus, nequaquam id dicit. Ita enim ait lib. 1 bel. Gall. *Viſum eſt, C. Valerium Procillum C. Valerij filium, ſumma virtute & humanitate adoleſcentem & propter fidem & propter linguæ Gallicæ ſcientiam, qua multâ jam Arioviſtus, longinqua conſvetudine, utebatur & quod in eo peccandi Germanis cauſa nõ eſſet, ad eum mittere.* Ex quibus liquet non dicere Cæſarẽ, nõnihil Gallicæ linguæ, aut annos per XIV linguam Gallicam addidiciſſe Arioviſtum, ſed diutina cõſvetudine cum Gallis Celtis, in quibus annos circiter quatuordecim cõmoratus erat, multum eâ uſum fuiſſe.

Quod

Quod eſt, ac ſi dixiſſet, familiarem habuiſſe & libenter lingua uſum Gallica: Quid? nonne & idem indigenæ Batavo aut Brabanto ſi in interiori Germania, Germano ſi in Batavis aut Brabantis novitius moraretur, uſu hodieque veniat? Certe conſvetudine & mora aliqua opus eſſet, antequam in Brabantia Germanus Brabantice, & in Germania Brabantus Germanice loqui familiariter poſſit. Non quod diverſa ſit utraque & Belgica & Germanica lingua, ſed quod difficultatem hanc dialecti inter ſe differentes pariant.

Quibus omnibus propius examinatis, priſcam Gallorum linguam non ſolum Britannicæ, ſed nec Germanicæ admodum olim abſimilē exſtitiſſe patet: imo nec aliter eos, quod ad ſermonem attinet, priuſquam à Romanis dedocerentur, fuiſſe Germanicæ propaginis quam hodieque ſunt Belgæ, Britanni, Scoti, Norvegi, reliquuſque ille Daniæ Svediæque tractus Borealior: Qui nec hodie modò, ſed & ante annos quadringentos, ut jam jam ex Roderico Toletano attulimus, eandem ſimul linguam habuerunt, dialecto ſolummodo differentem. Hieronymus denique Commentario in Epiſtolam Pauli ad Galatas diſerte ait Galatas ſive Gallogræcos, excepto ſermone Græco, quo omnis oriens loquebatur, propriam linguam eandem uſurpaſſe, quam Treviri. Treviri autem quo ſermone olim proprio uſi, niſi Germanico, utpote Belgicæ populi & Germanicæ originis? Nam & Tacitus de ijſdem agens libro de Morib. Germanorum, ita ſcriptum reliquit: *Treviri & Nervij circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitioſi ſunt.*

His argumenta accedant 1 ab *habitu Gallorum Germano-* 1

2 *rumque veterum haud multum inter ſe differente.* 2 ab *hominum, locorum, populorum ventorumque communibus appellationibus.* 3 à *Promiſcuis utriuſq́, inter ſe populi vocabulis,* quæ integrum Lexicon conficiant.

I Quod ad primum, de eo ita Strabo lib. 4: *Quales diximus ſuperioribus temporibus Gallos, tales eos fuiſſe intelligimus ex Germanorum adhuc ducaribus conſvetudinibus. Nam & Natura & vitæ inſtitutis gentes hæ invicem ſimiles ſunt & cognatæ, confinem habitantes regionem Rheno diviſam, ut pleraque inter ſe ſimilia habentes.* Idem libro 7: *Germani nonnihil imitantur Gallos excellenti gravitate & magnitudine corporis coloreque candido: Sed & aliarum rerum ſpecie, moribus, conſvetudinibus vitæque converſationibus.* Vnde eſt, quod Svetonius tradat Imperatorem Caligulam, cum expeditionis Germanicæ impetum cepiſſet, moxque ad ipſos Rheni oceanique limites pertigiſſet, nec quidquã tamen victoria dignum aggredi ei animus eſſet, nihilominus quaſi Germanos lõge lateq; viciſſet laureatas literas Romã ad Senatum miſiſſe, ut ſibi triumphus decerneretur. Quo autẽ fides eiuſmodi mimo conſtaret, addit Svetonius loco Germanorum Gallos lectos eorumq; proceriſſimum quemq; ſepoſuiſſe ad pompã: Deinde coegiſſe *non tantum rutilare & ſubmittere comã ſed & ſermonem Germanicum addiſcere & nomina Barbarica ferre.* Quibus ex verbis intelligere eſt, nõ modo quod de corporis ſpecie cultuq; Strabo protulit, ſed & illud quod de ſermone dicimus, dialecto potiſſimum & loquela variaſſe. Nam quomodo alias tantillo temporis ſpacio loqui Germanice Galli homines potuiſſent.

II Secundo ſi *virorum hominumq́,* Galliæ *appellationes* ſeu *nomina propria* conſideremus nõne Germaniſmum hæc omnia

omnia reſipiunt? Nam Cæſar Latine redditurus illa eorum nomina, qualia fere in CH terminabant, ut ſunt hodie Germanorum *Frederich*, *Henrich*, *Dietrich*, *Vlrich*, nonnihil laboraſſe viſus eſt, quod illam finalem terminationem ſermo Latinus vix admitteret. Fecit idcirco ex ijs, quæ in *rih* deſinebant, *rix* ut patet in *Orgetorix*, *Dumnorix*, *Ambiorix* alijſque; quorum vicem tunc forte ipſi Galli dixerunt, *Erentrich*, *Dumerich*, *Einberich* ſive *Heimrich*. Polybius quoque libro primo Gallum quempiam, ſed ſono leniori, *Autaricum* adducit. quaſi *Hautrich* dicas. Apud Germanos, Tacito eſt Friſiorum princeps, *Malorix*; & apud Francos *Malaricus* Ammiano, ſeu *Malorix*; & *Deuderix* Sicamber Straboni, de quibus ſupra dictum.

Livio lib. 38. Gallorum in Aſia regulus memoratur *Lutarius*, & Cæſari libro belli Gallici 7. & 8. *a* in *e* mutato *Luterius*. Quæ nomina quis Theutonica eſſe non videat, aut ſaltem ab illis haud abludere, quæ ſupra Germanorum Francorumq; recenſuimus, *Lotharius*, *Lotarius*, *Chlotarius*?

Lutavicus quoque eidem Cæſari lib. 7. nominatur, & *Ollovicus* ſive *Ollovico*, cuiuſmodi exinde *Lodowicus*, *Chlodovicus* regum Francorum in Gallijs vocabula fuerunt.

Erant & in *marus* terminantia, cuiuſmodi paſſim agnoſcunt Germani, ut *Othmarus*, *VVolmarus*, *Thietmarus*. Hinc Livio libro 24. Gallorum in Hiſpania militum præfectus *Civiſmarus*, & libro 38 Aſiaticorum Gallorum *Combolomarus*: & apud Cæſarem lib. 5 Belli Gallici Trevirorum princeps *Indutiomarus*, & libro 7. Æduorum princeps *Virdumarus* & apud

 Pro-

Propertium *Virdomarus*, de quo alibi dictum.

Populorum deinde ac *locorum* nominibus, quæ multa in Gallijs occurrunt, ſimilia apud Germanos reperiri quis neget? ut ſunt, *Santones, Pictones, Turones, Sueſsiones, Lingones*, & in Ciſrhenana Germania, *Vangiones, Eburones, Centrones*: In Germania verò Tranſrhenana, *Iubones, Semnones, Caviones, Ingevones, Iſtevones, Sveones* alijq; quemadmodum & vicorum oppidorumque in *magus* & *dunum* nomina utrobique occurrunt.

Quibus addantur *ventorum*, ut iniecimus, *nomina*, quæ omnia cum Germanis Belgis, Britanniſque penitus adhuc ſunt Gallis eadẽ. Cauſam autem, cur ea cum reliquis non immutaverint, ſed ſola ſalva atque inviolata hactenus permanſerint, hanc exiſtimem, quod Romani cum terra potius quam mari rẽ adverſus Gallos geſſerint, reſervaſſe etiam Gallos, utpote nemine alias addocente, familiares ſibique proprias in rebus nauticis maritimiſque voculas. Hinc *Occidentalis* ventus, qui Anglis *Weſt-Wint*, Belgæ Germaniq; *Weſten* appellant, Gallis eſt vent *de oveſt*: *Auſter* verò, qui Germanis *Suyden Windt*, Anglis *Sout-Windt*, Gallis item eſt *Sud*. *Orientalis* qui *Ooſten* Germanis, Anglis *Eaſt*, Gallis dicitur *Eſt*. Quæ dialectus maxime cum verbis Taciti jam modo allatis conſonat, quibus *Aeſtios* eos nuncupaſſe ipsũ dicebamus, idque ipſorũ vocabulo, qui hodieque Orientaliores verſus Boream habitant. Denique *Septentrionalis*, quem Angli alijque omnes & ipſe Magnus Carolus ſupra *Noort* & *Noorden* nominabat, Gallis eſt *vent de biſe*. Quo uno abire à nobis videantur & uſitatam Latinis Boreæ vocem quodammodo æmulari: Sed ita res neutiquam habet; imo verum vetuſque

Teuto-

Teutonicum idem eſt, & fortaſſe inter ea ventorum nomina, quæ ut barbara reformaſſe Carolum ſupra dicebat Eginhardus, reponendum. Nam *bieſen* & *bÿſen æſtu agitari* Belgis ſignificat. Scarabeum quoque alis ſtrepitantem & cum impetu ſe moritantem *biesbout* Flandris hodieque dici Gloſſaria eius Linguæ indicant. Eſt & Latinum Pſalterium cum interpretatione Germanica vetuſtiſſima, ut pote Ludovici Pij aut illis temporibus concinnata, in quo *Biſa* pro *turbine* poſitum diſerte legitur. Vnde & Lipſij Gloſſariolum ex eo collectum: *Biſa*, *turbo*, ut Gallis, *vent de Biſe*.

Tertio & ultimò vocabula, quæ ab authoribus Græcis Latiniſque, ut Gallica, adducuntur, eſſe Germanicæ indolis integro, ut dixi, Lexico demonſtrari poſſit. III
Quod & ipſi jã antehac tentavimus edito aut addito ad Itinerariũ Galliæ Narbonenſis Gloſſario Priſco-Gallico, quod alterâ nunc parte ſui auctum alijſque ad hãc rem ſpectantibus documentis inſtructum, quia edere aliquando ſeorſim conſtituimus, hic eorum recenſione ſuperſedere ſatius duximus: illud tantum, quod proprie huc ſpectet, ſubinterſerentes, Gallicam nimirum veterem linguam, ſi illis antiquiſſimis & ante Romanorum dominatum temporibus, haud aliena à Theutoniſmo fuerit, facile etiam & naturali flexu, excuſſo paulatim Romanorum illo jugo, receptiſque in ſuum ſolum tranſrhenanis & cognatis gentibus, ad priſcam & propriam ſuam phraſim ac formam, cuiuſmodi jam modò, præeunte Iulio Scaligero, fuit oſtenſa, feciſſe verſoriam. Nunc Coronidis loco Caput hoc & librum ſignet Recollectio quædam ſeu,

GLOSSARIOLVM RARIORVM

Aliquot ex ſuperioribus & præſertim Verſione Tatiani, vocum, ordine alphabetico.

Anaginne, initium. *anbeginne* nos. Kero, *anakinne*.
Ambahta, miniſtri.
Ambahtes, officij.
Antreitu, ordo. vide & Kerone.
Araugta, apparuit.
Arfirran, auferre. Nos hodie *affuren*.
Artofo, exclamavit.
Antlingota, reſpondens.
Arfuor, diſceſsit. affurnos.
Arſtāntenti, exurgens. *erſtaende*.
Anforhtanten, timentibus.
Arhuob, exaltavit.
Annuzzi, faciem.
Aerpennis, ſemi iugerum. ſupra pag. 579.
Biloton, mandata, *giboten*.
Bithiuwāta, eo quod, ideo, quia.
Blidida, exultatio.
Barno, filij. ſupra pag. 598.
Bouhnenti, innuens.
Bouhnitun, innuebant: quaſi *buychneten* ſeu *buychten*, inflectebant.
Burg, oppidum.
Bachinon, pateræ ligneæ. ſupra pag. 580.
Biſa, Boreas. pag. 615.
Cunne, generationes, cognatio
D loco, ut plurimum, *T* ponunt, ut *theſe, thie, thiononte, dienende*, ſervientes, *Teta, dede.* fecit.
Eidbuſti, juſiurandum.
Emmizigen, perpetuo, continenter.
Finſtarniſſen, tenebræ. Willeramus, *Thimſterniſſe*, à *dimſtig*, nubilum nobis.
Framgigiengun, proceſsiſſent.
Ferit, præcedit. *Furit*.
Fon thiu, ex hoc.
Forliez, dimiſit.
Gangenti, incedentes, *gargende, gaende*.
Gernlibbo, diligēter. *Kernlibbo* eſt apud Keronem.
Gitruobit, turbatus.
Giſebo, gaudium.
Giſab, exultavit.
Giſeben, in giſeben, in gaudio.
Garwen, parare. ſupra 598.
Gimahalſtero, deſponſatam.
Gommannere, viro. ſupra pag. 598.
Gommannes, viri. *wanta ih gommannes &wis ni bin*, viri ſcius, aut viri notitiā non habeo.
Gimuntigonne, *zi gimuntigonne*, ad commemorationem.
Gimarit, vulgebantur.

Giwizneſſi,

Giwizneſſi, teſtamenti.
Huldi, gratia. *Thu fundi huld met* Gote inveniſti gratiam apud Deum.
Heilızıt.ı, ſalutavit.
Heilizunga, ſalutatio. Danis *helſinge*. ſupra.
Heilizunnes, ſalutationis.
Heili, ſalutem.
Iſt, erit, eſt.
Intuuus, opprobrium, quaſi *ondugenthitt*. Danis adhuc, *ith onthu*, probroſa & inutilis perſona.
Iogiwelich, omne.
Ilungu, feſtinatione.
In, eum.
Inwouilu, viſcera. cap. 4 Verſiõ. Tatiani.
Ioh, etiam, quinetiam, nobis, *ia oock*.
Kernlibho, dilgenter. Kero. cui & *cernlibho*, libenter. Vide in *Gernlibho*.
Lib, vita.
Lozze, ſorte.
Lazzeta, tardaret.
Leodes & *leudes*, homines principi ſuo obſtricti. vide pag 579.
Mendent, gandebunt. Vide & Keronẽ, & Lipſij Exerpta. Vtitur & Willeramus pag. 115. 165.
Megine, veritas. *in megine*, in veritate.
Mannon, homines.
Mihhil, magnus.
Mogin, virtus. ſupra pag. 598.
Mihhiloſo, magnificat.
Mihhelu, magna.
Miltida, miſericordia.
Moinatare, nequaquam.
Morgengeba, donũ matutinale.
Ni, non.
Otoge divites.
Quena, uxor. *Quine* & *quinde* Dani. Anglis ἐξόχως, uxor regia, regina.
Quad, ait. Danice nunc *quad*, canebat.
Quedenti, *quedende*, dicens. Danis, canens.
Quedent, dicent.
Rabbano, rerũ, ſupra pag. 597.
Rethfeſtin, iuſtificationibus, Danica dialecto, *reth*, pro *recht*.
Reve, uterus, Lipſij excerpta, *Ref*, venter, & *Revis*, ventris: *reve*, ventre. At Tatiani Interpreti venter, & *wamba*. Vide infra, & ſupra pag. 598.
Saga, narratio.
Sagen, evangelizare.
Sumet, quiſpiam, quidam.
Sliumo, ut, quã primum, ſubito.
Scribſabes, pugillares. cap. 4. Verſionis Tatiani.
Scrãmaſaxi, cultri validi. ſupra pag. 579.
Scarſahs, novacula, ibidem.

Sus, ita. nos *ſus* & *dus*. hodieque retinemus.
So, ſicut.
Sibba, pacis, pax. Cap. 4 verſ. Tatiani.
Thionomes, ſerviamus.
Truhtine, Domino.
Trohtin, *Truhtin*, dominus.
Thuruhthigan, perfectam, perfecte probã. Willeramus, *Thurgdan*, eodẽ ſignificatu.
Tomgibhta ſib, occultabat ſe.
Thiornum, virgo. ſupra pag. 598. Wiler. *Thierna*.
Thiu, ancilla.
Thiuui, ancillæ.
Tho, ad.
Thò, etiam.
Vzzan, ſine.
Uzzanſin, ſine ipſo.
Vbarhubtige, ſuperbos.
Unberenti, ſterilis, ſupra pag. 597
Vnzun, uſque.
Vnodi, impoſsibile.
Wiht, & *ni wiht*, nihil. Kero nihil, *neouuiht*, nihilum, *neouuihti*.
Wehſale, vices. ſupra pag. 597.
Wohs, *woehs*, creſcebat. Danica dialecto. nos, *Waſde*.
Wolaqueti, ſalutatio, à *wola* ſeu *Wel* & *queten*. de quo dictũ.
Weſe mir, fiat mihi.
Wahſmo, fructus, à *Wachſen* ſeu *Waſſen*. creſcunt enim fructus.
Wamba, ventris. hinc *wambeys* nobis, thorax.
Warb, *Warb ze ira hus*, reverſa eſt domum.
Wanu, putas.
Wizagota, prophetavit.
Wiſota, viſitavit, nos, *beſochte*.
Wiſtuome, prudentia. Dialecto Danica. nos *Wysheit*.
Wonreton, mirabantur.
Zolutun, conati ſunt. Kero: ſtudeat. *zilee*. ſtudere, *cilen*. Forte nos *zuleggen* ſeu *toeleggen*.
Zezo, *ſtantanti in zeſo*, ſtans à dextris. Dextra, *zeſeva*; ſiniſtra, *Winſtra*. Poſterius Dani hodieque uſurpant. Otfridus de Malchi auricula, *zeſua ora*.
Zi werolti, in ſecula.
Zyibi, panis quotidianus. Pag. 587 ſupra.

FINIS.

INDEX.

ABbas Vrſpergenſis 120
eius de Francorum origine ſententia 121.122.
Academia Pariſienſis quando inſtituta, 569.
Acies cuneata Francorũ, 565.
Acta Synodi ſub Lothario, 410.411.412.413.
Ado Viennenſis 120.
eius de Francis ſententia examinata 121.122.137.
Agathias de Francis, explicatur 140.414.525.
Alberti Crantzij de origine Frãcorum ſententia excuſſa, 136 137.138.
Albis, 54. tranſcenſus Rom. 3.
Albis medius mediam Germaniam ſecans 55.56.
Alemani, 96.
Amaſus fluvius 58.
Anſuarij, 75.
Anſibarij Franci 157.158.
Arborici nõ ſunt Abotriti 372. 373. 374.
Aries, eiuſque nova deſcriptio, 554.555.556.557.558.
Ariſtocratica politia Francorũ & Germanorum 478.481.
Armatura Francorũ, 416. 545.
Arnulphus Imperat. Francorũ & ſtirpis Carolinæ poſtremus 290
Aſcaricus Frãcorũ rex 225.239.
eius res, 255.
Askanaz, 86.
Attilæ cum Rom. & Francis prælium, 324.
Auſtraſia, 339.380.382.
Auguſt. libri male intellecti, 412
Avitus Romanorũ Auguſt. 342.
BAitorix Sicambrorum rex. 219.237.
Batavia eiuſq; etymon, 20.21.
Galliarum pars, 23.24.
Batavus pro Germano, 31.
Barba Francorum. 541.
Baſina Clodovei mater, 343.
Becani de Francis opinio ad examen vocata, 125. 170.
Belgicæ terminus, 18.
Bellũ inter filios Ludovici, 392.
Bilibaldi Pircheimeri de Francis expenſa ſententia, 156.
Bodinus de Francis, 126.
Cenſura, 127 & deinceps.
Bonitius Francus, 265.
Bononia inferioris German. 17.
Bructeri, 50.
Breuni, 135.
Burgundi Plinío nõ ignoti, 168.
CAntium promontorium, 25.
Capillitiũ Francorum 539.
Caroli Molinæi opinio de Frãcis refutata, 114.
Caroli Craſsi cum Normannis pactiones, 395.

Cedere imperio iuſſus, 396.
Moritur, ibidem.
Epicedium eius, 396.397.
Caroli magni ſtatura, 527.
veſtitus, 535.
Caſtella ad Rheni cuſtodiam, 6.
Caſtum nemus Taciti, 43.
Cattus machina bellica, 559.
Chaivones, 23.
Chattuarij, 48.
Chauci, 26.32.
Chauci in Rheno 52.
Chatti 47.
Chamavi, 54.
Cheruſci, 47.
Childericus Rex, 339, regno excedit, 341.
redit, 42.
Cimbri, 51.
Claſsis in Rheno, 8.
Clodio Frãcorum Rex 235.242
eius res & ſucceſſus, 316.317. &c.
Clodoveus Francorum rex 245.
eius res & bella, 344. & deinceps uſq; ad pag. 371.
Cicero an Francos nominaverit, 114
eius mens & locus explicatur, 115.116.
Comites Rheno impoſiti, 6.
Comites eorumq; officia, 439.
Comitis Nivenarij de Francis opinio excuſſa, 156
Comitiorum ratio, 477.
Conventus & Concilia procerum, 478, 481.

Danubius imperij limes, 1.
DeudorixSicambrorum rex 219.237.
Deuſo, Duytſch, 101.
Domus maiores, 487.
Druſiana foſſa, 67.
Duces Rheno impoſiti 5.
Duces qui olim. 491.
Duyſchen & Duyſmans vetuſtiſſima Germ. appellatio, 84.
Dyſpargũ ſeu Duysburgũ prima Frãcorũ regum ſedes, 103.317
Ebrietas legibus vetita, 516.
Edelingi qui, 499.
Epiſcopi, 432, 433.434.435.
Equitatu minus valebãt Fraci & Germani olim, 546.
Eſatech Francorum rex, 224. 252.253.
Feſta martyrum, 457.500.
Flevum caſtellum, 8.
Framea, 185. 549.550.551.
Francia, 79.113.
Franci Germani, 79.80.81.
Francorum primæ ſedes, 99. 100.101. & deinceps.
Francia Sicambria, 103.104.
Francorum & Sicambrorum cõparatio, 107.108.&c.
Francus pro Afranio obtruſus Oroſio, 116.117.
Franci Anſibarij, 157.
Franci Salij, Ripuarij, ibidẽ.
Francorum etymon, 175.183.
opiniones aliorum, 176.177. 178, 180.181, 182.

Fran-

Francorum ſucceſſus, 246.
Franci poſt 170 annorum cum Romanis luctā Rhenum trāſgreſsi, 247.
Francorum res & initia, 249.
Frācorum res ſub Iuliano, 269.
Francorum paganiſmus, 400. 401.404.
ad Chriſtum converſo, 406. 407.408.409.
Francorum de Deo ſenſus, 407. 408 409.
confeſsiones, 407.410.
Synodi, ibidem.
Francorum politia, 414.415. 466.467.
Francorum circa monaſteria & Sacra loca ſtudium, 419.420.
Franciſci Hotomanni de Frācis opinio excuſſa, 142.
Franciſci Irenici ſententia 149.
Franconia, 138. 388.
Frangobegus, 386.
Frea Dea, 403.404.405.
Frilaſi qui, 500.
Frilingi, 499.
Friſij 48. 49. maiores & minores, 74.75. In Rheno & trans Rhenum, 75.
Friſia Sigeberto dotis loco data. 395.
Friſiabones, 22.
Foſſa Druſiana, 67.

GAllorum veterū lingua, 608.
Gambrivij, 48.
Gaguini opinio de Francis excuſſa, 124.
Genebaldus Francorū rex, 224.
eius res, 254.255.
Germania, novus orbis, 3.
Germania ſuperior & inferior, 13
Germania prima & ſecunda, 14.
Germania Tranſrhenana, 35.
Germanorum acris libertas, 4.
Germani Cæſaris auxiliares qui, 16.
Germani in ripam Rheni Gallicam non admiſsi niſi ſub cuſtode, 33.
Germ. quæ poſtea Francia, 79.
Germania magna, 82.
Germaniæ notatio, 83.84 85.
Germaniæ diviſio, 90.
Germanorum veterum paganiſmus, 402.
Giſela Sigeberto Normanno deſponſa, 325.
Godefridus Normannus, 394.
Godeſchalci monachi poſitiones, 413.

HAbitus Frācorū veterū, 526
Hadriani Iunij de Francis opinio expenſa, 153.
Hanſi heroes, 162.
Haribertus Pariſiorū rex, 245.
Helius & Flevus, 19.
Hermiones, 92.
Hildebertus, 245.
Hilpericus Francorum rex, 240. 245.
Hotomannus, vide Franciſcus.

Hunibaldus, 117. eius opiniones ſeu fabulæ de regib. Francorũ, 118. 188. 189. &c. Refutatio, 196. 197 & deinceps.
IDiſtauiſus Tac. Idiſthauſen, 60
Idioma vernaculũ in ſacris 463
Imaginum uſus aliaque 458.
Imperium Romanum Germanis fato debitum, 386.
à Druidibus prædictũ, ibidẽ.
Ingenui qui, 498. 499.
Inuitationes ad potandum lege vetitæ, 516.
Ingevones, 92.
Ioſephus Scaliger de Hunibaldo, 200.
Iſala Sala olim, 68.
Iſala Rhenus, 69.
Iſala Druſi foſſa, 68. 69.
Iſarci Plinio, 135.
KEltæ ſive Celtæ qui Rheni ripam utrimque olim inhabitabant, 85.
LAſsi qui 499.
Leges Francorum, 505.
Legiones octo ad Rhenum, 6.
Legiones ad Danubium ſex tãtum, ibid.
Lingua Francorum veterum, 414. 578. 179. &c.
Lis inter Theodibertum & Iuſtinianum Imp. 523.
Literarum & Scholarum cura apud Francos, 517. 568.
Lotharius cum fratribus confligit, 392.
occaſio diſsipati Imp. 393.
Lotharingia unde dicta, 383.
Ludovici Imperatoris ad Baſilium apologia 387.
MAchinæ bellicæ, 552.
Malaricus Francorum rex, 225. 238.
eius res, 261. 262. 263. 264.
Mangatella, 560.
Marci Velſeri de Priamo Proſperi ſententia excuſſa, 233.
Marcomirus Francorum rex, 228. 240.
eius res, 288.
Mattiaci Taciti, 28.
Maziacus ager in Africa, 32.
Melanchton de Francis, 134.
opinio eius expenſa, 135.
Melo Sicãbrorum rex, 219. 237
Melobaudes Francorum Rex 226. 279. 280. 283.
Memoriæ martyrum, 457.
Meroveus Frãcorum rex, 245.
eius res, 320. 321. 322. 323.
Michaelis Ritij de Francis opinio excuſſa, 140.
Militia Francorum, 543.
Monachi olim quales, 428.
Monaſteriorum uſus apud Frãcos, 419. 423.
Monetã argenteam & auream cudebant Franci, 524.
NAtales Martyrum, 457.
Naves in Rheno armatæ, Luſoriæ, 8. 9.
Neuſtria, 381. 382.

Nive-

Niveſium, Nuys, 102.
Normanni quando primum Galliam invaſerint, 393.
Francis negotium faceſſunt, 344. 395. 396.
Normannia ante Neuſtria, 395.
Occidua & orientalis Francia, 339. 381. 389.
Opera bellica Francorum 552.
Oppugnandi modus, 553. 554.
Pariſij Germaniæ oppidulum Zozimo, 17.
Petulantes populi, an Pelanders, 160.
Petraria, 560.
Pharamundus Francorum rex, 232. 244.
omiſſus Greg. Turonēſi, 336
Politia Francorũ, 414. 460. 477
Priamus Proſperi quis, 232.
Quadi, 268. 276. 277.
Radagiſus Frãcorũ rex, 225. 242. eius res, 255. 256. 257
Reges Franc. jus dicebãt. 503.
Repugnandi ex locis munitis modus, 563.
Rhenus Imperij limes 1.
Imperij murus, 5.
Rheni inſulæ intra Imperium Rom. 27.
Rheni, populus ad Rhenum Perſio, 81. 82.
Rhijnfrancken, 82.
Rhenani opinio de loco Ciceronis 115: de Francis, improbata, 143. 144. 146.
Robur munimentum ad Rhenum, 7.
Rollo Normannus, 395.
Romanorum metus congelato aut tenuiter fluente Rheno, 10. 11.
Sala, 62. 63. 65. 67.
Sallandia, 68.
Salij Franci, 157. 164. à Saxonibus in Bataviã pulſi 276.
Salij Gallicani, 172.
Saxones, 93. Imperium Francorum in ſe transferunt, 391.
Scrieckij Rodorni de Francis ſententia expenſa, 149.
Sicambri 39.
Sicambri Germani, 44.
maritimi 48. 105. 45. 78.
Sicambri Tacito in Germania non nominati, 77.
Sicambria Francia, 103.
Sicambrorum reges, 214.
Silvanus Francus, 265.
Species, Forma, ſtatura & habitus Francorum 526.
Synodus ſub Lothario, 410. 411. 412. 413.
Tenčteri, 78.
Teutonica Francia, 382.
Teſtudo arietaria, 558.
Tongri & Tongerſeé, 242. 243.
Tonſura Francorum, 538.
Troiæ machina 561.
Tribock, Ibid.

V bij

VBij. 37.
Veſtitus Francorum, 526. 532.
Veſtraſia, 339.381.382.
Virgines ſacræ quando initiatæ apud Francos, 430.431.
Viſurgis, 58.
Volaterranus de Francis 139.
expenſus, 140.
Wolfgangus Lazius, 118.
eius catalogus reg. Francorum fabuloſus, 118.
Refutatur, 247.148.
Vſipetes 78.
ZElandi. 28. 29.

SYLLABVS ERRATORVM.

Pag. 4. leg. *Velleius*. pag. 9. *At ita*, leg. *Atque ita* pag. 11. leg *deſererent*. pag. 18. *ad* l *ab* pag. 25 leg. *Carthaginem intentis oculis quæ & quot ibi ſolvebant*. pag. 33. leg. *colloquia congreſſuſque*. pag. 34, *permanerent*, leg. *permearent*. pag. 41 *Beſemer* leg. *Behemer*. pag. 49, verſ. 1. leg. *quodammodo*. pag. 62. *pugnans repotuerunt* leg. *repugnans potuerunt*. pag. 70. leg. *demonſtratque*. pag. 94. leg. *ſecerit*. Pag. 108. leg. *illic Franci, hic B*. pag. 145. *ſequuntur* leg. *ſequitur*. pag. 177. leg. *Franciſiam*. Pag. 184 verſ. 2 leg. *Franceſcas*. pag. 187. *vocis Franca* leg. *vocis Francorum*. pag. 215. verſ. 24 leg. SVADENDI. pag 238 leg. *vocat*. pag. 239. leg. *haſiſſe*. pag. 242 leg. *militares*. ibid. *notet*. pag. 245. verſ. 26. leg. *relata ſi fuerint*. pag. 248 verſ. 15 leg. *ſuperiori*. pag. 252 verſ. 5 leg. *haud in*. verſ. 7. *acrius*. pag. 273 leg. in marginali numero 357. pag. 284 leg. *fortitudini*. pag. 304. leg *referebat*. Pag. 324. verſ. 2 leg. *allatis*. pag. 413 verſ. 4 leg. *dabit*. pag. 419 leg. *Franci coeperunt*. pag. 433 leg. *notat*. pag. 443. leg. *referas*. pag. 505 verſ. 20 leg. *niſi*. pag. 510 leg. *Baioariorum*. pag. 555 leg. *conatu*. pag. 559 leg. *occultabat*. Item, *in morem*. pag. 577. leg. *Auſoniarum*. pag. 587. leg. *purgare*. pag. 601 leg. *cuiuſmodi*. pag. 612. verſ. 7. leg. *durantibus*.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google